

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=1

TM 0436

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=2

A. Volz Pfarrer.
1890.

M. Rietschi S.J.

Theodor Mahlmann
2007

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=3

NOVUM TESTAMENTUM.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=5

JESU CHRISTI

DOMINI NOSTRI

NOVUM TESTAMENTUM.

EX INTERPRETATIONE

THEODORI BEZÆ

IMPRESSA CANTABRIGIÆ A. D. 1642

IN OFFICINA ROGERI DANIELIS.

BEROLINI:

SUMPTIBUS SOCIETATIS BIBLIOPHILORUM

BRITANNICÆ ET EXTERNÆ.

MDCCCLXXXVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=7

SYLLABUS

EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE HABENTUR.

Evangelium secundum Matthæum . .	Capp. 28	Pag.	5
Evangelium secundum Marcum . . .	– 16	–	77
Evangelium secundum Lucam . . .	– 24	–	125
Evangelium secundum Joannem . . .	– 21	–	203
Acta Sanctorum Apostolorum	– 28	–	262
Pauli Epistola ad Romanos	– 16	–	337
Pauli Epistola ad Corinthios I. . . .	– 16	–	367
Pauli Epistola ad Corinthios II. . . .	– 13	–	395
Pauli Epistola ad Galatas	– 6	–	414
Pauli Epistola ad Ephesios	– 6	–	424
Pauli Epistola ad Philippenses . . .	– 4	–	434
Pauli Epistola ad Colossenses . . .	– 4	–	441
Pauli Epistola ad Thessalonicenses I. .	– 5	–	448
Pauli Epistola ad Thessalonicenses II.	– 3	–	454
Pauli Epistola ad Timotheum I. . . .	– 6	–	457
Pauli Epistola ad Timotheum II. . .	– 4	–	465
Pauli Epistola ad Titum	– 3	–	471
Pauli Epistola ad Philemonem . . .	– 1	–	474
Pauli Epistola ad Hebræos	– 13	–	476
Jacobi Epistola Catholica	– 5	–	498
Petri Epistola Catholica I.	– 5	–	506
Petri Epistola Catholica II.	– 3	–	514
Joannis Epistola Catholica I.	– 5	–	519
Joannis Epistola Catholica II. . . .	– 1	–	526
Joannis Epistola Catholica III. . . .	– 1	–	527
Judæ Epistola Catholica	– 1	–	529
Joannis Theologi Apocalypsis . . .	– 22	–	531

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=8

EVANGELIUM

SECUNDUM

MATTHÆUM.

1 LIBER generationis Jesu Christi, filii Davidis,
filii Abrahami.
2 Abrahamus genuit Isaacum. Isaacus autem genuit
Jacobum. Jacobus autem genuit Judam et fratres
3 ejus. Judas autem genuit Pharesum et Zaram
e Thamar. Pharesus autem genuit Esromum.
4 Esromus autem genuit Aramum. Aramus autem
genuit Aminadabum. Aminadabus autem genuit
Naassonem. Naasson autem genuit Salmonem.
5 Salmo vero genuit Boozum e Rachaba. Boozus autem
genuit Obedum ex Rutha. Obedus autem genuit
6 Jessen. Jesse vero genuit Davidem regem illum.
David autem rex ille genuit Solomonem ex
7 ea quæ *fuerat uxor* Uriæ. Solomon vero ge-
nuit Roboamum. Roboamus autem genuit Abiam.
8 Abias autem genuit Asam. Asas autem genuit
Josaphatum. Josaphatus autem genuit Joramum.
9 Joramus autem genuit Hoziam. Hozias autem
genuit Joathamum. Joathamus autem genuit
Achazum. Achazus autem genuit Ezeciam.
10 Ezecias autem genuit Manassen. Manasses
autem genuit Amonem. Amon autem genuit
11 Josiam. Josias autem genuit Jechoniam et
fratres ejus, in transportatione illa Babylonica.
12 Post transportationem autem illam Babylo-
nicam, Jechonias genuit Salathielem. Salathiel
13 autem genuit Zorobabelem. Zorobabel autem

genuit Abiudem. Abiudes autem genuit Eliaci-
14 mum. Eliacimus autem genuit Azorem. Azor
autem genuit Sadocum. Sadocus autem genuit
Achimum. Achimus autem genuit Eliudem.
15 Eliudes autem genuit Eleazarum. Eleazarus au-
tem genuit Matthanem. Matthanes autem genuit
16 Jacobum. Jacobus autem genuit Josephum, virum
Mariæ, ex qua genitus est Jesus ille qui dicitur
Christus.
17 Universæ igitur progenies ab Abrahamo usque
ad Davidem, progenies quatuordecim: et a Da-
vide usque ad transportationem Babylonicam,
progenies quatuordecim: et a transportatione
Babylonica usque ad Christum, progenies qua-
tuordecim.
18 JESU vero Christi nativitas ita fuit: Quum enim
mater ejus Maria desponsa esset Josepho, prius-
quam ipsi convenissent, inventa est gravida
19 esse e Spiritu Sancto. Porro Josephus vir ejus,
quum esset justus, et nollet eam ignominiæ ex-
20 ponere, voluit clam eam dimittere. Hæc autem
quum in animum induxisset, ecce, angelus Do-
mini in somnio apparuit ei, dicens, Josephe, fili
Davidis, ne metue accipere Mariam uxorem tuam:
nam quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto
21 est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus
JESUM: ipse enim liberabit populum suum ex
peccatis ipsius.
22 (Totum hoc autem factum est, ut impleretur
23 quod ait Dominus per prophetam, dicentem, Ecce,
virgo illa erit gravida, et pariet filium,
et vocabis nomen ejus Emmanuel (Es. 7, 14);
quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus.)
24 Experrectus autem Josephus ex somno, fecit
ut ei imperarat angelus Domini, et accepit uxo-
25 rem suam. Sed non cognovit eam quousque

peperisset filium illum suum primogenitum: vocavitque nomen ejus Jesum.

2 NATO autem Jesu Bethleemæ *quæ est* Judææ, temporibus Herodis regis, ecce, magi ab oriente
2 advenerunt Hierosolymam, dicentes, Ubi est ille rex Judæorum qui natus est? vidimus enim ejus stellam in oriente, et venimus ut adoremus eum.
3 His autem auditis, Herodes rex turbatus est,
4 et tota Hierosolyma cum eo. Et congregatis omnibus primariis sacerdotibus, et scribis populi, percontatus est ab eis ubi Christus ille nasciturus esset.
5 At illi dixerunt ei, Bethleemæ *quæ est* Judææ:
6 sic enim scriptum est per prophetam, Et tu Bethleema terra Juda, nequaquam minima es inter duces Judae: ex te enim exibit dux qui pascet populum illum meum Israel (Mich. 5, 2).
7 Tum Herodes, clam vocatis magis, exquisivit
8 ab eis, quo tempore stella apparuisset. Et, eis Bethleemam dimissis, dixit, Profecti, penitus exquirite de puerulo illo: postquam autem *illum* inveneritis, denunciate mihi, ut et ego veniam et adorem eum.
9 Ipsi vero, audito rege, profecti sunt: et ecce, stella, quam viderant in oriente, præibat eis, donec venit stetitque supra *locum in* quo erat
10 puerulus ille. Visa autem stella, gavisi sunt
11 gaudio magno valde: et ingressi domum, invenerunt puerulum cum Maria matre ipsius; et prostrati adoraverunt eum: apertisque thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, et thus, et
12 myrrham. Et divinitus admoniti in somnio ne reverterentur ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam.
13 Ipsis autem regressis, ecce, angelus Domini

apparet in somnio Josepho, dicens, Experrectus accipe puerulum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum; et esto illic usquedum dixero tibi: futurum est enim, ut Herodes quærat puerulum,
14 ad eum perdendum. Ille vero experrectus accepit puerulum et matrem ejus nocte, et secessit in
15 Ægyptum. Et fuit illic usque ad obitum Herodis; ut impleretur quod ait Dominus per prophetam, dicentem, Ex Ægypto vocavi filium meum (Os. 11, 1).

16 Tum Herodes, quum vidisset *se* delusum fuisse a magis, excanduit valde; et missis *carnificibus* interemit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in omni confinio ejus, a bimulis et infra, se-
17 cundum tempus quod exquisierat ex magis. Tunc impletum fuit quod ait Dominus per Hieremiam
18 prophetam, dicentem, Vox in Rhama audita est, lamentatio, et fletus, et ejulatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolationem admittere, *de eo* quod non sint (Jer. 31, 15).

19 Quum autem obiisset Herodes, ecce, angelus Domini in somnio apparet Josepho in Ægypto,
20 dicens, Experrectus accipe puerulum et matrem ejus, et proficiscere in regionem Israelis: mortui
21 sunt enim qui petebant animam pueruli. Ille vero experrectus accepit puerulum et matrem
22 ipsius, et venit in regionem Israelis. Quum autem audisset Archelaum regnare in Judæa pro Herode patre eius, metuit illuc abire: verum divinitus admonitus in somnio, secessit in partes Galilææ.
23 Et quum eo venisset, habitavit in urbe quæ dicitur Nazaretha: ut impleretur quod dictum est per prophetas, Fore ut Nazaraeus vocaretur.

3 TEMPORIBUS autem illis adfuit Joannes Ba-
2 ptista, prædicans in deserto Judææ, dicensque,

Resipiscite; appropinquavit enim regnum cœlorum.
3 Nam hic est ille de quo dictum est per Esaiam
prophetam, dicentem, Vox vociferantis in
deserto, Parate viam Domini, complanate
calles ejus (Es. 40, 3).
4 Ipse vero Joannes habebat indumentum suum
e pilis camelinis, et zonam coriaceam circum
lumbos suos: alimentum autem ejus erat locustæ
et mel agreste.
5 Tunc exivit ad eum Hierosolyma, et tota Ju-
6 dæa, totaque regio circumjacens Jordani, et
baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes
peccata sua.
7 Quum vidisset autem multos ex Pharisæis et
Sadducæis venientes ad baptismum suum, dixit
eis: Progenies viperarum, quis vobis præmon-
8 stravit ut fugeretis a futura ira? Ferte igitur
9 fructus convenientes resipiscentiæ: et ne putate
vobis dicendum apud vos ipsos, Patrem habemus
Abrahamum: dico enim vobis, Deum posse etiam
10 ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo. Jam
vero etiam securis ad radicem arborum posita
est. Omnis igitur arbor non ferens fructum
11 bonum, exciditur, et in ignem abjicitur. Ego
quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam; is
vero qui pone me venit, validior me est, cujus
non sum dignus qui soleas portem; ipse vos
12 baptizabit Spiritu Sancto et igne. Cujus venti-
labrum *est* in manu sua, et *qui* perpurgabit
aream suam: et congregabit triticum suum in
horreum, paleam autem exuret igni inexstincto.
13 Tunc advenit Jesus a Galilæa ad Jordanem,
14 ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. At Joannes
obnixe prohibebat eum, dicens, Necesse habeo
15 ut a te baptizer, et tu venis ad me? Respon-
dens autem Jesus dixit ad eum, Omitte *me* nunc:

ita enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc omittit eum.

16 Et baptizatus Jesus ascendit statim ex aqua; et ecce, aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem quasi columbam, et venientem super
17 ipsum. Et ecce, vox *adfuit* e cœlis, dicens, Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.

4 TUNC Jesus subductus fuit in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.

2 Et quum jejunasset dies quadraginta et noctes
3 quadraginta, postea esuriit. Et quum venisset ad eum tentator, dixit, Si Filius es Dei, dic ut
4 isti lapides panes fiant. At ille respondens, dixit, Scriptum est, Non solo pane vivet homo, sed ex quovis verbo prodeunte per os Dei (Deut. 8, 3).

5 Tunc assumit eum diabolus in sanctam urbem,
6 et statuit eum super pinnas templi: dicitque ei, Si Filius es Dei, dejice teipsum deorsum; nam scriptum est, Angelis suis praecipiet de te, et *ipsi* attollent te in manus, nequando offendas ad lapidem pedem tuum (Ps. 91, 11).
7 Dixit ei Jesus, Vicissim scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum (Deut. 6, 16).

8 Rursum assumit eum diabolus in montem sublimem valde, et ostendit ei omnia regna mundi,
9 et gloriam eorum: dicitque ei, Hæc omnia tibi
10 dabo, si prostratus adoraveris me. Tunc dicit ei Jesus, Abi, Satana; scriptum est enim, Do-
11 minum Deum tuum adorabis, et illum solum coles (Deut. 6, 13).

Tunc missum fecit eum diabolus; et ecce, angeli accesserunt, et ministrabant ei.

12 QUUM audisset autem Jesus Joannem traditum
13 esse *in custodiam*, regressus est in Galilæam: et derelicta Nazareth, venit et habitavit in Capernaum

14 *urbe* maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim:
ut impleretur quod dictum est per Esaiam prophe-
15 tam, dicentem, Terra Zabulon, et terra
Nephthalim, *ad* viam maris secus Jor-
16 danem, Galilaea gentium: populus posi-
tus in tenebris vidit lucem magnam: et
positis in regione et umbra mortis lux
exorta est (Es. 9, 1. 2).
17 Ex eo tempore cœpit Jesus prædicare, et
dicere, Resipiscite; appropinquavit enim regnum
cœlorum.
18 Ambulans autem Jesus ad mare Galilææ, vidit
duos fratres, Simonem, qui dictus est Petrus, et
Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare:
19 (erant enim piscatores:) et dicit eis, Sequimini
20 me, et faciam vos piscatores hominum. Illi vero
statim, omissis retibus, secuti sunt eum.
21 Tunc progressus illinc, vidit alios duos fratres,
Jacobum filium Zebedæi, et Joannem fratrem
ejus, in navigio cum Zebedæo patre suo, sarcien-
22 tes retia sua; et vocavit eos. Illi autem statim
omisso navigio et patre suo secuti sunt eum.
23 OBIVIT autem totam Galilæam Jesus, docens
in synagogis ipsorum, et prædicans evangelium
regni, et sanans quemvis morbum et quemvis
24 languorem in populo. Et emanavit fama ipsius
in totam Syriam; et obtulerunt ei omnes male
affectos, variis morbis et cruciatibus detentos,
et dæmoniacos, et lunaticos, et paralyticos; sana-
vitque eos.
25 Et secuta est eum turba multa a Galilæa, ac
Decapoli, et Hierosolymis, et Judæa, et *regioni-
bus* trans Jordanem *sitis*.
5 Quum vidisset autem turbam, ascendit in mon-
tem; et quum consedisset, adierunt eum discipuli
2 ejus. Tunc aperto ore suo docebat eos, dicens,

3 Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est
regnum cœlorum.
4 Beati qui lugent: quoniam ipsi solamen re-
cipient.
5 Beati qui sunt mites: quoniam ipsi terram
hæreditario jure obtinebunt.
6 Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam: quoniam
ipsi saturabuntur.
7 Beati qui sunt misericordes: quoniam ipsis mi-
sericordia tribuetur.
8 Beati qui sunt mundi corde: quoniam ipsi
Deum videbunt.
9 Beati qui sunt pacifici: quoniam ipsi filii Dei
vocabantur.
10 Beati quos persequuntur *homines* justitiæ causa:
quoniam ipsorum est regnum cœlorum.
11 Beati eritis quum vos convitiis affecerint, et
persecuti fuerint, et mentientes dixerint quidvis
12 mali adversus vos, propter me. Gaudete et
exultate; quoniam merces vestra multa est in
cœlis: ita enim persecuti sunt prophetas qui
fuerunt ante vos.
13 Vos estis sal terræ. Quod si sal infatuatus
fuerit, quo salietur? ad nihil valet amplius, nisi
ut abjiciatur foras, et conculcetur a quibusvis.
14 Vos estis lux mundi. Non potest urbs occul-
15 tari supra montem posita. Neque accendunt
lucernam, et ponunt eam subter modium, sed in
candelabrum; et splendet omnibus qui sunt in
16 domo. Ita splendeat lux vestra coram homini-
bus, ut videant vestra bona opera, glorificentque
Patrem illum vestrum qui *est* in cœlis.
17 Ne existimate me venisse ut dissolvam legem,
aut prophetas: non veni ut *eam* dissolvam, sed
18 ut *eam* impleam. Amen quippe dico vobis,
Usquedum præterierit cœlum et terra, iota unum

aut unus apex nequaquam præterierit ex lege,
19 usquedum omnia facta fuerint. Quisquis igitur
solverit unum ex praeceptis hisce minimis, et ita
docuerit homines, minimus vocabitur in regno
cœlorum: quisquis autem fecerit et docuerit, iste
20 magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico enim
vobis, Nisi abundaverit vestra justitia amplius
quam *illa* scribarum et Pharisæorum, vos nequa-
quam ingressuros in regnum cœlorum.
21 Audistis dictum fuisse a veteribus, Non oc-
cides: quisquis autem occiderit, damnas erit ju-
22 dicii. Ego vero dico vobis, Quicunque irascitur
fratri suo temere, damnas erit judicii: quicunque
vero dixerit fratri suo, Raca, damnas erit con-
sessus: quisquis autem dixerit, Fatue, damnas erit
23 gehennæ ignis. Igitur, si munus tuum obtuleris
ad altare, et illic memineris fratrem tuum habere
24 aliquid contra te; relinque illic munus tuum ante
altare, et abi; primum reconciliator fratri tuo,
25 et tunc veni et offer munus tuum. Compone
cum adversario tuo cito, dum es in via cum eo:
nequando te tradat adversarius judici, et judex
te tradat ministro, et in custodia conjiciaris.
26 Amen dico tibi, Nequaquam exibis illinc, us-
quedum reddideris ultimum quadrantem.
27 Audistis dictum fuisse a veteribus, Non mœcha-
28 beris. Ego vero dico vobis, Quicunque aspicit
mulierem, ut eam concupiscat, jam adulteravit
29 eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter
facit ut tu offendas, erue eum, et abjice abs te:
expedit enim tibi ut pereat unum ex membris
tuis, ac non totum corpus tuum conjiciatur in
30 gehennam. Et, si dextera tua manus facit ut tu
offendas, exscinde eam, et abjice abs te: expe-
dit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, ac
non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.

31 Dictum est autem, Quisquis dimiserit uxorem
32 suam, det ei libellum abscessionis. Ego vero
dico vobis, Quisquis dimiserit uxorem suam, extra
rationem scortationis, facit ut ea mœchetur: et
quisquis dimissam duxerit, mœchatur.
33 Rursum audistis dictum fuisse a veteribus, Non
pejerabis, sed reddes Domino quæ tu juraveris.
34 Ego vero dico vobis, Ne jurate omnino: neque
35 per cœlum, quia thronus Dei est: neque per
terram, quia scabellum est pedum ejus; neque
per Hierosolyma, quia urbs est magni regis.
36 Neque per caput tuum jures, quia non potes
37 unum capillum album aut nigrum facere. Esto
autem sermo vester, Etiam, etiam, Non, non: quod
autem supra hæc redundat, ab illo improbo emanat.
38 Audistis dictum fuisse, Oculum pro oculo, et
39 dentem pro dente. Ego vero dico vobis, Ne
obsistite improbo; sed qui te cædet in dexteram
40 tuam maxillam, obverte ei et alteram: et ei qui
velit tecum contendere, ac tunicam tuam capere,
41 dimitte illi etiam pallium: et quisquis te anga-
42 riabit *ad* milliare unum, abi cum eo duo. Pe-
tenti abs te dato: et volentem mutuari abs te,
ne aversator.
43 Audistis dictum fuisse, Diliges proximum tuum,
44 et odio habebis inimicum tuum. Ego vero dico
vobis, Diligite inimicos vestros, benedicite iis
qui exsecrantur vos, benefacite iis qui oderunt
vos, et orate pro iis qui vobis sunt infensi,
45 et persequuntur vos: ut sitis filii Patris illius
vestri qui est in cœlis: facit enim ut sol suus
exoriatur super improbos ac bonos, et pluit super
46 justos et injustos. Nam si dilexeritis eos qui
diligunt vos, quam mercedem habebitis? nonne
47 et publicani idem faciunt? Et si complexi fueritis
fratres vestros solum, quid amplius facitis? nonne

48 et publicani ita faciunt? Estote igitur vos perfecti,
ut Pater vester ille, qui est in cœlis, perfectus est.
6 Attendite ne justitiam vestram exerceatis co-
ram hominibus, ut spectemini ab eis: alioqui mer-
cedem non habebitis apud Patrem vestrum qui
2 *est* in cœlis. Itaque quum præstabis eleemosynam,
ne curato buccina cani coram te, sicut hypocritæ
faciunt in synagogis et in plateis, ut gloriam
consequantur ab hominibus: amen dico vobis,
3 Perceptam habent mercedem suam. Quum vero
tu das eleemosynam, ne noverit sinistra tua quid
4 faciat dextera tua; ut sit tua eleemosyna in oc-
culto: Pater autem tuus, qui *te* aspicit in occulto,
reddet tibi in propatulo.
5 Et quum orabis, ne esto ut hypocritæ; amant
enim in conventibus et in angulis platearum
stantes orare, ut appareant hominibus: amen,
dico vobis, Perceptam habent mercedem suam.
6 Tu vero quum orabis, introito in conclave tuum;
et clauso ostio tuo, ora Patrem tuum in occulto;
et Pater tuus, qui *te* aspicit in occulto, reddet
tibi in propatulo.
7 Orantes autem ne eadem blaterate, ut Ethnici;
putant enim fore ut sua illa loquacitate exau-
8 diantur. Ne igitur ipsis assimilamini: novit enim
Pater ille vester quibus sit vobis opus, antequam
vos petatis ab eo.
9 Vos igitur ita orate: Pater noster, qui *es* in
10 cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum
tuum; fiat voluntas tua, ut in cœlo, *ita* etiam
11 in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis
12 hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut et
13 nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos
inducas in tentationem, sed libera nos ab illo
improbo. Quia tuum est regnum, et potentia,
et gloria, in secula. Amen.

14 Nam si remiseritis hominibus ipsorum offensas,
15 remittet etiam vobis Pater ille vester cœlestis: sin
autem non remiseritis hominibus ipsorum offensas,
nec Pater vester remittet vobis offensas vestras.
16 Quum autem jejunatis, ne estote, ut hypocritæ,
tetrico vultu: deformant enim facies suas, ut
appareant hominibus jejunare: amen dico vobis,
17 Retulerunt mercedem suam. Tu vero, quum
jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava;
18 ut ne appareas hominibus jejunare, sed Patri
tuo, qui *est* in occulto; et Pater tuus, qui *te*
aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo.
19 Ne thesauros recondite in terra, ubi tinea et
erosio corrumpit, et ubi fures perfodiunt ac
20 furantur. Sed recondite vobis thesauros in cœlo,
ubi neque tinea neque erosio corrumpit, et ubi
21 fures non perfodiunt, neque furantur. Nam ubi
est thesaurus vester, illic erit etiam cor vestrum.
22 Lucerna corporis est oculus: itaque si oculus tuus
simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit;
23 sin autem oculus tuus improbus fuerit, totum cor-
pus tuum tenebrosum erit. Ergo si lumen, quod est
24 in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Nemo
potest duobus dominis servire; aut enim unum
habebit odio, et alterum diliget; aut uni ad-
hærebit, et alterum contemnet. Non potestis
Deo servire et mammonæ.
25 Propterea dico vobis, Ne estote soliciti de
anima vestra, quid esuri sitis, aut quid bibituri;
neque de corpore vestro, qua re sitis induendi.
Nonne anima plus est quam alimentum, et corpus
26 quam indumentum? Intuemini in volucres cœli;
non enim serunt, neque metunt, neque cogunt in
horrea; sed Pater ille vester cœlestis alit eas:
27 nonne vos multo præstatis eis? Quis autem ex
vobis solicite cogitando potest apponere ad

28 staturam suam cubitum unum? Ac de indumento
quid soliciti estis? discite quomodo lilia agrorum
29 augescant: non fatigantur, neque nent. Sed dico
vobis, Ne Solomon quidem cum universa gloria
30 sua sic amictus fuit ut unum ex istis. Quod si
herbam agri, quæ hodie exstat, et cras in cli-
banum immittitur, Deus ita circumvestit; nonne
31 vos multo magis, o exigua fide prædíti? Ne
igitur estote soliciti, dicentes, Quid edemus, aut
32 quid bibemus, aut quo amiciemur? (nam omnia
ista gentes requirunt:) novit enim Pater ille
33 vester cœlestis vos indigere his omnibus. Sed
quærite primo regnum Dei, et justitiam ejus; et
34 ista omnia adjicientur vobis. Ne igitur estote
soliciti de crastino: nam crastinus *dies* solicitus
erit de *rebus* suis: sufficit diei suum malum.

7 Ne judicate, ut ne judicemini. 2 Quo enim
judicio judicatis, *eo* judicabimini: et qua mensura
3 metimini, *eadem* contra metientur vobis. Quid
autem adspicis festucam quæ est in oculo fratris
tui; trabem vero quæ est in oculo tuo non ani-
4 madvertis? aut quomodo dices fratri tuo, Sine
ejiciam festucam ex oculo tuo; et ecce trabes
5 in oculo tuo? hypocrita, ejice primum trabem
illam ex oculo tuo, et tum dispicies ut ejicias
festucam ex oculo fratris tui.

6 Ne date *quod* sanctum *est* canibus, nec pro-
jicite margaritas vestras coram porcis; nequando
conculcent eas pedibus suis, et conversi lacerent
vos.

7 Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis:
8 pulsate, et aperietur vobis. Quisquis enim petit,
accipit: et qui quærit, invenit: et ei qui pulsat,
9 aperietur. Nam quis est ex vobis homo, qui, si
filius ejus petierit ab eo panem, det ei lapidem?
10 et, si piscem petierit, num serpentem dabit ei?

11 Si vos igitur, qui improbi estis, nostis dona bona
dare liberis vestris, quanto magis Pater ille
vester, qui est in cœlis, dabit bona iis qui pe-
tierint ab ipso?
12 Quæcunque igitur volueritis ut faciant vobis
homines, ita et vos facite eis: ista enim est lex
et prophetæ.
13 Introite per angustam portam: quoniam lata
est porta, et spatiosa via, quæ abducit in ex-
14 itium, multique sunt qui introeunt per eam. Quia
angusta *est* porta, et stricta via, quæ ducit ad
vitam; et pauci sunt qui inveniant eam.
15 Cavete vero vobis a pseudoprophetis, qui ve-
niunt ad vos cum indumentis ovium, sed intrin-
16 secus sunt lupi rapaces. A fructibus eorum
agnoscetis eos. Num colligunt ex spinis uvam,
17 aut ex tribulis ficus? Ita omnis arbor bona fert
fructus bonos; putris autem arbor fert fructus
18 putres. Non potest arbor bona fructus malos
edere, neque arbor mala fructus bonos edere.
19 Quæcunque arbor non fert fructum bonum, ex-
20 ciditur, et in ignem conjicitur. Nempe igitur ex
fructibus ipsorum agnoscetis eos.
21 Non quisquis dicit mihi, Domine, Domine, in-
troibit in regnum cœlorum; sed qui facit quod
22 vult Pater meus, qui in cœlis est. Multi dicent
mihi die illo, Domine, Domine, nonne *per* nomen
tuum prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia
ejecimus, et *per* nomen tuum multas virtutes
23 edidimus? Tunc autem profitebor eis, Certe nun-
quam novi vos: abscedite a me qui operam datis
iniquitati.
24 Quisquis igitur audit ex me sermones istos, et
eos præstat, assimilabo eum viro prudenti, qui
25 ædificavit domum suam super petram: decidit
autem nimbus et venerunt flumina, et flaverunt

venti, et inciderunt domui illi: sed non cecidit,
26 fundata enim fuerat super petram. Et quisquis audit ex me hos sermones, et eos non præstat, assimilabitur viro fatuo, qui ædificavit domum
27 suam super arenam: descendit autem pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et impegerunt in domum illam; et cecidit, et fuit casus ejus magnus.
28 FACTUM est autem, quum finisset Jesus sermones istos, ut percelleretur turba super doctrina
29 ipsius. Docebat enim eos ut habens auctoritatem, non autem ut scribæ.

8 DESCENDENTEM autem eum e monte, secuta est turba multa.
2 Et ecce, leprosus venit et adoravit eum, dicens, Domine, si velis, potes me purificare.
3 Extensaque manu tetigit eum Jesus, dicens, Volo, purificator. Statim igitur purificata fuit ejus lepra.
4 Tunc dicit ei Jesus, Vide *ut* nulli dicas: sed abi, ostende te sacerdoti, et offer donum illud quod imperavit Moses, *ut hoc sit* eis testimonio.
5 INGRESSUM autem Jesum Capernaumam adiit
6 centurio, precans eum, et dicens, Domine, puer meus projectus est domi paralyticus, et vehementer torquetur. Tunc dicit ei Jesus, Ego veniam et sanabo eum.
8 Et respondens centurio dixit, Domine, non sum dignus ut sub tectum meum ingrediaris; sed
9 solum loquere, et sanabitur puer meus: etenim ego sum homo sub *alterius* auctoritate *constitutus*, habens sub me milites: et dico huic, Proficiscere, et proficiscitur; et alteri, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit.
10 *Hæc* autem quum audisset Jesus, miratus est; et dixit iis qui sequebantur, Amen dico vobis,

11 Ne in Israel quidem tantam fidem inveni. Dico
autem vobis, Multos ab oriente et occidente
venturos, et discubituros cum Abrahamo, et
12 Isaaco, et Jacobo, in regno cœlorum: filios vero
regni ejectum iri in tenebras illas extimas: illic
13 erit fletus, et stridor dentium. Et dixit Jesus
centurioni, Abi: et, ut credidisti, fiat tibi. Sana-
tusque est puer ejus eo ipso momento.
14 Et quum venisset Jesus domum Petri, vidit
socrum ejus in lecto projectam, et febricitantem.
15 Tetigitque manum ejus, et dimisit eam febris:
et surrexit, ac ministravit eis.
16 Quum autem serum *diei* esset, obtulerunt ei
dæmoniacos multos: et ejecit spiritus verbo,
17 omnesque male affectos sanavit: ut impleretur
quod dictum est per Esaiam prophetam, dicen-
tem, Ipse infirmitates nostras accepit,
ac morbos portavit (Es. 53, 4).
18 QUUM vidisset autem Jesus turbam multam
circum sese, jussit ut abiretur in ulteriorem
ripam.
19 Et quum accessisset quidam scriba, dixit ei,
20 Magister, sequar te quocunque abieris. Tunc
dicit ei Jesus, Vulpes habent lustra, et volucres
cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi
caput reclinet.
21 Alius autem ex discipulis dixit ei, Domine,
permitte mihi primum abire, et sepelire patrem
22 meum. Jesus autem dixit ei, Sequere me, et
sine ut mortui sepeliant mortuos suos.
23 Et quum ipse esset ingressus navigium, secuti
24 sunt eum discipuli ejus. Et ecce, succussio
magna facta est in mari, adeo ut navis operi-
25 retur fluctibus; ipse vero dormiebat. Et acce-
dentes discipuli excitaverunt eum, dicentes, Do-
26 mine, serva nos, perimus. *Ipse* vero dixit eis,

Quid formidolosi estis, exigua fide prædíti? Tunc
experrectus objurgavit ventos et mare; et facta
27 est tranquillitas magna. Homines autem illi
mirati sunt, dicentes, Qualis est iste, quod venti
quoque et mare auscultant ei?
28 Et quum venisset ipse ad ulteriorem ripam,
in regionem Gergesenorum, occurrerunt ei duo
dæmoniaci, e monumentis prodeuntes, sævi valde,
adeo ut non valeret quisquam præterire per viam
29 illam. Et ecce, clamarunt, dicentes, Quid nobis
rei est tecum, Jesu, Fili Dei? venisti huc ut
torqueres nos ante constitutum tempus?
30 Erat autem longe ab eis grex porcorum mul-
31 torum pascens. Dæmones vero precabantur eum,
dicentes, Si ejicis nos, permitte nobis abire in
32 gregem porcorum illorum. Et ait eis, Abite.
Illi vero egressi abierunt in illum gregem por-
corum: et ecce, ruit totus ille grex porcorum e
præcipitio in mare, et mortui sunt in aquis.
33 Pastores autem fugerunt: et quum abiissent in
urbem, renunciarunt omnia, et quæ dæmoniacis
34 facta fuerant. Et ecce, tota urbs illa exivit in
occursum Jesu; et quum vidissent eum, rogarunt
ut digrederetur a finibus ipsorum.
9 INGRESSUS igitur navigium, trajecit, et venit
in suam urbem.
2 Et ecce, obtulerunt ei paraliticum in lecto
projectum; quumque vidisset Jesus fidem eorum,
dixit paralytico, Confide, fili, remissa sunt tibi
peccata tua.
3 Et ecce, quidam e scribis dicebant apud se,
Iste blasphemat.
4 Et quum vidisset Jesus cogitationes eorum,
dixit, Quid cogitatis mala in cordibus vestris?
5 Utrum enim est facilius, dicere, Remissa sunt
6 tibi peccata, an dicere, Surge et ambula? Ut

autem sciatis auctoritatem habere Filium hominis in terra remittendi peccata, (tunc dicit paralytico,) Surge, attolle tuum lectum, et abi domum tuam.
7 Tunc *ille* surrexit, abiitque domum suam.
8 Turba vero quum *hoc* vidisset, mirata est, et glorificavit Deum, qui dedisset talem auctoritatem hominibus.
9 Et progrediens Jesus illinc, vidit quendam sedentem ad telonium, qui Matthæus dicebatur, et dixit ei, Sequere me. Et *is* surgens secutus est eum.
10 Et ecce, factum est, quum Jesus accumberet domi *illius*, ut multi publicani et peccatores, qui venerant, simul accumberent cum Jesu et discipulis ejus. Quum autem *id* vidissent Pharisæi,
11 dixerunt discipulis ejus, Quare cum publicanis et peccatoribus edit Magister ille vester?
12 Jesus autem quum *hoc* audisset, dixit eis, Iis qui valent non est opus medico, sed iis qui male
13 *se* habent. Ite vero et discite quid sit, Miserationem volo, et non sacrificium: non enim veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam.
14 Tunc adeunt eum discipuli Joannis, dicentes, Quare nos et Pharisæi multum jejunamus, discipuli vero tui non jejunant? Et dixit eis Jesus,
15 Num possunt filii thalami lugere, quamdiu cum eis est sponsus? Aderunt autem dies, quum tollete ab eis sponsus, et tunc jejunabunt. Nullus
16 autem indit panniculum novum in vestimentum vetus; illud enim ipsius supplementum tollit *ali-*
17 *quid* ex illo vestimento, et fit pejor fissura. Neque injiciunt vinum novum in utres veteres: alioqui rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt: sed injiciunt vinum novum in utres recentes, et utraque conservantur.
18 Hæc eo loquente ipsis, ecce, quidam præse-

ctus *synagogæ* venit, et adoravit eum, dicens,
Filia mea modo obiit: sed veni, et impone manum
19 tuam super eam, et vivet. Tunc surgens Jesus
secutus est eum, et discipuli ejus.
20 (Et ecce, mulier sanguinis profluvio laborans
a duodecim annis, accedens a tergo, tetigit fim-
21 briam vestimenti illius. Dicebat enim apud se,
Si solum tetigero vestimentum ejus, liberabor.
22 Jesus vero conversus, et intuitus eam, dixit,
Confide, filia; fides tua te liberavit. Et liberata
fuit mulier ab eo momento.)
23 Et quum venisset Jesus domum præfecti *sy-*
nagogæ, vidissetque tibicines et turbam tumul-
24 tuantem, dicit eis, Secedite; non enim mortua
est puella, sed dormit. Et deridebant eum.
25 Quum autem fuisset ejecta turba, ingressus pre-
hendit manum ejus; et surrexit adolescentula.
26 Et exiit hæc fama in totam illam regionem.
27 Et progressum illinc Jesum secuti sunt duo
cæci, clamantes, et dicentes, Miserere nostri,
Fili David.
28 Quum autem venisset domum, adierunt eum
cæci illi, et dicit eis Jesus, Creditis me hoc posse
29 facere? Dicunt ei, Etiam, Domine. Tunc tetigit
oculos eorum, dicens, Secundum fidem vestram
30 fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum: et gra-
viter interminatus est eis Jesus, dicens, Videte
31 nemo sciat. At illi egressi sparserunt ejus fa-
mam in tota illa regione.
32 Ipsis autem egredientibus, ecce, obtulerunt ei
33 hominem mutum, dæmoniacum. Et ejecto dæ-
monio, locutus est mutus: et mirata est turba,
dicens, Nunquam apparuit tale quidpiam in Is-
34 rael. Pharisæi vero dicebant, Per principem
dæmoniorum ejicit dæmonia.
35 Et peragrabat Jesus urbes omnes ac vicos,

docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni, et sanans quemvis morbum, et quemvis languorem in populo.
36 Quum vidisset autem turbam, commiseratione intima commotus est super eis, quod essent dissipati et disjecti quasi oves non habentes pasto-
37 rem. Tunc dicit discipulis suis, Ipsa quidem
38 messis multa, operarii autem pauci. Deprecamini igitur Dominum messis, ut emittat operarios in messem suam.
10 Tunc advocatis duodecim discipulis suis, dedit eis auctoritatem adversus spiritus impuros, ut ejicerent eos, et sanarent quemvis morbum et quemvis languorem.
2 Porro duodecim apostolorum nomina sunt hæc: Primus, Simon qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus; Jacobus *filius* Zebedæi, et Joannes
3 frater ejus; Philippus, et Bartholomæus; Thomas, et Matthæus ille publicanus; Jacobus *filius* Al-
4 phæi, et Lebbæus cognominatus Thaddæus; Simon Cananites, et Judas Iscariotes, qui etiam prodidit eum.
5 Hos duodecim misit Jesus, et addidit eis mandata, dicens, In viam gentium ne abieritis, et in
6 urbem Samaritanorum ne ingrediamini: sed proficiscimini potius ad oves perditas domus Is-
7 rael. Iter facientes vero proclamate, dicentes,
8 Appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, leprosos purificate, mortuos suscitate, dæ-
9 monia ejicite: dono accepistis, dono date. Ne comparate aurum, neque argentum, neque æs in
10 zonis vestris: neque peram ad iter, neque binas tunicas, neque soleas, neque baculum: nam dignus est operarius alimento suo.
11 In quamcunque vero urbem aut vicum introieritis, exquirite quis in ea sit dignus: et illic

12 manete usquedum exeatis. Introeuntes autem
13 domum, salutate eam. Et si quidem fuerit domus digna, venito pax vestra super eam: sin autem non fuerit digna, pax vestra ad vos re-
14 vertitor. Et quicunque non exceperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes domo aut urbe illa, excutite pulverem pedum vestrorum.
15 Amen dico vobis, Tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam urbis ilius.
16 Ecce, ego mitto vos ut oves in medium luporum: estote igitur prudentes ut serpentes, et
17 simplices ut columbæ. Cavete vero ab hominibus: tradent enim vos in consessus, et in con-
18 ventibus suis flagellabunt vos. Sed et ad præsides ac reges ducemini mea causa, *ut hoc sit* eis et gentibus testimonium.
19 Sed quum tradent vos, ne estote soliciti quo-
20 modo aut quid loquamini: dabitur enim vobis illo momento quod loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri *is est* qui loquitur in vobis.
21 Tradet autem frater fratrem ad mortem, et pater filium: et insurgent liberi in parentes, et
22 morte mulctandos eos curabunt. Et eritis exosi omnibus propter nomen meum: verum qui substiterit ad finem usque, is servabitur.
23 Quum autem persequentur vos in ea urbe, fugite in aliam. Amen enim dico vobis, Nequaquam obieritis urbes Israelis, quin venerit Filius hominis.
24 Non est discipulus supra magistrum, neque
25 servus supra dominum suum. Sufficiat discipulo ut fiat sicut magister ipsius, et servo *ut sit* sicut dominus ipsius. Si ipsum patremfamilias Beelzebulem vocarunt, quanto magis domesticos ejus?

26 Itaque ne ipsos metuite: nihil enim est opertum, quod non detegatur; et *nihil* occultum,
27 quod non innotescat. Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: et quod in aurem auditis, prædicate in solariis.
28 Et ne metuite *vobis* ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed metuite potius eum qui potest et animam et cor-
29 pus perdere in gehenna. Nonne duo passerculi assario veneunt? et unus ex eis non cadet in
30 terram sine Patre vestro. Vestri vero etiam ca-
31 pilli capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuite: multis passerculis præstatis vos.
32 Quisquis igitur agnoscet me coram hominibus, agnoscam et ego eum coram Patre meo qui est
33 in cœlis: quisquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum et ego coram Patre meo qui est in cœlis.
34 Ne existimate me venisse immissurum pacem in terram: non veni immissurus pacem, sed gla-
35 dium. Nam veni facturus ut dissideat filius a patre suo, et filia a matre sua, et nurus a socru
36 sua. Et inimici hominis *erant qui sunt* dome-
37 stici sui. Qui amat patrem aut matrem supra me, non est me dignus: et qui amat filium aut
38 filiam supra me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, ac pone me sequitur,
39 non est me dignus. Qui invenerit animam suam, perdet eam: et qui perdiderit animam suam mea causa, inveniet eam.
40 Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit,
41 recipit eum qui misit me. Qui recipit prophetam nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: et qui recipit justum nomine justi, merce-
42 dem justi accipiet. Et quicunque potum dederit uni ex his parvis poculum frigidæ solum, nomine

discipuli, amen dico vobis, non perdiderit mercedem suam.

11 ET factum est, quum finem fecisset Jesus præcipiendi duodecim discipulis suis, ut digressus illinc doceret, et prædicaret in urbibus eorum.

2 Joannes autem, quum audisset in vinculis opera Christi, missis duobus ex discipulis suis,
3 dixit ei, Tune is es qui venturus eras, an alium expectabimus?

4 Et respondens Jesus dixit eis, Ite et enunciate
5 Joanni quæ auditis et conspicitis: cæci visum recipiunt, et claudi ambulant, leprosi purificantur, et surdi audiunt, mortui suscitantur, et pauperi-
6 bus evangelizatur: et beatus est qui non fuerit offensus in me.

7 Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere turbæ de Joanne, Quid exiistis in desertum
8 spectaturi? arundinem a vento agitatam? Sed quid exiistis visuri? hominem mollibus vestibus amictum? ecce, qui gerunt molles vestes, in do-
9 mibus regum sunt. Sed quid exiistis visuri? prophetam? certe dico vobis, etiam amplius quam
10 prophetam. Iste enim est de quo scriptum est, Ecce, ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui apparabit viam tuam co-
11 ram te (Mal. 3, 1). Amen dico vobis, Non est suscitatus inter genitos e mulieribus quisquam major Joanne Baptista: sed qui est minimus in
12 regno cœlorum, major eo est. Porro a diebus Joannis Baptistæ usque nunc, regno cœlorum
13 vis affertur, et violenti rapiunt illud. Nam omnes prophetæ et ipsa lex usque ad Joannem prophe-
14 tarunt. Et, si vultis *hoc* recipere, ipse est Elias
15 ille, qui venturus erat. Qui habet aures ad
16 audiendum, audiat. Sed cui assimilabo gentem istam? Similis est puerulis qui sedent in foris,

17 et acclamant sodalibus suis, ac dicunt, Tibiis
cecinimus vobis, et non saltastis: lamentati sumus
18 vobis, et non planxistis. Venit enim Joannes
nec edens nec bibens, et aiunt, Dæmonium habet.
19 Venit Filius hominis edens ac bibens, et dicunt,
Ecce homo edax et vini potor, publicanorum
amicus et peccatorum. Sed justificata est sapien-
tia a filiis suis.

20 Tunc cœpit cum exprobratione arguere civitates
in quibus editæ fuerant plurimæ virtutes ipsius,
21 quod non resipuissent, *dicens*, Væ tibi, Chora-
zin; væ tibi, Bethsaidan: nam si Tyri et Sidoni
editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud vos,
olim cum sacco et cinere *sedentes* resipuissent.
22 Quinetiam dico vobis, Tyro et Sidoni tolera-
bilior erit conditio in die judicii quam vestra.
23 Et tu, Capernaum, quæ es usque ad cœlum sub-
lata, usque ad inferos deprimeris: nam si Sodo-
mis editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud
24 te, mansissent usque ad hodiernum diem. Quin-
etiam dico vobis, Terrae Sodomorum tolerabilior
erit conditio in die judicii quam tua.

25 Illo autem ipso temporis momento respondens
Jesus dixit, Gloriam tibi tribuo, Pater, Domine
cœli et terræ, quod hæc occultaveris a sapien-
tibus et intelligentibus, et ea detexeris infan-
26 tibus. Etiam, Pater, quia ita libuit apud te.
27 Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: et nemo
novit Filium nisi Pater; neque Patrem quisquam
novit nisi Filius, et cuicunque voluerit Filius
28 *eum* retegere. Venite ad me omnes qui fatigati
estis et onerati, et ego faciam ut requiescatis.
29 Attollite jugum meum in vos, et discite a me,
quod lenis sim et summissus corde: et invenie-
30 tis requiem animabus vestris. Jugum enim meum
facile est, est onus meum leve est.

12 EO *vero* tempore ibat Jesus sabbato per sata: discipuli vero ipsius esuriebant, cœperuntque
2 vellere spicas et edere. Pharisæi vero, quum *hoc* vidissent, dixerunt ei, Ecce, discipuli tui
faciunt quod non licet facere sabbato.
3 Ipse autem dixit eis, Non legistis quid fecerit
David, quum esuriret ipse, et qui erant cum eo?
4 quomodo introierit domum Dei, et panes proposititios ederit, quibus vesci non erat ipsi licitum, neque iis qui cum eo erant, sed sacer-
5 dotibus solis? Aut non legistis in lege, sabbatis
sacerdotes in templo sabbatum profanare, et in-
6 culpabiles esse? Dico autem vobis, *Quendam*
7 templo majorem hic esse. Quod si nossetis quid
sit, Misericordiam volo, et non sacrificium, non
8 condemnassetis inculpabiles. Nam Dominus est
etiam sabbati Filius hominis.
9 Et digressus illinc, venit in synagogum eorum.
10 Et ecce, quidam *illic* erat manum habens aridam: et interrogarunt eum dicentes, Licetne
sabbatis *quempiam* sanare? ut accusarent eum.
11 Ipse vero dixit eis, Quis erit ex vobis qui habeat ovem unam, et, si ea inciderit sabbato in
12 foveam, non apprehendat eam et erigat? Quantum autem homo præstat ovi? Itaque licet sabbatis benefacere.
13 Tunc dicit homini illi, Protende manum tuam.
Et *is* extendit; estque restituta sana ut altera.
14 Pharisæi vero egressi ceperunt consilium ad-
15 versus eum, ut eum perderent. Jesus autem
quum *hoc* nosset, secessit illinc, secutaque est
16 eum turba multa, sanavitque eos omnes. Et in-
terminatus est eis ne se manifestum facerent.
17 Ut impleretur quod dictum erat per Esaiam
18 prophetam, dicentem, Ecce servus ille meus,
quem elegi; dilectus ille meus, in quo

acquiescit anima mea: ponam Spiritum
meum super eum, et judicium gentibus
19 annunciabit. Non litigabit, neque cla-
mitabit, neque audiet quisquam in pla-
20 teis vocem ejus. Arundinem quassatam
non confringet, et linum fumigans non
extinguet, usquedum protulerit ad victo-
21 riam judicium. Et in ejus nomine gentes
sperabunt (Es. 42, 1—4).

22 TUNC oblatus est ei dæmoniacus cæcus et
mutus: et sanavit eum, adeo ut qui cæcus ac
23 mutus *fuerat*, et loqueretur et videret. Et ob-
stupuit tota turba, dicebatque, Nonne iste est
filius ille Davidis?

24 Pharisæi vero, quum *hæc* audissent, dicebant,
Iste non ejicit dæmonia nisi per Beelzebulem
principem dæmoniorum.

25 Jesus autem, quum sciret cogitationes eorum,
dixit eis, Omne regnum dissidens adversus sese
vastatur: et omnis urbs aut domus dissidens
26 adversus seipsam, non stabit. Sed si Satanas
Satanam ejicit, adversus seipsum dissidet: quo-
27 modo ergo stabit regnum ejus? et, si ego per
Beelzebulem ejicio dæmonia, filii vestri per quem
28 ejiciunt? propterea ipsi erunt vestri judices. Sin
autem per Spiritum Dei ego ejicio dæmonia,
nempe antevertens venit ad vos regnum Dei.
29 Nam quomodo potest aliquis ingredi domum
validi *alicujus*, et vasa ejus diripere, nisi primo
vinxerit validum illum; et tunc domum illius
30 diripiet. Qui non est mecum, adversum me est:
31 et qui non congregat mecum, spargit. Propterea
dico vobis, Quodvis peccatum et blasphemia
remittetur hominibus: blasphemia vero in Spiri-
32 tum non remittetur hominibus. Et quisquis lo-
cutus fuerit adversus Filium hominis, remittetur

ei; quisquis autem fuerit locutus adversus Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc
33 seculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem putrem, et fructum ejus putrem: nam e
34 fructu arbor cognoscitur. Progenies viperarum, quomodo possitis bona loqui, quum sitis improbi?
35 nam ex exundantia cordis os loquitur. Bonus homo e bono thesauro cordis profert bona: et malus homo ex malo thesauro profert mala.
36 Sed dico vobis, Quodcunque verbum otiosum locuti fuerint homines, de eo reddituros rationem
37 in die judicii. Ex sermonibus enim tuis justificaberis, et ex sermonibus tuis condemnaberis.
38 Tunc responderunt quidam e Scribis ac Pharisæis, dicentes, Magister, velimus ex te signum videre.
39 Ipse vero respondens dixit eis, Gens improba et adulterina signum requirit, sed signum non da-
40 bitur ei, nisi signum illud Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies et tres noctes, ita erit Filius hominis in corde terræ
41 tres dies et tres noctes. Ninevitæ resurgent in judicio cum gente ista, et condemnabunt eam: quod ipsi resipuerint ad præconium Jonæ; et
42 ecce, plus quam Jonas *est* in hoc loco. Regina Austri surget in judicio cum gente ista, et condemnabit eam: quod venerit ab ultimis terris, ut audiret sapientiam Solomonis; et ecce, plus quam
43 Solomon *est* in hoc loco. Cæterum quum impurus spiritus exierit a quopiam, transit per arida
44 loca, quærens requiem, et non invenit. Tunc dicit, Revertar domum meam, unde exivi. Et quum venit, invenit *eam* vacantem, versam, et
45 ornatam. Tunc abit et accipit secum septem alios spiritus improbiores quam ipse *sit*, et ingressi

habitant illic; fitque ultima conditio hominis illius deterior priore. Ita etiam erit genti isti improbæ.
46 Quum autem adhuc loqueretur turbæ, ecce, mater et fratres ejus adstiterunt foris, quærentes
47 ejus colloquium. Dixit autem ei quidam, Ecce, mater tua et fratres tui foris adstant, quærentes tuum colloquium.
48 Ipse vero respondens dixit illi qui *hoc* ei dixerat, Quæ est mater mea, et qui sunt fratres
49 mei? Et protensa manu sua in discipulos suos,
50 dixit, Ecce mater mea, et fratres mei: quisquis enim fecerit quod vult Pater ille meus qui est in cœlis, is est meus frater, et soror, et mater.
13 ILLO vero die egressus Jesus domo, sedit
2 apud mare. Et congregata est ad eum turba multa, adeo ut navigium ingressus sederet: tota autem turba in littore adstabat.
3 Et locutus est eis multa per parabolas, dicens,
4 Ecce, *quidam* sator exiit ad serendum. Et quum is seminaret, alia quidem ceciderunt secundum viam; et venerunt volucres, et excederunt ea.
5 Alia vero ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam; et statim exorta sunt, propterea quod non habebant profundam terram:
6 sole autem exorto, ardore tacta sunt, et propterea quod non habebant radicem, exaruerunt.
7 Alia vero ceciderunt in spinas; et ascenderunt
8 spinæ, et suffocarunt ea. Alia vero ceciderunt in terram bonam; et ediderunt fructum, aliud quidem centena, aliud vero sexagena, aliud vero
9 tricena. Qui habet aures ad audiendum, audiat.
10 Tunc accedentes discipuli dixerunt ei, Quare per parabolas loqueris eis?
11 Ipse vero respondens dixit eis, Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis
12 autem non est datum. Quisquis enim habet dabi-

tur ei, et amplius habebit; quisquis autem non
13 habet, etiam quod habet tolletur ab eo. Propterea per parabolas loquor eis; quia conspicientes non vident, et audientes non audiunt,
14 nec intelligunt. Itaque completur in ipsis prophetia Esaiæ, quæ dicit, Auditu audietis, et non intelligetis; et conspicientes
15 conspicietis, et non videbitis. Crassum factum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculis suis conniverunt: ne quando cernant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et se convertant, et sanem eos (Es. 6, 9. 10).
16 Vestri vero beati sunt oculi, quod videant; et
17 aures vestræ, quod audiant. Amen enim dico vobis, Multi prophetæ et justi desiderarunt conspicere quæ conspicitis, et non conspexerunt; et audire quæ auditis, et non audierunt.
18 Vos igitur audite parabolam ejus qui seminat.
19 Quoties quispiam audit sermonem de regno illo, et non attendit, venit ille Improbus, et rapit quod satum est in corde ipsius; is est qui se-
20 cundum viam semen excepit. Qui vero in petrosa semen excepit, is est qui sermonem audit,
21 et eum statim cum gaudio excipit: non habet autem radicem in sese, sed temporarius est; ortaque afflictione vel persecutione propter ser-
22 monem, statim offenditur. Qui vero in spinas semen excepit, is est qui sermonem audit: sed solicitudo seculi hujus, et seductio divitiarum
23 suffocat sermonem, qui sit fructus expers. Qui vero in terram bonam excepit semen, is est qui sermonem audit, et intelligentiam intendit: qui videlicet fructum fert, editque, alius quidem centena, alius sexagena, alius vero tricena.

24 Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Simile
est regnum cœlorum homini serenti bonum semen
25 in agro suo. Quum autem dormirent homines,
venit ejus inimicus, et sevit zizania inter tri-
26 ticum, et abiit. Quum vero germinasset herba,
et fructum edidisset, tunc apparuerunt etiam zi-
27 zania. Accedentes autem servi patrisfamilias,
dixerunt ei, Domine, nonne bonum semen sevisti
28 in tuo agro? unde ergo habet zizania? Ille vero
dixit eis, Inimicus quispiam hoc fecit. Servi
autem dixerunt ei, Vis igitur abeamus et colli-
29 gamus ea? At ille dixit, Non: ne colligendo
30 zizania, eradicetis simul cum eis triticum. Sinite
utraque simul crescere usque ad messem: et
præstituto tempore messis dicam messoribus,
Colligite primum zizania, et ligate ea in fasci-
culos, ad exurendum ea; triticum vero congre-
gate in horreum meum.
31 Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Simile
est regnum cœlorum grano sinapis, quod acce-
32 ptum quispiam sevit in agro suo: quod minimum
quidem est omnium seminum: quum autem ex-
creverit, maximum est olerum, et arborescit;
adeo ut veniant volucres cœli et nidulentur in
ramis ipsius.
33 Aliam parabolam locutus est eis, *dicens*, Si-
mile est regnum cœlorum fermento, quod acce-
ptum mulier condidit in farinæ sata tria, usquequo
fermentaretur tota.
34 Hæc omnia locutus est Jesus per parabolas
ad turbam; et absque parabola nihil locutus est
35 eis: ut compleretur quod dictum fuit per pro-
phetam, dicentem, Aperiam per parabolas
os meum: eructabo occultata a jacto fun-
damento mundi (Ps. 78, 2).
36 Tunc dimissa turba venit domum Jesus, et

adierunt eum discipuli ejus, dicentes, Edissere nobis parabolam zizaniorum agri illius.
37 Ipse vero respondens dixit eis, Qui seminat
38 bonum semen est Filius hominis: ager autem est mundus: bonum vero semen sunt filii regni:
39 zizania vero sunt filii illius Improbi: inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus: messis vero consummatio seculi est: messores autem
40 angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni exuruntur: ita erit in consummatione seculi
41 hujus. Mittet Filius hominis angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula, et
42 eos qui dant operam iniquitati; projicientque eos in fornacem ignis; illic erit fletus stridorque
43 dentium. Tunc justi fulgebunt ut sol in regno Patris sui. Qui habet aures ad audiendum, audiat.
44 Rursus, simile est regnum cœlorum thesauro occultato in agro: quem inventum quispiam occuluit, et præ gaudio quod accipit ex eo, subducit *sese*, et omnia quæ habet vendit, emitque agrum illum.
45 Rursus, simile est regnum cœlorum cuipiam
46 negotiatori, quærenti pulchras margaritas: qui inventa quadam magni pretii margarita, abiit, et venundedit omnia quæ habebat, et emit eam.
47 Rursum, simile est regnum cœlorum sagenæ jactæ in mare, et quæ res cujusvis generis con-
48 gregavit. Quam impletam *piscatores* subduxerunt in littus: et sedentes collegerunt quæ bona erant
49 in vasa; quæ vero putria, extra abjecerunt. Ita erit in consummatione seculi: prodibunt angeli,
50 et separabunt improbos e medio justorum; projicientque eos in caminum ignis: illic erit fletus et stridor dentium.
51 Dicit eis Jesus, Intellexistis hæc omnia? Di-

52 cunt ei, Etiam, Domine. Ipse vero dixit eis, Propterea omnis scriba edoctus in regno cœlorum, similis est cuipiam patrifamilias, qui profert e thesauro suo nova et vetera.

53 Et factum est, quum finivisset Jesus parabolas istas, ut solveret illinc.

54 Et quum venisset in patriam suam, docuit eos in synagoga eorum; *adeo* ut percellerentur, ac dicerent, Unde huic sapientia ista et virtutes?
55 nonne iste est ille fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et
56 Joses, et Simon, et Judas? et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? unde igitur isti hæc
57 omnia? Et offendebantur in eo.

Jesus autem dixit eis, Non est propheta in-
58 honoratus nisi in patria sua et domo sua. Neque edidit illic virtutes multas, propter incredulitatem eorum.

14 ILLO tempore audivit Herodes tetrarcha fa-
2 mam *de* Jesu: et dixit pueris suis, Iste est Joannes ille Baptista; ipse suscitatus est a mortuis, et propterea virtutes agunt in eo.

3 Nam Herodes prehensum Joannem vinxerat, et posuerat in carcerem, propter Herodiadem
4 uxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim ei
5 Joannes, Non licet tibi eam habere. Et quum cuperet eum interimere, metuebat turbam, quod
6 eum haberent ut prophetam. Quum autem agerentur natalitia Herodis, saltaverat filia Hero-
7 diadis in medio; et placuerat Herodi. Unde cum jurejurando spoponderat *se* daturum ei
8 quicquid petiisset. Illa vero producta a matre sua, Da mihi, inquit, hic in patina caput Jo-
9 annis Baptistæ. Et tristitia affectus fuerat rex: sed propter jusjurandum, et eos qui simul accum-
10 bebant, jusserat dari. Et misso *carnifice* de-

11 conaverat Joannem in carcere. Et allatum fue-
rat caput ejus in patina, datumque puellæ; et
12 *ipsa* obtulerat *illud* matri suæ. Et accedentes
discipuli ejus sustulerant corpus, et sepelierant
illud; et venientes renunciaverant Jesu.
13 *Hæc* igitur quum audisset Jesus, secessit illinc
navigio in desertum locum privatim; et quum
hoc audisset turba, pedibus secuta est eum ab
14 urbibus. Et egressus Jesus vidit multam turbam;
et intima commiseratione commotus est erga eos,
sanavitque male valentes eorum.
15 Quum autem serum diei esset, adierunt eum
discipuli ejus, dicentes, Desertus est locus, et
tempus jam præteriit; dimitte turbam, ut abeant
in vicos et emant sibi escas.
16 Jesus autem dixit eis, Non est illis necesse
abire; date eis vos quod edant.
17 Ipsi vero dicunt ei, Non habemus hic nisi
quinque panes et duos pisces.
18 Ipse autem dixit, Adferte mihi eos huc.
19 Et jussa turba per herbas discumbere, acceptis
quinque illis panibus ac duobus piscibus, suspi-
ciens in cœlum benedixit: et quum fregisset,
20 dedit discipulis panes, discipuli vero turbæ. Et
comederunt omnes, et saturati sunt: sustulerunt-
que quod superfuerat fragmentorum, duodecim
21 cophinos plenos. Qui autem ederant fuere viri
quasi quinquies mille, absque mulieribus ac
puerulis.
22 Et statim adegit Jesus discipulos suos inscen-
dere in navigium, et præire sibi in ripam alteram,
23 dum dimitteret turbam. Dimissa igitur turba,
ascendit in montem privatim, ad orandum: quum
autem serum diei esset, solus erat illic.
24 Navigium vero jam erat in medio mari, vexa-
tum a fluctibus: nam ventus erat contrarius.

25 Quarta autem noctis vigilia abiit ad eos Jesus,
26 ambulans super mare. Et eo viso super mare
ambulante, discipuli turbati sunt, dicentes, Spec-
27 trum est: et præ metu clamarunt. Sed statim
locutus est eis Jesus, dicens, Considite: ego sum;
ne metuite.
28 Respondens autem ei Petrus dixit, Domine,
si tu es, jube me ad te venire super aquas.
29 Ipse vero dixit, Veni. Et quum descendisset e
navigio Petrus, ambulavit super aquas, ut veniret
30 ad Jesum. Conspiciens autem ventum validum,
metuit: et quum cœpisset demergi, clamavit,
31 dicens, Domine, serva me. Statim vero Jesus,
extenta manu, apprehendit eum, dicitque ei,
Exigua fide prædite, quid dubitasti?
32 Et quum ipsi essent ingressi navigium, pacatus
33 fuit ventus. Qui autem erant in navigio, veni-
entes adoraverunt eum, dicentes, Vere Dei Fi-
lius es.
34 ET quum trajecissent, venerunt in terram Gen-
35 nesaret. Et quum agnovissent eum viri loci
illius, miserunt in totam circumjacentem illam
regionem; et obtulerunt ei omnes male affectos:
36 et precabantur eum, ut solum tangerent fimbriam
pallii ipsius: et quotquot tetigerunt, liberati sunt.
15 Tunc quidam *qui* Hierosolymis *advenerant*
scribæ et Pharisæi, adierunt Jesum, dicentes,
2 Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem
seniorum? non enim lavant manus suas, quum
edunt panem.
3 At ille respondens dixit eis, Quare et vos
transgredimini præceptum Dei per traditionem
4 vestram? Nam Deus præcepit, dicens, Honora
patrem tuum et matrem (Ex. 20, 12); et,
Qui maledixerit patri aut matri, morte
5 moriatur (Ex. 21, 17). Vos autem dicitis, Qui-

cunque dixerit patri aut matri, Donum *est* quo-
6 cunque a me juvari posses, *insons erit;* et ne-
quaquam honoraverit patrem suum aut matrem
7 suam. Et irritum fecistis præceptum Dei per
8 traditionem vestram. Hypocritæ, bene de vobis
prophetavit Esaias, dicens, Appropinquat mihi
populus hic ore suo, et labiis me honorat:
9 cor autem eorum procul distat a me. Sed
frustra me colunt, docentes doctrinas
quæ sunt præcepta hominum (Es. 29, 13).
10 Et advocata turba dixit eis, Audite, et intelligite.
11 Non quod ingreditur in os, polluit hominem:
sed quod egreditur ex ore, hoc polluit hominem.
12 Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei,
Nosti Pharisæos audito isto sermone offensos
fuisse?
13 Ipse vero respondens dixit, Omnis planta,
quam non plantavit Pater ille meus cœlestis,
14 eradicabitur. Omittite illos; sunt viæ duces cæci
cæcorum: quod si cæcus cæcum per viam duxerit,
ambo in foveam cadent.
15 Respondens autem Petrus dixit ei, Edissere
nobis parabolam istam.
16 Jesus autem dixit, Adhuc et vos intelligentia
17 caretis? nondum perpenditis, quicquid ingreditur
in os, in ventrem cedere, et in latrinam ejici?
18 quæ autem proficiscuntur ex ore, ex ipso corde
19 egrediuntur, et illa polluunt hominem. Nam ex
corde egrediuntur cogitationes improbæ, cædes,
adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia,
20 maledicta. Hæc sunt quæ polluunt hominem:
illotis autem manibus edere, non polluit hominem.
21 ET egressus illinc Jesus secessit in partes
Tyri et Sidonis.
22 Et ecce, mulier Chananæa a finibus illis egressa,
clamitavit, dicens ei, Miserere mei, Domine, Fili

23 Davidis! filia mea male a dæmonio vexatur. Ille vero non respondit ei quicquam. Tunc accedentes discipuli ejus rogarunt eum, dicentes, Dimitte eam; nam clamat post nos.
24 Ipse vero respondens dixit, Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel.
25 Illa autem venit et adoravit eum, dicens, Domine, succurre mihi!
26 Ipse vero respondens dixit, Non est bonum accipere panem liberorum, et objicere catellis.
27 Ipse autem dixit, Etiam, Domine: etenim catelli edunt ex micis, quæ cadunt e mensa dominorum suorum.
28 Tunc respondens Jesus dixit ei, O mulier, magna *est* fides tua: fiat tibi ut vis. Et sanata fuit filia ejus ab eo momento.
29 Et digressus illinc Jesus venit ad mare Galilææ: et quum ascendisset in montem, sedit illic.
30 Tunc venit ad eum turba multa, habens secum claudos, cæcos, mutos, mancos, et alios multos, et abjecerunt eos ad pedes Jesu: et sanavit eos:
31 *adeo* ut turba mirata sit, conspicientes mutos loquentes, mancos sanos, claudos ambulantes, cæcos videntes; et glorificarunt Deum Israelis.
32 Jesus autem advocatis discipulis suis dixit, Commoveor misericordia erga turbam; quia jam triduum permanent apud me, et non habent quod edant: et dimittere eos jejunos nolo, ne viribus deficiant in via.
33 Tunc dicunt ei discipuli ejus, Unde nobis in deserto tot panes ut saturemus turbam tantam?
34 Dicit igitur eis Jesus, Quot panes habetis? Illi autem dixerunt, Septem, et paucos pisciculos.
35 Tunc jussit turbam discumbere humi. 36 Et acceptos septem illos panes ac pisces, quum gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis; di-

37 scipuli vero turbæ. Comederuntque omnes, et saturati sunt: et sustulerunt quod superfuerat
38 fragmentorum septem sportas plenas. Erant autem qui comederant quater mille viri, absque mulieribus et puerulis.
39 TUNC dimissa turba inscendit in navigium, venitque in fines Magdala.
16 Et quum accessissent Pharisæi et Sadducæi, tentantes, rogarunt eum ut signum e cœlo ipsis ostenderet.
2 Ipse vero respondens dixit eis, Quando serum est dici, dicitis, Serenitas *erit;* rubet enim cœ-
3 lum. Et mane, Hodie *erit* tempestas; rubet enim cœlum triste. Hypocritæ, faciem quidem cœli nostis discernere, signa vero temporum
4 illorum non potestis? Gens improba et adulterina signum requirit: sed signum non dabitur ei, nisi signum illud Jonæ prophetæ.
Et derelictis ipsis abiit.
5 Et quum venissent discipuli ejus in ulteriorem ripam, obliti fuerant sumere panes.
6 Jesus autem dixit eis, Videte et cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum.
7 Ipsi vero disceptabant inter se, dicentes, Panes non sumpsimus.
8 *Id* autem quum nosset Jesus, dixit eis, Quid disceptatis inter vos, exigua fide præditi, quod
9 panes non sumpsistis? nondum perpenditis, neque memoria repetitis quinque illos panes *illorum* quinquies millium, et quot cophinos acceperitis?
10 neque septem illos panes quater mille *hominum*, et quot sportas acceperitis? quomodo non ani-
11 madvertitis me non dixisse vobis de pane, ut caveretis a fermento Pharisæorum et Sadducæorum?
12 Tunc intellexerunt eum non dixisse, ut cave-

rent a fermento panis, sed a *fermento* doctrinæ Pharisæorum et Sadducæorum.

13 QUUM venisset autem Jesus in partes Cæsareæ *quæ dicitur* Philippi, interrogavit discipulos suos, dicens, Quemnam esse me dicunt homines Filium hominis?

14 Illi vero dixerunt, Alii quidem, Joannem Baptistam; alii vero, Eliam; alii vero, Jeremiam, aut unum ex prophetis.

15 Dicit eis, Vos autem quem me dicitis esse?

16 Respondens vero Simon Petrus dixit, Tu es Christus, ille Filius Dei viventis.

17 Tunc respondens Jesus dixit ei, Beatus es, Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis *hoc* non detexit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.

18 Sed et ego tibi dico, Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo meam ecclesiam: et portæ
19 inferorum non superabunt eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum: et quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis; et quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlis.

20 Tunc interdixit discipulis suis, ut nemini dicerent se esse Jesum illum Christum.

21 Ex eo tempore cœpit Jesus indicare discipulis suis, oportere se abire Hierosolymam, et multa pati a senioribus et primariis sacerdotibus, et scribis, et interimi, et tertio die suscitari.

22 Et prehensum eum Petrus cœpit objurgare, dicens, Propitius tibi esto, Domine; nequaquam erit tibi istud.

23 At ille sese convertens dixit Petro, Abscede a me, Satana; offendiculo es mihi: nam non sapis quæ *sunt* Dei, sed quæ *sunt* hominum.

24 Tunc Jesus dixit discipulis suis, Si quis vult pone me venire, abdicet semetipsum, et attolat
25 crucem suam, ac sequatur me. Quisquis enim

voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam mea causa,
26 inveniet eam. Quid enim prodest cuipiam si totum mundum lucratus fuerit, anima vero sua mulctetur? aut quam dabit quispiam compen-
27 sationem animæ suæ? Futurum est enim, ut Filius hominis veniat cum gloria Patris sui, cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum
28 facta ipsius. Amen dico vobis, Sunt quidam ex his qui hic adstant, qui nequaquam gustabunt mortem, usquedum viderint Filium hominis venientem in regnum suum.

17 SEXTO vero post die assumit Jesus Petrum, ac Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et sub-
2 ducit eos privatim in montem sublimem. Transformatusque est coram eis: et fulsit facies ejus ut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba ut
3 lux. Et, ecce, conspecti sunt eis Moses et
4 Elias, cum eo colloquentes. Respondens autem Petrus dixit Jesu, Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, et Mosi unum, et Eliæ unum.

5 Adhuc eo loquente, ecce, nubes lucida inumbravit eos: et, ecce, vox e nube, dicens, Hic est Filius ille meus dilectus, ille in quo acquiesco: ipsum audite.

6 Et quum *hæc* audissent discipuli, ceciderunt
7 in faciem suam, et metuerunt vehementer. Tunc accedens Jesus tetigit eos, dixitque, Surgite, et
8 ne metuite. Sublatis autem oculis suis neminem viderunt, nisi Jesum solum.

9 Et quum descenderent de monte, præcepit eis Jesus, dicens, Nemini dixeritis quod vidistis, us-
10 quequo Filius hominis a mortuis resurgat.

Tunc interrogaverunt eum discipuli sui, dicentes, Quid igitur scribæ dicunt, oportere ut Elias

11 primum veniat? Jesus autem respondens dixit
eis, Elias quidem veniet primum, et restituet
12 omnia: sed dico vobis, Eliam jam venisse, quem
non agnoverunt, sed fecerunt ei quæcunque vo-
luerunt; ita futurum est, ut et Filius hominis
patiatur ab eis.
13 Tunc intellexerunt discipuli *eum* de Joanne
Baptista *hæc* ipsis dixisse.
14 ET quum venissent ad turbam, adiit eum qui-
15 dam, procidens ei ad genua, et dicens, Domine,
miserere filii mei, quoniam lunaticus est, et male
afficitur: nam sæpe cadit in ignem, et sæpe in
16 aquam. Et obtuli eum discipulis tuis, nec po-
tuerunt eum sanare.
17 Respondens autem Jesus dixit, Gens incredula
et perversa, quousque tandem ero vobiscum?
quousque tandem sufferam vos? adducite mihi
18 eum huc. Et increpavit dæmonium Jesus; exiit-
que illud ab eo; et sanatus est puer ab illo
momento.
19 Tunc adeuntes discipuli Jesum privatim, dixe-
runt, Quare nos non potuimus illud ejicere?
20 Jesus autem dixit eis, Propter incredulitatem
vestram: amen quippe dico vobis, Si habeatis
fidem quantulum *est* granum sinapi, dicetis huic
monti, Transgreditor hinc illuc; et transgredie-
21 tur: et nihil impossibile vobis erit. Hoc vero
genus *dæmoniorum* non egreditur nisi oratione
et jejunio.
22 Versantibus autem ipsius in Galilæa, dixit eis
Jesus, Futurum est ut Filius hominis tradatur in
23 manus hominum; et interiment eum, sed tertio
die suscitabitur. Et *discipuli* affecti fuerunt
tristitia vehementer.
24 QUUM autem venissent Capernaum, venerunt
ad Petrum qui didrachma accipiunt, dixerunt-

25 que, Magister vester non solvit didrachma? Dicit, Etiam.

Et quum ingressus fuisset domum, prævenit eum Jesus, dicens, Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributa sive cen-
26 sum? a filiis suis, an ab alienis? Dicit ei Petrus, Ab alienis. Ait ei Jesus, Nempe igitur liberi
27 sunt filii. Sed ne offendiculo simus eis, profectus ad mare, mitte hamum; et eum piscem, qui ascenderit primus, attolle: et aperto ejus ore invenies staterem: acceptum illum da eis pro me et *pro* te.

18 EO ipso tempore adierunt Jesum discipuli, dicentes, Quisnam maximus est in regno cœlorum?
2 Et quum advocasset puerulum Jesus, statuit
3 eum in medio eorum, et dixit, Amen dico vobis, Nisi vos converteritis, et fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.
4 Quisquis igitur summiserit sese *ut sit* sicut *est* puerulus iste, is est maximus ille in regno cœ-
5 lorum. Et quisquis exceperit aliquem puerulum
6 talem nomine meo, me excipit. Quisquis autem offendiculo fuerit uni ex parvis istis qui in me credunt, præstiterit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris.
7 Væ mundo ab offendiculis: necesse est enim ut eveniant offendicula: veruntamen væ homini
8 illi per quem offendiculum evenit. Si vero manus tua, vel pes tuus, facit ut tu offendas, exscinde ea, et abjice abs te: bonum est tibi in vitam ingredi claudum aut mancum, *potius* quam duas manus, vel duos pedes habentem, conjici
9 in ignem illum æternum. Et si oculus tuus facit ut tu offendas, erue eum, et abjice abs te: bonum est tibi luscum ingredi in vitam, *potius* quam duos oculos habentem, conjici in gehennam ignis.

10 Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis:
dico enim vobis, Angelos eorum in cœlis per
omne *tempus* cernere faciem Patris mei qui in
11 cœlis est. Venit enim Filius hominis ut servet
12 quod perierat. Quid vobis videtur? si fuerint
alicui homini centum oves, et erraverit una ex
iis, nonne relictis ipsis nonaginta novem, pro-
fectus in montes, quærit eam quæ aberraverat?
13 quod si acciderit ut inveniat eam, amen dico
vobis, gaudet super ea magis quam super illis
14 nonaginta novem quæ non aberrarant. Ita non
vult Pater vester qui in cœlis est, ut pereat
ullus ex parvis istis.
15 Si vero peccaverit in te frater tuus, ito, et
argue eum inter te et ipsum solum: si te audi-
16 erit, lucratus es fratrem tuum. Sin vero te non
audierit, assume tecum adhuc unum aut duos;
ut ex ore duorum aut trium testium confirmetur
17 res tota. Quod si neglexerit eos audire, dic
ecclesiæ: quod si ecclesiam audire neglexerit,
sit tibi velut qui *est* ethnicus et publicanus.
18 Amen dico vobis, Quæcunque ligaveritis in terra,
erunt ligata in cœlo; et quæcunque solveritis in
19 terra, erunt soluta in cœlo. Rursum dico vobis,
Si duo ex vobis consenserint in terra, de omni
re quam petierint, fiet eis a Patre meo qui in
20 cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congre-
gati in nomine meo, illic sum in medio eorum.
21 Tunc adiens eum Petrus dixit, Domine, quo-
ties peccabit in me frater meus, et remittam ei?
22 *an* usque septies? Dicit ei Jesus, Non dico
tibi, Usque septies, sed usque septuagies septies.
23 Propterea simile est regnum cœlorum regi,
24 qui voluit conferre rationem cum servis suis.
Et quum cœpisset conferre, oblatus est ei quidam
25 debitor decies mille talentorum. Quum autem

is non posset *hæc* reddere, jussit eum dominus
ejus venundari, et uxorem ejus, et liberos, et
26 omnia quæ habebat, et reddi *debitum*. Procidens ergo servus ille adorabat eum, dicens, Domine, patiente animo esto adversum me, et omnia
27 tibi reddam. Commotus autem intima commiseratione dominus servi illius, dimisit eum, et
28 mutuum remisit ei. Egressus vero servus ille invenit unum ex conservis suis, qui debebat ei centum denarios; et prehensum eum suffocabat,
29 dicens, Redde quod debes. Procidens ergo conservus ejus ad ejus pedes, precabatur eum, dicens, Patiente animo esto adversum me, et
30 omnia reddam tibi. Ille vero noluit; sed abiens conjecit eum in carcerem, quousque redderet
31 debitum. Quum autem vidissent conservi ejus quæ facta fuerant, tristitia affecti fuerunt vehementer; et quum venissent, declararunt domino
32 suo omnia quæ facta fuerant. Tunc eo advocato, dominus ipsius dixit ei, Serve improbe, totum debitum illud remisi tibi, quoniam precatus es
33 me: nonne oportuit et te misereri conservi tui,
34 ut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, usquequo redderet id omne quod sibi debebatur.
35 Ita et Pater ille meus cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris offensas eorum.

19 ET factum est, quum finiisset Jesus sermones istos, ut solveret ex Galilæa, et veniret in fines
2 Judææ, secus Jordanem. Et secuta est eum turba multa, sanavitque eos illic.
3 Tunc adierunt eum Pharisæi, tentantes eum, et dicentes ei, Licetne homini dimittere uxorem suam quavis ex causa?
4 Ille vero respondens dixit eis, Non legistis

Opificem ab initio fecisse masculum et feminam?
5 et dixisse, Propterea derelinquet homo patrem et matrem, et agglutinabitur uxori suæ; et qui duo *fuerant*, erunt una caro
6 (Gen. 2, 24)? Itaque non amplius sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo ne sejungito.
7 Dicunt ei, Cur ergo Moses præcepit dare libellum discessionis, et eam dimittere?
8 Dicit eis, Moses pro duritia cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ceterum a
9 principio non fuit ita. Dico autem vobis, Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur.
10 Dicunt ei discipuli ejus, Si tale est negotium hominis cum uxore, non expedit uxorem ducere.
11 Ipse vero dixit eis, Non omnes sunt capaces
12 hujus sermonis, sed *ii* quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui ex matris utero nati sunt ita: et sunt eunuchi, qui castrati sunt ab hominibus: et sunt eunuchi qui seipsos castrarunt propter regnum cœlorum. Qui potest capax esse *hujus rei*, capiat.
13 Tunc oblati sunt ei pueruli, ut manus eis imponeret, et oraret: discipuli autem objurgarunt eos.
14 Jesus autem ait, Omittite istos puerulos, et ne prohibete eos ad me venire: talium est enim
15 regnum cœlorum. Et quum imposuisset eis manus, profectus est illinc.
16 ET ecce, quidam accedens dixit ei, Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?
17 Ipse vero dixit ei, Cur me dicis bonum? nullus est bonus, nisi unus, *nempe* Deus. Si vis autem ad vitam ingredi, observa præcepta.

18 Dicit ei, Quæ?
Jesus autem dixit, Non occides, Non moechaberis, Non furaberis, Non dices falsum testimonium, Honora patrem
19 tuum et matrem (Ex. 20, 12—16), et, Diliges proximum tuum ut teipsum (Lev. 19, 18).
20 Dicit ei adolescens ille, Omnia hæc observavi a juventute mea: quo adhuc deficior?
21 Ait ei Jesus, Si vis perfectus esse, abi, vende quæ habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in cœlo: et adesdum, sequere me.
22 Quum audisset autem adolescens ille hunc sermonem, abiit tristitia affectus: habebat enim bona multa.
23 Jesus autem dixit discipulis suis, Amen dico vobis, Dives difficulter introibit in regnum cœ-
24 lorum. Rursum vero dico vobis, Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei introire.
25 *His* autem auditis, discipuli ejus perculsi sunt valde, dicentes, Quis ergo potest servari?
26 Intuitus autem *eos* Jesus dixit eis, Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.
27 Tunc respondens Petrus dixit ei, Ecce, nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis?
28 Jesus autem dixit eis, Amen dico vobis, Vos qui secuti estis me, in regeneratione, quum sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis vos etiam, *inquam*, in thronis duodecim, judicium ferentes de duodecim tribubus Israelis.
29 Et quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, causa nominis mei, centuplicia accipiet, et vitam æternam hæreditatis jure possidebit.
30 Multi autem primi, erunt ultimi; et ultimi, primi.

20 Simile enim est regnum cœlorum patrifamilias,
qui exiit cum prima luce ad conducendos ope-
2 rarios, *quos mitteret* in vineam suam. Pactus
autem cum operariis denario in diem, misit eos
3 in vineam suam. Et egressus circa horam ter-
4 tiam, vidit alios stantes in foro otiosos: et illis
dixit, Abite et vos in vineam, et quodcunque
5 justum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt.
Rursum egressus circa sextam et nonam horam,
6 fecit itidem. Circa horam autem undecimam
egressus, invenit alios stantes otiosos, ac dicit
7 eis, Cur hic statis totum diem otiosi? Dicunt ei,
Quia nemo nos conduxit. Dicit eis, Abite et
vos in vineam, et quicquid fuerit justum acci-
8 pietis. Quum autem serum diei esset, dicit do-
minus vineæ procuratori suo, Voca operarios, et
redde eis mercedem, incipiens ab ultimis, usque
9 ad primos. Et quum venissent qui circa undeci-
mam horam *conducti fuerant*, acceperunt sin-
10 guli denarium. Quum venissent autem primi,
existimarunt se plus esse accepturos: sed acce-
11 perunt ipsi quoque singuli denarium. Sed quum
accepissent, murmurabant adversus patremfamilias,
12 dicentes, Isti ultimi unam horam *opus* fecerunt,
et eos pares nobis fecisti, qui portavimus onus
13 diei, et æstum. Ipse vero respondens dixit uni
eorum, Amice, non facio tibi injuriam; nonne
14 denario pactus es mecum? tolle quod tuum est,
et abi. Volo autem huic ultimo dare ut et tibi.
15 Annon licet mihi quod volo facere in meis *rebus*?
an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?
16 Sic ultimi, erunt primi; et primi, ultimi: multi
enim sunt vocati, pauci vero electi.
17 ET ascendens Jesus Hierosolymam, assumpsit
duodecim discipulos suos privatim in via, et
18 dixit eis, Ecce, ascendimus Hierosolymam, et

Filius hominis tradetur primariis sacerdotibus ac
19 scribis, et condemnabunt eum morte; tradentque
eum gentibus, ut illudant, et flagellent, et cruci-
figant: sed tertia die resurget.
20 Tunc venit ad eum mater filiorum Zebedæi
cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo.
21 Ipse vero dixit ei, Quid vis?
Ait ei, Dic ut sedeant isti duo filii mei, unus ad
dextram tuam, et alter ad sinistram, in regno tuo.
22 Respondens autem Jesus dixit, Nescitis quid pe-
tatis: potestis bibere poculum quod ego bibiturus
sum, et baptismate, quo ego baptizor, baptizari?
Dicunt ei, Possumus.
23 Tunc dicit eis, Poculum quidem meum bibetis,
et baptismate quo ego baptizor baptizabimini:
sedere autem ad dextram meam et sinistram
meam, non est meum dare, sed *dabitur* quibus
paratum est a Patre meo.
24 Et quum *hæc* audissent *alii* decem, indignati
sunt de duobus fratribus.
25 Jesus autem, quum eos advocasset, ait, Scitis
26 principes gentium in eas dominari, et magnates
auctoritate uti in eas. Verum non ita erit inter
27 vos: sed quicunque voluerit inter vos magnus
28 fieri, esto vester minister: et quicunque voluerit
inter vos primus esse, esto vester servus. Sicut
Filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed
ut ministret, detque animam suam *in* redem-
ptionis pretium pro multis.
29 EGREDIENTIBUS autem ipsis *urbe* Jericho,
30 secuta est eum turba multa. Et ecce, duo cæci
sedentes apud viam, quum audissent Jesum præ-
31 terire, clamarunt, dicentes, Miserere nostri, Do-
mine, Fili Davidis. Turba autem objurgabat
eos, ut silerent; illi vero magis clamabant, di-
centes, Miserere nostri, Domine, Fili Davidis.

32 Et quum substitisset Jesus, vocavit eos, et ait, Quid vultis faciam vobis?
33 Dicunt ei, Domine, ut aperiantur oculi nostri.
34 Commiseratione autem intima commotus Jesus tetigit oculos eorum: et statim visum receperunt oculi eorum; et *ipsi* secuti sunt eum.
21 ET quum appropinquassent Hierosolymis, et venissent ad Bethphage ad montem Olearum, tunc
2 Jesus misit duos discipulos, dicens eis, Ite in vicum qui vobis est ex adverso, et statim invenietis asinam ligatam, et pullum cum ea: solvite
3 *eos*, et adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, Domino his opus est: statim autem remittet eos.
4 Hoc autem totum factum est, ut impleretur
5 quod dictum est per prophetam, dicentem, Dicite filiæ Sion, Ecce, rex tuus venit tibi lenis, et insidens asinæ, ac pullo fœtui subjugis *asinæ* (Es. 62, 11. Zach. 9, 9).
6 Profecti autem sunt discipuli, feceruntque sicut
7 imperarat eis Jesus: et adduxerunt asinam et pullum, et eis imposuerunt vestimenta sua, et
8 collocarunt *ipsum* super ea. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii vero cædebant ramos ex arboribus, et sternebant in via.
9 Porro turba, quæ præibat, et quæ sequebatur, clamabat, dicens, Hosanna Filio Davidis: benedictus qui venit in nomine Domini Ps. 118, 26): hosanna *o qui es* in *cælis* altissimis.
10 Et quum introisset Hierosolymam, commota
11 est tota urbs, dicens, Quis est iste? Turba vero dicebat, Hic est Jesus ille propheta ortus Nazaretha *urbe* Galilææ.
12 Et introivit Jesus in templum Dei, et ejecit omnes qui vendebant et qui emebant in templo; mensasque numulariorum, et cathedras vendentium

13 columbas subvertit. Et dixit eis, Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur; at vos fecistis eam speluncam latronum (Es. 56, 7).
14 Tunc venerunt ad eum cæci et claudi in templo: et sanavit eos.
15 Quum vidissent autem primarii sacerdotes et scribæ miranda illa quæ fecerat, et pueros clamantes in templo, et dicentes, Hosanna Filio Davidis, indi-
16 gnati sunt. Et dixerunt ei, Audis quid isti dicant? Jesus autem dixit eis, Etiam: nunquam legistis, Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem (Ps. 8, 2)?
17 Et eis derelictis, abiit Bethaniam extra urbem, et diversatus est illic.
18 Mane autem rediens in urbem, esuriit. 19 Et quum vidisset ficum quandam apud viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia solum: tunc dicit ei, Ne amplius ex te fructus nascitor in æternum. Et exaruit illico ficus.
20 Quum igitur hoc vidissent discipuli, mirati sunt, dicentes, Quomodo illico exaruit ficus?
21 Respondens autem Jesus ait eis, Amen dico vobis, Si habueritis fidem, neque hæsitaveritis, non solum hoc *quod factum est* ficui facietis, verum etiam si monti illi dixeritis, Tollitor, et
22 projicitor in mare, fiet. Et quæcunque orando petieritis, si credideritis, accipietis.
23 QUUM autem venissent in templum, primarii sacerdotes et seniores populi eum docentem adierunt, dicentes, Quali auctoritate facis ista? et quis tibi dedit istam auctoritatem?
24 Respondens vero Jesus dixit eis, Interrogabo vos et ego quiddam: quod si dixeritis mihi, dicam
25 et ego vobis qua auctoritate ista faciam: Baptisma Joannis unde erat? e cœlo, an ex hominibus?

At illi ratiocinabantur apud se, dicentes, Si
dixerimus, E cœlo; dicet nobis, Quare ergo non
26 credidistis ei? Sin autem dixerimus, Ex homini-
bus; metuimus turbam: omnes enim habent Jo-
27 annem ut prophetam. Et respondentes Jesu di-
xerunt, Nescimus.

Ait eis et ipse, Nec ego vobis dicam qua
28 auctoritate ista faciam. Quid autem vobis vide-
tur? Quidam habebat duos filios: et accedens
ad priorem, dixit, Fili abi, hodie operare in
29 vinea mea. Ille vero respondens ait, Nolo: sed
30 postea quum resipuisset abiit. Et accedens ille
ad secundum, dixit itidem. Is vero respondens
31 ait, Ego *abeo*, domine: sed non abiit. Uter e
duobus fecit quod voluit *ejus* pater?

Dicunt ei, Prior.

Dicit eis Jesus, Amen dico vobis, Publicani
et meretrices antecedunt vos in regnum Dei.
32 Venit enim ad vos Joannes via justitiæ, et non
credidistis ei; publicani vero et meretrices cre-
diderunt ei: vos autem qui *hoc* vidistis, non resi-
puistis postea, ut ei crederetis.

33 Aliam parabolam audite: Fuit quidam pater-
familias, qui plantavit vineam, et sepem circum-
posuit ei, foditque in ea torcular, et ædificavit
turrim, et elocavit eam agricolis: ac peregre
34 profectus est. Quum autem tempus fructuum
appropinquasset, misit servos suos ad agricolas,
35 ut ejus fructus perciperent. Agricolæ vero, captis
ejus servis, alium quidem ceciderunt, alium vero
36 interemerunt, alium autem lapidarunt. Rursum
misit alios servos plures prioribus; et fecerunt
37 eis itidem. Postremo autem misit ad eos filium
38 suum, dicens, Reverebuntur filium meum. Agri-
colæ vero viso filio dixerunt inter se, Iste est
hæres, venite, interimamus eum, et obtineamus

39 hæreditatem ejus. Et captum eum ejecerunt
40 extra vineam, et interemerunt. Quum igitur ve-
nerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?
41 Dicunt ei, Malos ipsos male perdet; et vineam
suam elocabit aliis agricolis, qui reddent ei fru-
ctum temporibus suis.
42 Dicit eis Jesus, Nunquam legistis in scripturis,
Quem lapidem reprobarunt ædificantes,
is factus est caput anguli: a Domino fa-
ctum est illud, et est mirabile in oculis
43 nostris (Ps. 118, 22)? Propterea dico vobis,
Tolletur a vobis regnum Dei, et dabitur genti
44 quæ edat ejus fructus. Porro qui ceciderit ad
lapidem istum, confringetur: super quem vero
ceciderit, comminuet eum.
45 Et quum audissent primarii sacerdotes ac Pha-
risæi parabolas ejus, cognoverunt *hæc* de se dici.
46 Et quum studerent eum prehendere, metuerunt
turbam, quoniam ut prophetam eum habebat.
22 TUNC respondens Jesus, rursum locutus est
2 eis per parabolas, dicens, Simile est regnum cœ-
lorum cuidam regi, qui fecit nuptias filio suo:
3 et misit servos suos, qui vocarent vocatos ad
4 nuptias: sed noluerunt venire. Rursus misit
alios servos, dicens, Dicite vocatis, Ecce, pran-
dium meum paravi, tauri mei, et altilia mactata
5 sunt, et omnia parata; adeste ad nuptias. Illi
vero quum *hoc* neglexissent, abierunt, alius qui-
dem in agrum suum, alius vero ad mercaturam
6 suam: reliqui vero prehensos servos ejus con-
7 tumeliis affecerunt, et interemerunt. Rex autem,
quum *hoc* audisset, iratus est; et, missis copiis
suis, perdidit homicidas illos, et urbem eorum
8 incendit. Tunc dicit servis suis, Nuptiæ quidem
paratæ sunt; sed qui vocati fuerant non erant
9 digni. Ite ergo ad compita viarum, et quot-

10 cunque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi
servi illi in vias, congregarunt omnes quos in-
venerunt, malos pariter ac bonos: et impletæ
11 sunt nuptiæ convivis. Ingressus autem rex ut
spectaret convivas, vidit illic quendam non indu-
12 tum indumento nuptiali. Tunc dicit ei, Amice,
quomodo huc introisti non habens indumentum
13 nuptiale? At illi os occlusum est. Tunc dicit
rex ministris, Ligatis pedibus et manibus ejus,
tollite eum, et ejicite in tenebras extimas: illic
erit fletus et stridor dentium.
14 Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.
15 TUNC profecti Pharisæi consilium ceperunt ut
16 illaquearent eum in sermone. Itaque mittunt ad
eum discipulos suos cum Herodianis, dicentes,
Magister, scimus te veracem esse, et viam Dei
in veritate docere, nec quenquam curare; non
17 enim respicis ad personam hominum: dic ergo
nobis, Quid tibi videtur? licet censum dare Cæ-
sari, an non?
18 Cognita autem Jesus improbitate ipsorum, ait,
19 Quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite mihi nu-
misma census. Ipsi vero obtulerunt ei denarium.
20 Tunc dicit eis, Cujus est imago ista et inscriptio?
21 Dicunt ei, Cæsaris.
Tunc dicit eis, Reddite ergo quæ sunt Cæ-
saris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.
22 Quum igitur *hoc* audissent, mirati sunt: et
omisso eo abierunt.
23 In illo die adierunt eum Sadducæi, qui dicunt
non esse resurrectionem; et interrogarunt eum,
24 dicentes, Magister, Moses dixit, Si quis mortuus
fuerit non habens filios, frater ejus ducet affi-
nitatis jure uxorem ejus, et suscitabit sobolem
25 fratri suo. Fuerunt autem apud nos septem
fratres: et primus uxore ducta obiit; et quum

non haberet semen, reliquit uxorem suam fratri
26 suo. Similiter etiam secundus, et tertius, usque
27 ad illos septem. Post omnes autem mortua est
28 et mulier. In resurrectione ergo cujus ex illis
septem erit uxor? omnes enim habuerunt eam.
29 Respondens autem Jesus dixit eis, Erratis, neque
30 scripturas scientes, neque potentiam Dei. Nam
in resurrectione neque uxores ducunt, neque
nuptum dantur; sed sunt ut angeli Dei in cœlo.
31 De resurrectione vero mortuorum non legistis
32 quod vobis dictum est a Deo, dicente, Ego sum
Deus Abrahami, et Deus Isaaci, et Deus
Jacobi (Ex. 3, 6)? Deus non est Deus mortuorum,
sed viventium.
33 Et quum *hoc* audisset turba, perculsa est super
doctrina ipsius.
34 Pharisæi vero, quum *eum* audissent occlu-
35 sisse os Sadducæis, aggregati sunt apud eum. Et
interrogavit *eum* quidam ex ipsis legis interpres,
36 tentans eum, et dicens, Magister, quod est præ-
ceptum magnum in lege?
37 Jesus autem dixit ei, Diliges Dominum
Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota
anima tua, et ex tota cogitatione tua
38 (Deut. 6, 5). Istud est primum et magnum præ-
39 ceptum. Secundum autem simile est huic, Diliges
40 proximum tuum ut teipsum (Lev. 19, 18). Ab
istis duobus præceptis tota lex et prophetæ pendent.
41 Congregatis autem Pharisæis, interrogavit
42 eos Jesus, dicens, Quid vobis videtur de Christo
illo? cujus filius est?
Dicunt ei, Davidis.
43 Dicit eis, Quomodo ergo David per Spiritum
44 vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus
Domino meo, Sede ad dextram meam,
usquedum statuero inimicos tuos scabel-

45 lum pedum tuorum (Ps. 110, 1)? Si ergo Da-
vid vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?
46 Et nemo poterat ei respondere quicquam:
neque ausus fuit quisquam ab illo die amplius
eum interrogare.

23 TUNC Jesus locutus est turbæ et discipulis
2 suis, dicens, In cathedra Mosis sedent scribæ
3 et Pharisæi. Omnia ergo quæ dixerint vobis ut
observetis, observate et facite: sed secundum
opera eorum ne facite: dicunt enim, et non fa-
4 ciunt. Ligant enim onera gravia difficiliaque
portatu, et imponunt in humeros hominum: di-
5 gito autem suo nolunt ea movere. Omnia vero
opera sua faciunt, ut spectentur ab hominibus:
dilatant enim phylacteria sua, et producunt fim-
6 brias palliorum suorum; amantque primos ac-
cubitus in cœnis, et primos consessus in con-
7 ventibus, et in foris salutationes, et vocari ab
hominibus, Rabbi, Rabbi.
8 Vos autem ne vocamini Rabbi: unus est enim
doctor vester, *nempe* Christus; omnes autem vos
9 fratres estis. Et patrem vestrum ne *quenquam*
vocate in terra: unus est enim Pater vester qui
10 in cœlis est. Nec vocamini doctores: unus enim
11 vester est doctor, *nempe* Christus. Sed qui
12 maximus est vestrum, sit minister vester. Porro
qui sese extollet, deprimetur: et qui sese sub-
mittet, extolletur.
13 Sed væ vobis, scribæ et Pharisæi, hypocritæ!
quoniam præcluditis regnum cœlorum hominibus:
vos enim non introitis, nec introeuntes sinitis in-
troire.
14 Væ vobis, scribæ et Pharisæi, hypocritæ!
quoniam exeditis domos viduarum, idque in spe-
ciem utentes longis orationibus: propterea auferetis graviorem condemnationem.

15 Væ vobis, scribæ et Pharisæi, hypocritæ! quoniam circumitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum: et quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quam vos *sitis*.
16 Væ vobis, duces cæci! qui dicitis, Quisquis juraverit per templum, nihil est: quicunque autem
17 juraverit per aurum templi, reus est. Stulti et cæci! utrum enim majus est, aurum, an templum
18 quod sanctificat aurum? Et, quisquis juraverit per altare, nihil est: quicunque autem juraverit per donum quod est super ipsum, reus est.
19 Fatui ac cæci! utrum enim majus est, donum an
20 altare quod sanctificat donum? Qui ergo juraverit per altare, jurat per ipsum, et per omnia
21 quæ super illud sunt: et qui juraverit per templum, jurat per ipsum, et per eum qui habitat
22 in eo: et qui juraverit per cœlum, jurat per thronum Dei, et per eum qui sedet super ipsum.
23 Væ vobis, scribæ et Pharisæi, hypocritæ! qui decimatis mentham, et anethum, et cuminum, et omittitis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, ac fidem: hæc oportuit facere,
24 et illa non omittere. Viæ duces cæci! qui percolatis culicem, camelum autem absorbetis.
25 Væ vobis, scribæ et Pharisæi, hypocritæ! qui purificatis exteriorem poculi patinæque partem, intus autem *illa* plena sunt rapina et intemperan-
26 tia. Pharisæe cæce! purifica primum quod est intra poculum et patinam, ut id quoque quod extra est purum fiat.
27 Væ vobis, scribæ et Pharisæi, hypocritæ! qui assimiles estis sepulcris dealbatis, quæ extra quidem apparent speciosa, intus vero plena sunt
28 ossibus mortuorum omnique immunditia. Ita et vos extra quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et legis transgressione.

29 Væ vobis, scribæ et Pharisæi, hypocritæ! qui
ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis mo-
30 numenta justorum; et dicitis, Si fuissemus tem-
poribus patrum nostrorum, non fuissemus eorum
31 socii in cæde prophetarum. Itaque testamini
adversus vosmetipsos, vos esse filios eorum qui
32 prophetas occiderunt. Vos quoque complete
33 mensuram patrum vestrorum. Serpentes, pro-
genies viperarum! quomodo effugere possitis
condemnationem Gehennæ?

34 Propterea, ecce, ego mitto ad vos prophetas,
et sapientes, et scribas; et ex ipsis *nonnullos*
interimetis et crucifigetis; et ex ipsis *nonnullos*
flagellabitis in conventibus vestris, et perseque-
35 mini oppidatim: ut veniat super vos omnis san-
guis justus, effusus super terram a sanguine Abel
justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ,
36 quem occidistis inter templum et altare. Amen
dico vobis, Venient hæc omnia super ætatem istam.

37 Jerusalem, Jerusalem, interemtrix prophetarum,
et lapidatrix eorum qui ad te missi sunt, quoties
volui aggregare liberos tuos, quemadmodum gal-
lina aggregat pullos suos sub alas, et noluistis!
38 Ecce, relinquitur vobis domus vestra deserta.
39 Dico enim vobis, Nequaquam me videbitis ab
hoc tempore, usquedum dicatis, Benedictus qui
venit in nomine Domini (Ps. 118, 26).

24 ET egressus Jesus e templo, abibat: et accesse-
runt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificia templi.
2 Jesus autem dixit eis, Nonne conspicitis hæc
omnia? Amen dico vobis, Hic non relinquetur
lapis super lapidem qui non dissolvatur.

3 Sedente autem eo in monte Olearum, adierunt
eum discipuli privatim, dicentes, Dic nobis, quando
hæc erunt? et quod *erit* signum adventus tui, et
consummationis seculi?

4 Et respondens Jesus dixit eis, Videte ne quis
5 vos seducat. Multi enim venient sub nomine
meo, dicentes, Ego sum Christus; multosque
6 seducent. Futurum est autem ut audiatis bella,
et rumores bellorum: videte, ne turbamini: oportet enim omnia *hæc* fieri, sed nondum erit finis.
7 Insurget enim gens in gentem, et regnum in
regnum: et erunt fames, et pestilentiæ, et
8 terræmotus singulis locis. Hæc autem omnia
principium *erunt* dolorum *partus*.
9 Tunc tradent vos afflictioni, et interiment vos;
et eritis exosi omnibus gentibus propter nomen
10 meum. Et tunc offendentur multi; et alius alium
11 prodet, et odio habebit alius alium. Et multi
pseudoprophetæ exorientur, ac seducent multos.
12 Et quoniam multiplicata erit legis transgressio,
13 refrigescet charitas multorum. Sed qui substiterit ad finem usque, is servabitur.
14 Et prædicabitur istud evangelium regni in toto
terrarum orbe, ut sit testimonio omnibus gentibus: et tunc veniet finis.
15 Quum ergo videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est per Danielem prophetam,
positam in loco sancto; (qui hæc legit, animum
16 advertat;) tunc qui in Judæa *fuerint*, fugiant
17 in montes: qui in solario, non descendat ut tol-
18 lat quicquam e domo sua: et qui in agro, non
19 revertatur retro ut tollat vestimenta sua. Væ
autem gravidis et lactantibus per illos dies.
20 Orate vero ne fiat fuga vestra hieme, neque
21 sabbato: erit enim tunc afflictio magna, qualis
non fuit a principio mundi ad hoc usque tempus,
22 neque unquam fiet. Et nisi decurtati fuissent
dies illi, non conservaretur ulla caro: sed propter
electos decurtabuntur dies illi.
23 Tunc si quis vobis dixerit, Ecce, hic Christus,

24 aut hic, ne credite. Excitabuntur enim pseudo-
christi et pseudoprophetæ, et edent signa magna
et prodigia; ita ut seducant (si fieri possit) etiam
25 electos. Ecce, prædixi vobis. 26 Itaque si di-
xerint vobis, Ecce, in deserto est; ne egredimini:
27 ecce, in conclavibus; ne credite. Sicut enim
fulgur exit ab oriente, et apparet usque ad occi-
dentem, ita etiam erit adventus Filii hominis.
28 Ubicunque enim fuerit cadaver, illuc congrega-
buntur aquilæ.
29 Statim autem post afflictionem dierum illorum,
sol obscurabitur, nec edet luna splendorem suum,
et stellæ cadent e cœlo, et potestates cœlorum
30 concutientur. Tunc apparebit signum Filii ho-
minis in cœlo; et tunc omnes tribus terræ plan-
gent, et videbunt Filium hominis venientem in
31 nubibus cœli cum potentia et gloria multa. *Is*
vero mittet angelos suos cum tubæ voce magna;
et aggregabunt electos ejus a quatuor ventis, a
cœlorum extremo ad eorum extremum.
32 A ficu autem discite parabolam: Quum jam
ramus ejus tenerescit, et folia germinant, nostis
33 prope esse æstatem: ita et vos, quum videritis
hæc omnia, scitote *illum* prope esse, *et* ad fores.
34 Amen dico vobis, Nequaquam præterierit ætas
35 hæc usquedum omnia ista facta sint. Cœlum et
terra præteribunt; sermones autem mei nequa-
quam præteribunt.
36 De die autem illo et hora nemo scit, ne an-
geli quidem cœlorum; sed Pater meus solus.
37 Sicut autem *erant* dies Noe, ita erit et adventus
38 Filii hominis. Sicut enim diebus qui præces-
serunt diluvium, edebant et bibebant, uxores
ducebant et nuptum dabant, ad eum usque diem
39 quo ingressus est Noe in arcam; nec agnoverunt
diluvium, usquedum venisset, et sustulisset omnes:

40 ita erit et adventus Filii hominis. Tunc duo
erunt in agro; unus accipietur, et alter reli-
41 quetur. Duæ *erunt* molentes in pistrino; una
accipietur, et altera relinquetur.
42 Vigilate ergo, nescitis enim qua hora Dominus
43 vester venturus sit. Illud autem scitote; si sciret
paterfamilias qua vigilia fur venturus sit, vigi-
44 laret, nec sineret perfodi domum suam. Pro-
pterea et vos estote parati: qui qua hora non
putatis, Filius hominis venturus est.
45 Quis igitur est fidelis servus et prudens, quem
constituit dominus supra famulitium suum, ut det
46 illis alimentum in tempore præstituto? beatus
servus ille, quem, quum venerit dominus ejus,
47 invenerit ita facientem. Amen dico vobis, Super
48 omnia, quæ ipsi suppetunt, constituet eum. Quod
si dixerit servus ille malus in corde suo, Differt
49 dominus meus adventum; cœperitque cædere
conservos, quinetiam edere et bibere cum ebriis;
50 veniet dominus servi illius die quo non expectat,
51 et qua hora non novit, et separabit eum, ac
partem ei statuet cum hypocritis: illic erit fletus
et stridor dentium.
25 Tunc erit simile regnum cœlorum decem vir-
ginibus, quæ sumptis lampadibus suis exierunt
2 in occursum sponsi. Quinque autem ex eis erant
3 prudentes, et quinque fatuæ. Quæ erant fatuæ,
sumptis lampadibus suis, non ceperant oleum
4 secum: prudentes vero ceperant oleum in vasis
5 suis una cum suis lampadibus. Morante autem
6 sponso, nictarunt omnes, ac dormierunt. Media
vero nocte clamor ortus est *dicentium*, Ecce,
7 sponsus venit; exite in occursum ejus. Tunc
surrexerunt omnes illæ virgines, et adornarunt
8 lampades suas. Fatuæ vero prudentibus dixe-
runt, Date nobis ex oleo vestro; quia lampades

9 nostræ extinguuntur. Responderunt autem pru-
dentes illæ, dicentes, *Nequaquam*, ne non suffi-
ciat nobis et vobis: ite vero potius ad eos qui
10 vendunt, et ipsæ vobis emite. Quum autem
abirent emptum, venit sponsus; et quæ paratæ
erant, introierunt cum eo ad nuptias: et clausum
11 est ostium. Postea vero veniunt et reliquæ
virgines, dicentes, Domine, domine, aperi nobis.
12 Ipse vero respondens ait, Amen dico vobis, Non
novi vos.
13 Vigilate itaque, quia neque illum diem neque
illam horam scitis, qua Filius hominis veniet.
14 *Ita* enim *est* ut *quum* quispiam peregre pro-
ficiscens vocavit servos suos, et tradidit eis quæ
15 sibi suppetebant: et huic quidem dedit quinque
talenta, alii autem duo, alii vero unum; uni-
cuique secundum ipsius facultatem: et peregre
16 profectus est statim. Profectus autem qui quin-
que talenta acceperat, negotiatus est ex iis, et
17 fecit altera quinque talenta. Itidem et qui duo
18 acceperat, lucratus est et ipse altera duo. Qui
autem unum acceperat, abiit et defodit *illud*
in terram, et occultavit pecuniam domini sui.
19 Post multum vero tempus venit dominus ser-
vorum illorum, et confert rationem cum eis.
20 Tunc accedens is qui quinque talenta acceperat,
attulit altera quinque talenta, dicens, Domine,
quinque talenta tradidisti mihi, ecce, altera
21 quinque talenta lucratus sum ex iis. Dixit
autem ei dominus ejus, Bene *est*, serve bone et
fidelis; in exiguo fuisti fidelis, super multa te
constituam; ingredere in gaudium domini tui.
22 Accedens autem et qui duo talenta acceperat,
ait, Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce,
23 alia duo lucratus sum ex iis. Ait ei dominus
ejus, Bene *est*, serve bone et fidelis; in exiguo

fuisti fidelis, super multa te constituam; ingre-
24 dere in gaudium domini tui. Accedens autem
et qui unum talentum acceperat, ait, Domine,
noveram te hominem durum esse, qui metas
ubi non sevisti, et inde congreges ubi non
25 dispersisti; itaque metuens, abii et occului ta-
lentum tuum in terra; ecce, habes quod tuum
26 est. Respondens autem dominus ejus dixit ei,
Serve male et ignave, sciebas me metere ubi
non sevi, et inde congregare ubi non dispersi:
27 oportuit ergo te committere pecuniam meam
28 mensariis: et ego quum venissem, recepissem
29 meum cum fœnore. Tollite ergo ab eo talen-
tum, et date ei qui habet decem talenta: (omni
30 enim qui habet dabitur, et *is* amplius habebit: ab
eo vero qui non habet, etiam quod habet tolle-
tur:) et inutilem servum ejicite in tenebras illas
extimas: illic erit fletus et stridor dentium.
31 Quum autem venerit Filius hominis cum glo-
ria sua, et omnes sancti angeli cum eo, tunc
32 sedebit in throno gloriæ suæ; et congregabun-
tur coram eo omnes gentes, et separabit eos,
alios ab aliis, ut pastor separat oves ab hœdis:
33 et statuet, oves quidem ad dextram suam, hœ-
34 dos autem ad sinistram.
Tunc dicet Rex iis qui ad dextram ipsius *erunt*,
Adeste, benedicti Patris mei; possidete regnum
35 paratum vobis a jacto mundi fundamento: esurivi
enim, et dedistis mihi *quod* ederem; sitivi, et
dedistis mihi potum; peregrinus eram, et colle-
36 gistis me; nudus, et amicivistis me; ægrotus, et
invisistis me; in carcere eram, et venistis ad me.
37 Tunc respondebunt et justi, dicentes, Domine,
quando te vidimus esurientem, et aluimus? aut
38 sitientem, et dedimus tibi potum? quando autem
te vidimus peregrinum, et collegimus te? aut

39 nudum, et amicivimus? aut quando te vidimus
ægrotum, aut in carcere, et venimus ad te?
40 Et respondens Rex dicet eis, Amen dico vo-
bis, Quatenus id fecistis uni ex istis fratribus
meis minimis, mihi fecistis.
41 Tunc dicet etiam iis qui ad sinistram *erunt*,
Exsecrandi, abite a me in ignem illum æternum,
42 illum paratum diabolo et angelis ejus: esurivi
enim, et non dedistis mihi *quod* ederem; sitivi,
43 et non dedistis mihi potum; peregrinus eram,
et non collegistis me; nudus, et non amicivistis
me; ægrotus, et in carcere *eram*, et non in-
visistis me.
44 Tunc ipsi quoque respondebunt ei, dicentes,
Domine, quando te vidimus esurientem, aut siti-
entem, aut peregrinum, aut nudum, aut ægrotum,
aut in carcere, et non ministravimus tibi?
45 Tunc respondebit eis, dicens, Amen dico vo-
bis, Quatenus *id* non fecistis uni ex istis minimis,
nec mihi fecistis.
46 Et abibunt isti ad supplicium æternum; justi
vero ad vitam æternam.
26 ET factum est, ut quum finisset Jesus omnes
2 istos sermones, diceret discipulis suis, Scitis post
biduum pascha fore, et Filium hominis proden-
dum ut crucifigatur.
3 Tunc congregati sunt primarii sacerdotes, et
scribæ, et seniores populi, in aulam pontificis
4 maximi, qui dicebatur Caiapha; et simul con-
sultarunt ut Jesum dolo prehenderent, et inter-
5 imerent. Dicebant autem, Non in festo, ne
tumultus fiat in populo.
6 QUUM autem Jesus esset Bethaniæ in domo
7 Simonis leprosi, venerat ad eum mulier, habens
alabastrum unguenti gravis pretii, et effuderat
in caput ipsius accumbentis.

8 *Hoc* autem conspicati discipuli ejus indignati
9 sunt, dicentes, Quorsum perditio hæc? Potuit enim istud unguentum venire magno, et dari pauperibus.
10 Quum autem *hoc* cognovisset Jesus, ait eis,
11 Quid molestias exhibetis isti mulieri? opus enim bonum operata est erga me. Semper enim pau-
12 peres habebitis vobiscum; me vero non semper habebitis. Quod enim hæc unguentum hoc in-
13 jecit corpori meo, ad funerandum me fecit. Amen dico vobis, Ubicunque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, etiam quod hæc fecit dicetur ad memoriam ipsius.
14 Tunc profectus unus ex illis duodecim, qui
15 dicebatur Judas Iscariotes, ad primarios sacerdotes, dixit eis, Quid vultis mihi dare, et ego
16 vobis eum tradam? Ipsi vero appenderunt ei triginta argenteos *nummos*. Et ex eo tempore
17 quærebat *ille* opportunitatem ad eum prodendum. PRIMO autem *die* azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes ei, Ubi vis paremus
18 tibi ad edendum pascha?
Ipse vero dixit, Abite in urbem ad quendam, et dicite ei, Magister dicit, Præstitutum illud tempus meum prope est; apud te faciam pascha
19 cum discipulis meis.
Et fecerunt discipuli sicut præceperat eis Jesus;
20 et paraverunt pascha.
21 QUUM autem serum diei advenisset, accubuit cum illis duodecim. Et edentibus ipsis, dixit,
22 Amen dico vobis, Unus vestrum me prodet.
Tunc affecti tristitia vehementer, cœperunt singuli eorum ei dicere, Num ego *is* sum, Domine?
23 Ipse vero respondens ait, Qui intingit mecum
24 manum in catino, iste me proditurus est. Filius

quidem hominis abit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi per quem Filius hominis proditur! bonum fuisset homini illi si natus non fuisset.

25 Respondens autem Judas, qui prodebat eum, dixit, Num *is* ego sum, Rabbi?
Dicit ei, Tu dixisti.

26 Edentibus autem eis, Jesus, quum accepisset panem, et benedixisset, fregit *eum*, deditque discipulis, et ait, Accipite, comedite: hoc est
27 corpus meum. Et accepto poculo, ac gratiis actis, dedit eis dicens, Bibite ex eo omnes:
28 hoc est enim sanguis meus novi pacti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.
29 Dico autem vobis, Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, usque ad diem illum quum ipsum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

30 Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem Olearum.

31 Tunc dicit eis Jesus, Omnes vos ista nocte offendemini in me; scriptum est enim, Percutiam pastorem, et dispergentur oves
32 gregis (Zach. 13, 7). Postquam autem suscitatus fuero, præibo vobis in Galilæam.

33 Respondens vero Petrus dixit ei, Etiamsi omnes offendantur in te, ego nunquam offendar.

34 Dixit ei Jesus, Amen dico tibi, Ista nocte, antequam gallus vocem emittat, ter me abnegabis.

35 Dicit ei Petrus, Etiamsi oportuerit me tecum mori, non te abnegabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt.

36 TUNC venit Jesus cum eis in locum qui dicitur Gethsemane; et dicit discipulis, Sedete hic, usquequo digressus oravero illic.

37 Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi,

38 cœpit affici tristitia, et gravissime angi. Tunc dicit eis, Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem: manete hic, et vigilate mecum.

39 Et progressus paululum, procidit in faciem suam, orans, et dicens, Pater mi, si possibile est, abeat a me poculum istud: veruntamen non ut ego volo, sed ut tu.

40 Tunc venit ad discipulos, et reperit eos dor-
41 mientes; et dicit Petro, Itane nequivistis unam horam vigilare mecum? Vigilate et orate, ne introeatis in tentationem: spiritus quidem *est* promptus, sed caro infirma.

42 Rursum secundo abiit, et oravit, dicens, Pater mi, si non potest hoc poculum abire a me quin bibam ipsum, fiat voluntas tua.

43 Et quum venisset, reperit eos rursum dor-
44 mientes; erant enim oculi eorum gravati. Et relictis eis, rursum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem locutus.

45 Tunc venit ad discipulos suos, et dicit eis, Dormite quod reliquum est, et requiescite: ecce, appropinquavit hora illa; et Filius hominis pro-
46 ditur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce, appropinquavit qui me prodit.

47 Et adhuc eo loquente, ecce, Judas, unus ex illis duodecim, venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, a primariis sacerdotibus et senioribus populi.

48 Is vero qui prodebat eum, dederat eis signum, dicens, Quem osculatus fuero, is est; prehendite
49 eum. Itaque statim, quum venisset ad Jesum, dixit, Ave, Rabbi: et deosculatus est eum.

50 At Jesus dixit ei, Amice, quorsum ades? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et prehenderunt eum.

51 Et, ecce, unus ex iis qui *erant* cum Jesu, ex-

tensa manu, distrinxit gladium suum; et percusso
servo pontificis maximi, abstulit auriculam ejus.
52 Tunc ait ei Jesus, Refer gladium tuum in
locum suum: quicunque enim acceperint gladium,
53 gladio peribunt. An putas me non posse nunc
precari Patrem meum, qui huc sistat mihi plures
54 quam duodecim legiones angelorum? Quomodo
ergo implerentur scripturæ, *quæ dicunt* sic
oportere fieri?
55 Eo ipso momento dixit Jesus turbæ, *Siccine*
ut adversus latronem exivistis cum gladiis et
fustibus, ut me prehenderetis? quotidie apud
vos sedebam docens in templo, nec prehendistis
56 me. Hoc autem totum factum est, ut implerentur scripturæ prophetarum.
Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.
57 ILLI vero prehensum Jesum abduxerunt ad
Caiapham pontificem maximum, ubi scribæ et
seniores congregati erant.
58 Petrus autem sequebatur eum e longinquo usque in aulam pontificis maximi, et ingressus
intro, sedebat cum ministris, ut videret finem.
59 Primarii vero sacerdotes et seniores, et totus
consessus, quærebant falsum testimonium contra
60 Jesum, ut eum morte afficerent; et non invenerunt: etiam quum multi falsi testes accessissent,
non invenerunt. Postremo vero advenientes duo
61 falsi testes, dixerunt, Iste dixit, Possum destruere templum Dei, et triduo ipsum ædificare.
62 Et assurgens pontifex maximus, dixit ei, Nihil
respondes? quid *illud est quod* isti adversum
63 te testificantur? Jesus autem silebat. Et respondens pontifex maximus dixit ei, Adjuro te per
Deum viventem, ut dicas nobis, an tu sis Christus ille Filius ille Dei.
64 Dicit ei Jesus, Tu dixisti: quinetiam dico vo-

bis, Ab hoc tempore videbitis Filium hominis
sedentem ad dextram potentiæ *Dei*, et venien-
tem in nubibus cœli.
65 Tunc pontifex maximus dirupit vestimenta sua,
dicens, Blasphemavit: quid nobis opus est am-
plius testibus? ecce, nunc audistis blasphemiam
66 ejus. Quid vobis videtur?
Ipsi vero respondentes dixerunt, Damnas est
mortis.
67 Tunc inspuerunt in faciem ejus, et colaphos
ei inflixerunt: alii vero bacillis eum ceciderunt,
68 dicentes, Vaticinare nobis, Christe, quis sit qui
te percussit.
69 Petrus autem sedebat extra in aula: et ac-
cessit ad eum quædam ancillula, dicens, Et tu
70 cum Jesu Galilæo eras. Ipse vero negavit co-
71 ram omnibus, dicens, Nescio quid dicas. Eum
autem egredientem in vestibulum, vidit alia
ancilla; et dixit iis qui *erant* illic, Et iste erat
72 cum Jesu Nazaræo. Tunc rursus negavit cum
73 jurejurando, *dicens*, Non novi hominem. Paulo
post autem accesserunt qui adstabant, et di-
xerunt Petro, Vere et tu ex ipsis es; nam et lo-
74 cutio tua te manifestum facit. Tunc cœpit se-
ipsum devovere, et jurare, *dicens*, Non novi
75 hominem. Et statim gallus emisit vocem. Et
recordatus est Petrus verborum Jesu, qui dixerat
ei, Priusquam gallus vocem emittat, ter me ab-
negabis. Et egressus extra, flevit amare.
27 Mane autem quum esset, consilium ceperunt
omnes primarii sacerdotes et seniores populi
2 adversus Jesum, ut eum morte afficerent. Et
vinctum eum abduxerunt, ac tradiderunt Pontio
Pilato præsidi.
3 Tunc Judas, qui eum prodiderat, quum vi-
disset eum damnatum esse, pœnitens, retulit tri-

ginta argenteos *nummos* ad primarios sacerdotes
4 et seniores, dicens, Peccavi, prodito sanguine
insonte. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu vi-
5 deris. Ipse vero projectis *illis nummis* argenteis
in templum, secessit; et profectus strangulavit
sese.
6 Primarii autem sacerdotes, acceptis *nummis*
illis argenteis, dixerunt, Non licet eos immittere
in corbanam, quoniam pretium sanguinis est.
7 Consilio autem capto, emerunt ex eis agrum il-
8 lum figuli, ad sepulturam peregrinorum: qua-
propter vocatus est ager ille, Ager sanguinis,
9 usque in hodiernum diem. (Tunc impletum est
quod dictum est per Jeremiam prophetam, di-
centem, Et acceperunt triginta *nummos*
argenteos, pretium æstimati, qui æsti-
10 matus fuit a filiis Israel; et dederunt
eos ad *emendum* illum agrum figuli, si-
cut injunxit mihi Dominus (Zach. 11, 12. 13)).
11 Jesus autem stetit coram præside: et inter-
rogavit eum præses, dicens, Tu*ne* es rex ille
Judæorum? Dixit autem ei Jesus, Tu dicis.
12 Et quum ipse accusaretur a primariis sacer-
13 dotibus et senioribus, nihil respondit. Tunc
dicit ei Pilatus, Non audis quam multa adversum
14 te testificentur? Et non respondit ei ad ullum
verbum; ita ut miraretur præses valde.
15 Præses autem singulis festis consueverat turbæ
16 dimittere unum vinctum, quem voluissent. Habe-
bant vero tunc vinctum insignem, qui dicebatur
17 Barabbas. Ipsis igitur congregatis, dixit eis
Pilatus, Utrum vultis dimittam vobis? Barabban,
18 an Jesum qui dicitur Christus? Sciebat enim
quod per invidiam tradidissent eum.
19 Sedente autem eo in tribunali, misit ad eum
uxor ejus, dicens, Nihil tibi *rei sit* cum justo

illo: multa enim passa sum hodie in somnio propter eum.

20 Primarii vero sacerdotes et seniores persuaserunt turbæ ut peteret Barabban, Jesum vero
21 perderet. Respondens autem præses dixit eis, Utrum e duobus illis vultis ut vobis dimittam? Ipsi vero dixerunt, Barabban.

22 Dixit eis Pilatus, Quid igitur faciam Jesu, qui
23 dicitur Christus? Dicunt ei omnes, Crucifigatur! Præses autem ait, At enim quid mali fecit? At illi eo amplius clamabant, dicentes, Crucifigatur!

24 Videns autem Pilatus se nihil proficere, sed majorem tumultum fieri, accepta aqua, abluit manus coram turba, dicens, Innoxius ego sum
25 a sanguine hujus justi: vos videritis.

Et respondens universus populus dixit, San-
26 guis ejus super nos, et super filios nostros.

Tunc dimisit eis Barabban: Jesum autem fla-
27 gellatum tradidit ut crucifigeretur.

Tunc milites præsidis, quum abduxissent Jesum
28 in prætorium, congregarunt ad eum universam
29 cohortem. Et quum exuissent eum, circumposuerunt ei chlamydem coccineam: et coronam e spinis contextam imposuerunt ejus capiti, et arundinem in dextram ejus: et genu ante eum
30 summisso, illudebant ei, dicentes, Ave, rex Ju-
31 dæorum. Et quum inspuissent in eum, ceperunt arundinem illam, et cædebant caput ejus. Et postquam illusissent ei, exuerunt eum chlamyde, indueruntque eum vestimentis suis: et abduxerunt eum ut crucifigerent.

32 Exeuntes autem invenerunt quendam Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut attolleret crucem ejus.

33 Et quum venissent in locum qui dicitur Gol-

34 gotha, qui dicitur Calvariæ locus, dederunt ei
acetum bibendum cum felle mistum: et quum
gustasset, noluit bibere.
35 Postquam autem crucifixerunt eum, partiti sunt
ejus vestimenta, sortem jacientes; ut impleretur
quod dictum est a propheta, Partiti sunt sibi
vestimenta mea, et super vestem meam
jecerunt sortem (Ps. 22, 18).
36 Et sedentes, asservabant eum illic. 37 Et
imposuerunt super caput ejus criminationem
ipsius scriptam, HIC EST IESUS REX ILLE
IUDÆORUM.
38 Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones; unus
ad dextram, et alter ad sinistram.
39 Qui vero præteribant blasphemabant eum, mo-
40 ventes capita sua, et dicentes, Tu qui destruis
templum, et triduo ædificas, serva temetipsum:
41 si Filius Dei es, descendito e cruce. Similiter
autem etiam primarii sacerdotes illudentes cum
42 scribis et senioribus, dicebant, Alios servavit,
seipsum non potest servare: si rex Israel est,
43 descendat nunc e cruce, et credemus ei. Con-
fidit in Deo; eruat ipsum nunc, si placet ei:
dixit enim, Filius Dei sum.
44 Id ipsum vero etiam latrones, qui crucifixi
erant cum eo, exprobrabant ei.
45 A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super
universam regionem, usque ad horam nonam.
46 Circiter vero horam nonam exclamavit Jesus
voce magna, dicens, Eli, Eli, lama sabach-
thani? hoc est, Deus mi, Deus mi, cur deseru-
isti me? (Ps. 22, 1.)
47 Quidam autem adstantium illic, quum *hoc*
48 audissent, dicebant, Eliam vocat iste. Et statim
currens quidam ex eis, quum acceptam spongiam
implevisset aceto, et circumposuisset calamo,

49 dedit ei ut biberet. Reliqui vero dicebant, Sine,
videamus an venturus sit Elias servaturus eum.
50 Jesus autem quum rursum clamasset voce magna,
emisit spiritum.
51 Et, ecce, velum templi fissum est in duas
partes, a summo usque ad imum; et terra mota
52 est, et petræ fissæ sunt: et monumenta aperta
sunt; et multa corpora sanctorum, qui dormi-
53 erant, surrexerunt; qui egressi e monumentis post
ressurrectionem ejus, introierunt in sanctam urbem
et apparuerunt multis.
54 Centurio vero, et qui cum eo asservabant
Jesum, viso terræmotu, et iis quæ facta fuerant,
metuerunt vehementer, dicentes, Vere Filius Dei
erat iste.
55 Erant autem illic mulieres multæ e longinquo
spectantes, quæ secutæ fuerant Jesum a Galilæa,
56 ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene,
et Maria mater Jacobi et Jose, et mater filiorum
Zebedæi.
57 Quum autem serum diei advenisset, venit
homo dives Arimathæensis, nomine Joseph, qui
58 et ipse discipulus fuerat Jesu: is adiit Pilatum,
et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi
corpus.
59 Et Joseph, quum accepisset corpus, involvit
60 illud sindone pura: posuitque in monumento suo
novo quod exciderat in petra; et advoluto saxo
magno ad ostium monumenti, abiit.
61 Erat autem illic Maria Magdalene, et altera
illa Maria, sedentes ex adverso sepulcri.
62 Postero autem die, quæ est post Para-
sceven, coacti sunt primarii sacerdotes et Phari-
63 sæi ad Pilatum, dicentes, Domine, meminimus
planum illum dixisse, quum adhuc viveret, Ter-
64 tio post die suscitabor. Jubi ergo muniri

sepulcrum usque in diem tertium; nequando veniant discipuli ejus nocte, et furentur eum; dicantque populo, Suscitatus est ex mortuis: et erit ultimus error pejor priore.

65 Dixit eis Pilatus, Habetis custodiam: abite,
66 munite sicut scitis. Ipsi autem profecti munierunt sepulcrum, obsignato lapide, cum custodia.

28 EXTREMO autem sabbato, quum lucesceret in primum *diem* hebdomadis, venit Maria Magdalene, et altera illa Maria, ut spectarent sepulcrum.

2 Et, ecce, terræmotus factus est magnus: angelus enim Domini, quum descendisset e cœlo, accessit, *et* evolvit saxum ab ostio, sedebatque
3 super illud. Erat autem visus ejus ut fulgur,
4 et indumentum ejus album sicut nix. Custodes vero perculsi sunt præ ipsius metu, et facti sunt sicut mortui.

5 Respondens autem angelus dixit mulieribus, Vos *vero* ne metuite; scio enim vos Jesum cruci-
6 fixum quærere. Non est hic: resurrexit enim, prout dixit. Adeste, videte locum ubi jacebat
7 Dominus. Et cito profectæ dicite discipulis ejus eum suscitatum fuisse ex mortuis: et, ecce, præit vobis in Galilæam; illic eum videbitis: ecce, dixi vobis.

8 Tunc *hae* egressæ cito a monumento cum metu et gaudio magno, currebant, ut hæc renunciarent discipulis ejus.

9 Ut autem ibant ad *hoc* renunciandum discipulis ejus, ecce, Jesus occurrit eis, dicens, Avete. Illæ vero accesserunt, et amplexæ sunt pedes ejus, et adoraverunt eum.

10 Tunc ait eis Jesus, Ne metuite: abite, renunciate fratribus meis, ut abeant in Galilæam: illic me videbunt.

11 EUNTIBUS autem ipsis, ecce, quidam ex custodia venerant in urbem, et nunciaverant pri-
mariis sacerdotibus omnia quæ facta fuerant.
12 Ipsi vero congregati cum senioribus, consilioque
capto, nummos non paucos dederunt militibus
13 *illis*, Dicite, inquientes, Discipuli ejus nocte ve-
nerunt, et eum furati sunt, nobis dormientibus.
14 Quod si hoc auditum fuerit apud præsidem, nos
istud persuadebimus ei, et securos vos præsta-
15 bimus. Ipsi vero, accepta pecunia, fecerunt
sicut erant edocti: et divulgatum fuit istud apud
16 Judæos usque ad hodiernum diem.
UNDECIM autem illi discipuli profecti sunt
in Galilæam, in montem ubi constituerat eis
17 Jesus *ut adessent*. Et eo conspecto, adora-
verunt eum: quidam tamen dubitaverunt.
18 Accedens autem *ad eos* Jesus locutus est eis,
dicens, Data est mihi omnis auctoritas in cœlo
19 et in terra: profecti ergo discipulas facite omnes
gentes, baptizantes eos in nomen Patris, et Filii,
20 et Spiritus Sancti; docentes eos observare omnia
quæ præcepi vobis: et, ecce, ego vobiscum sum
omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.
Amen.

EVANGELIUM
SECUNDUM
MARCUM.

1 PRINCIPIUM evangelii Jesu Christi, Filii
2 Dei; ut scriptum est in prophetis, Ecce, ego
mitto nuncium illum meum ante faciem
tuam, qui apparabit viam tuam coram te
3 (Mal. 3, 1). Vox vociferantis in deserto,

Parate viam Domini, complanate semitas ejus (Es. 40, 3).

4 Baptizabat Joannes in deserto et prædicabat baptismum resipiscentiæ ad remissionem pecca-
5 torum. Et exibat ad eum omnis Judaica regio ac Hierosolymitæ; et baptizabantur omnes ab eo in Jordane flumine, confitentes peccata sua.
6 Indutus autem erat Joannes pilis camelorum, et zona coriacea circa lumbos suos; et edebat
7 locustas et mel silvestre. Et prædicabat, dicens, Venit pone me qui validior me est, cujus non sum dignus qui incurvatus solvam corrigiam sole-
8 arum. Ego quidem baptizavi vos aqua: ipse vero baptizabit vos Spiritu Sancto.
9 Et factum est diebus illis, ut Jesus advenerit a Nazaretha *urbe* Galilææ, et baptizatus sit in
10 Jordane a Joanne. Et *is* statim ascendens ex aqua vidit findi cœlos, et Spiritum quasi colum-
11 bam descendere super eum: et vox exstitit e cœlis, Tu es Filius ille meus dilectus, in quo acquiesco.
12 Statimque Spiritus eum expulit in desertum.
13 Et fuit illic in deserto dies quadraginta, tentante eum Satana: eratque cum feris: et angeli ministrabant ei.
14 POSTQUAM autem traditus fuit Joannes *in custodiam*, venit Jesus in Galilæam, prædicans
15 evangelium regni Dei; et dicens, Expletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei; resipiscite, et credite evangelio.
16 AMBULANS autem apud mare Galilææ, vidit Simonem, et Andream fratrem ejus, jacientes
17 rete in mare; (erant enim piscatores:) et dixit eis Jesus, Sequimini me, et faciam ut sitis pisca-
18 tores hominum. Et *ipsi* statim, omissis retibus suis, secuti sunt eum.

19 Tunc progressus illinc paululum, vidit Jacobum
filium Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, qui
20 et ipsi in navigio sarciebant retia: statimque
vocavit eos: et *ipsi*, omisso patre suo Zebedæo
in navigio cum mercenariis, secuti sunt eum.
21 Et ingrediuntur Capernaum: statimque sabbato
22 ingressus *Jesus* in synagogam, docebat. Et
percellebantur super doctrina ejus: docebat enim
eos ut auctoritatem habens, et non ut scribæ.
23 Fuit autem in synagoga eorum quidam, in
24 quo erat spiritus impurus, qui exclamavit, dicens,
Ah, quid nobis tecum, Jesu Nazarene? venisti
ut perderes nos? novi te quis sis, *nimirum*
25 Sanctus ille Dei. Et objurgavit eum Jesus, di-
26 cens, Obmutesce, et exi ex eo. Tunc, quum
discerpsisset eum spiritus impurus, et clamasset
voce magna, exiit ex eo.
27 Et expaverunt omnes, ita ut mutuo quærerent
inter se, dicentes, Quid est hoc? quæ doctrina
nova hæc, quod cum auctoritate imperat etiam
28 spiritibus impuris, et auscultant ei? Emanavit
autem fama ipsius statim in totam regionem
circumjacentem Galilææ.
29 Et statim e synagoga egressi, venerunt do-
mum Simonis et Andreæ cum Jacobo et Joanne.
30 Socrus autem Simonis decumbebat febricitans:
31 et statim dicunt ei de illa. Tunc accedens erexit
eam, prehensa ejus manu: et dimisit eam febris
statim, et ministravit eis.
32 Quum autem serum *dici* esset, occidente sole,
adducebant ad eum omnes male affectos et dæ-
33 moniacos. Et civitas tota aggregata erat ad
34 ostium. Et sanavit multos male affectos variis
morbis; et dæmonia multa ejecit, et non sinebat
dicere dæmonia quod ipsum nossent.
35 Et mane, valde multa nocte quum surrexisset,

exiit, et abiit in desertum locum, et illic oravit.
36 Et prosecuti sunt eum Simon et qui cum ipso
37 erant. Et quum invenissent eum, dicunt ei,
38 Omnes te quærunt. Tunc dicit eis, Eamus in
contigua oppidula, ut et illic prædicem; ad hoc
39 enim sum egressus. Prædicabat igitur in syna-
gogis eorum in tota Galilæa; et dæmonia ejiciebat.
40 VENITQUE ad eum leprosus, precans eum, eique
ad genua procidens, ac dicens ei, Si velis, potes
me purificare.
41 Jesus autem commiseratione intima commotus,
extensa manu, tetigit eum, et dixit ei, Volo;
42 purificator. Et quum *hæc* dixisset, statim abiit
ab eo lepra, et purificatus fuit.
43 Et graviter interminatus ei *Jesus*, statim ab-
44 legavit eum, dixitque ei, Vide *ut* nemini quic-
quam dicas: sed abi, ostende teipsum sacerdoti,
et offer pro purificatione tui quæ imperavit Mo-
45 ses, *ut hoc sit* eis testimonio. Ille vero egressus
cœpit prædicare multa, et rem divulgare, ita ut
jam non posset Jesus manifeste introire in civi-
tatem: sed foris in desertis locis erat: et veni-
ebant ad eum undique.
2 SED rursus intravit Capernaum interjectis *ali-*
quot diebus; et auditum est eum domi esse.
2 Statimque congregati sunt multi, *adeo* ut jam non
caperent *eos*, ne ea quidem *loca* quæ *erant* ad
ostium: et loquebatur eis sermonem *evangelii*.
3 Tunc venerunt ad eum ferentes paralyticum,
4 qui a quatuor portabatur. Et quum non possent
ei appropinquare propter turbam, detexerunt ta-
bulatum *loci* in quo erat; eoque perfosso, *funi-*
bus demiserunt grabbatum, in quo paralyticus
jacebat.
5 Quum autem vidisset Jesus fidem eorum, dixit
paralytico, Fili, remissa sunt tibi peccata tua.

6 Erant autem illic quidam ex scribis sedentes,
7 et ratiocinantes in cordibus suis, Quid iste ita loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi unus ille Deus?
8 Et quum statim agnovisset Jesus spiritu suo, eos ita ratiocinari apud se, dixit eis, Quid ista
9 ratiocinamini in cordibus vestris? Utrum est facilius, dicere paralytico, Remissa sunt tibi peccata? an dicere, Surge, et attolle grabatum
10 tuum, et ambula? Ut autem sciatis Filium hominis habere auctoritatem remittendi peccata in
11 terra, (ait paralytico,) Tibi dico, Surge, et attolle grabatum tuum, et abi domum tuam.
12 Tunc *ille* statim surrexit, sublatoque grabato, egressus est coram omnibus: adeo ut obstupescerent omnes, et glorificarent Deum, dicentes, Nunquam tale quicquam vidimus.
13 Et egressus est rursus ad mare: totaque turba veniebat ad eum, ac docebat eos.
14 Et quum prætergrederetur, vidit Levin Alphæi *filium* sedentem ad telonium, dixitque ei, Sequere me. Et *is* surgens secutus est eum.
15 Et factum est, ut quum Jesus accumberet in domo illius, multi etiam publicani et peccatores simul discubuerint cum Jesu et discipulis ejus:
16 erant enim multi, et secuti fuerant eum. Quumque scribæ ac Pharisæi vidissent eum edentem cum publicanis et peccatoribus, dixerunt discipulis ejus, Quid *est* quod cum publicanis et peccatoribus edit ac bibit?
17 Et quum *hoc* audisset Jesus, dicit eis, Iis qui valent non opus est medico, sed iis qui male *se* habent: non veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam.
18 Discipuli vero Joannis ac Pharisæorum jejunabant: veniunt igitur et dicunt ei, Quare

discipuli Joannis et Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?

19 Tunc ait eis Jesus, Num possunt filii thalami, quo *tempore* cum ipsis est sponsus, jejunare? quamdiu habent secum sponsum, non possunt
20 *isti* jejunare. Venient autem dies, quum sublatus erit ab eis sponsus, et tunc jejunabunt
21 illis diebus. Nemo vero panniculum impexum insuit vestimento veteri: alioquin illud ipsius supplementum novum tollit *aliquid* ex vetere
22 *vestimento*, et fit pejor fissura. Et nemo injicit vinum novum in utres veteres; sin minus vinum novum disrumpit utres et vinum effunditur, et utres pereunt: sed vinum novum in utres recentes injiciendum est.

23 FACTUM est autem ut ipse præteriret sabbato per sata; et cœperunt discipuli ejus iter
24 faciendo vellere spicas. Tunc Pharisæi dixerunt ei, Ecce, cur *isti* faciunt sabbato quod non licet?

25 Et ipse dixit eis, Nunquam legistis quid fecerit David, quum *hoc* ipsi esset opus, et
26 esuriret ipse, et qui cum eo *erant*? Quomodo sit ingressus domum Dei sub Abiatharo pontifice maximo, et panes proposititios ederit, quos non licet edere nisi sacerdotibus, et dederit
27 etiam iis qui secum erant? Dixit etiam eis, Sabbatum propter hominem factum est, non
28 homo propter sabbatum. Itaque Filius hominis est etiam sabbati dominus.

3 ET introivit rursus in synagogam: eratque
2 illic quidam arefactam manum habens. Et observabant an sabbato sanaturus esset eum; ut ipsum accusarent.

3 Tunc ait homini habenti manum arefactam,
4 Prodi in medium. Eis autem dixit, Licet sab-

bato benefacere, an malefacere *cuipiam*? hominem servare, an interimere? Ipsi vero silebant.
5 Et quum circumspexisset eos cum ira, simul dolens quod occalluisset cor eorum, dicit homini, Extende manum tuam. Et *is* extendit: restitutaque est manus ejus sana ut altera.
6 TUNC egressi Pharisæi statim cum Herodianis consilium inierunt adversus eum, ut eum per-
7 derent. Sed Jesus cum discipulis suis secessit ad mare; et magna multitudo secuta est eum a
8 Galilæa, et a Judæa, et Hierosolymis, et ab Idumæa, et *regione quæ est* trans Jordanem; et qui circa Tyrum ac Sidonem *habitabant*, magna multitudine, quum audissent quanta faceret,
9 venerunt ad eum. Ipse autem dixit discipulis suis, ut navigiolum sibi perstaret propter turbam,
10 ne ipsum opprimerent. Multos enim sanaverat, adeo ut inciderent in eum, ut ipsum tangerent,
11 quotquot tenebantur flagellis. Et spiritus impuri, quum eum conspexerant, accidebant ei *ad pedes*, et clamabant, dicentes, Tu es Filius ille Dei.
12 Ipse vero multum interminabatur eis, ne ipsum palam facerent.
13 TUNC ascendit in montem, et advocavit ad
14 se quos ipse voluit: et venerunt ad eum. Et constituit duodecim, ut secum essent, et ut
15 mitteret eos ad prædicandum *evangelium;* et ut jus haberent sanandi morbos, et ejiciendi
16 dæmonia: primum, Simonem; (cui imposuit
17 nomen Petrum;) et Jacobum *filium* Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi; (et imposuit eis no-
18 mina Boanerges, quod est, filii tonitrui;) et Andream, et Philippum, et Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi *filium*, et Thaddæum, et Simonem Cananiten,
19 et Judam Iscarioten, qui et prodidit eum.

20 VENERUNTQUE domum. [20] Convenit autem
rursum turba; adeo ut ipsi ne panem quidem
edere possent.
21 Et quum *hæc* audissent ipsius propinqui,
venerunt ut prehenderent eum: dicebant enim
eum apud se non esse.
22 Scribæ vero qui Hierosolymis descenderant,
dicebant, Certe habet Beelzebulem, et certe per
principem dæmoniorum ejicit dæmonia.
23 Quum autem eos advocasset, dixit eis per
parabolas, Quomodo potest Satanas Satanam
24 ejicere? Neque si regnum adversus sese dis-
25 sideat, potest stare regnum illud. Neque si
domus contra semetipsam dissideat, potest stare
26 domus illa. *Sic* quoque si Satanas insurgat
et dissideat adversus semetipsum, stare non
27 potest, sed finem habet. Non potest quis-
quam viribus prædiți *alicujus* vasa, ingressus
domum ejus, diripere, nisi primo viribus præ-
ditum illum vinxerit: et tunc domum ejus di-
28 ripiet. Amen dico vobis, Quævis peccata
remittentur filiis hominum, et blasphemiæ qui-
29 buscunque blasphemarint: sed quicunque blas-
phemarit in Spiritum Sanctum, non habet re-
missionem in æternum, sed damnas est æterni
judicii.
30 Dicebant enim, Spiritum impurum habet.
31 Veniunt igitur fratres et mater ejus; et foris
stantes, miserunt ad eum, et eum vocarunt.
32 Sedebat autem circa eum turba: *illi* vero di-
xerunt ei, Ecce, mater tua et fratres tui foris
quærunt te.
33 Tunc respondit eis, dicens, Quae est mater
34 mea, aut fratres mei? Et quum circumspexisset
in circuitu eos qui circum ipsum sedebant, ait,
35 Ecce mater mea, et fratres mei! Quicunque

enim fecerit quod Deus vult, is est frater meus, et soror mea, et mater.

4 ET rursus cœpit docere apud mare: et congregata est ad eum turba multa, adeo ut ipse navigium ingressus sederet in mari: tota autem turba apud mare in terra erat.

2 Et docebat eos per parabolas multa, dicebat-
3 que eis in doctrina sua: Audite, Ecce, *quidam*
4 sator exiit satum. Et factum est inter serendum, aliud quidem cecidit secundam viam; veneruntque volucres cœli, et devoraverunt illud.
5 Aliud vero cecidit in petrosa, ubi non habebat terram multam; et statim exortum est, propterea
6 quod non habebat profundam terram: sole autem exorto, ardore tactum est; et propterea
7 quod non habebat radicem, exaruit. Et aliud cecidit in spinas; et ascenderunt spinæ, ac suffo-
8 carunt illud, et fructum non edidit. Et aliud cecidit in terram bonam, ediditque fructum assurgentem, ac crescentem; et tulit aliud tricena, et
9 aliud sexagena, et aliud centena. Tunc dixit
10 eis, Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Quum autem esset solus, interrogarunt eum
11 qui circum ipsum erant cum illis duodecim de parabola.

Et dixit eis, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: iis autem qui foris sunt, per
12 parabolas omnia *ista* fiunt: ut conspicientes conspiciant, et non videant; et audientes audiant, et non intelligant: nequando *se* convertant,
13 et remittantur eis peccata.

Præterea dixit eis, Nescitis parabolam istam?
14 et quomodo omnes parabolas cognoscetis? Sator
15 ille sermonem serit. Isti autem sunt qui juxta viam *semen excipiunt*, in quibus *videlicet* seritur sermo: sed postquam audierunt, statim

venit Satanas, et tollit sermonem qui satus fu-
16 erat in cordibus eorum. Et isti sunt similiter
qui in petrosa semen excipiunt; qui *videlicet*,
quum audierint sermonem, statim cum gaudio
17 excipiunt eum; et non habent radicem in sese,
sed temporarii sunt: deinde, orta afflictione aut
persecutione propter sermonem, statim offen-
18 duntur. Hi sunt autem qui inter spinas sunt
sati; hi sunt, *inquam*, qui sermonem audiunt:
19 sed solicitudines seculi hujus, et seductio divi-
tiarum; et cupiditates quæ in reliquis rebus
versantur, introeuntes, suffocant sermonem, is-
20 que redditur infructuosus. Hi sunt vero qui in
terram bonam semen exceperunt, qui *videlicet*
audiunt sermonem, et excipiunt; et fructum
ferunt, aliud tricena, aliud sexagena, aliud cen-
tena *grana*.
21 Dixit etiam eis, Num lucerna venit ut subter
modium ponatur, aut subter lectum? nonne ut
22 candelabro imponatur? Non est enim quicquam
absconditum, quod non sit manifestum futurum;
neque *quod* occultetur, sed *oportet* ut in
23 apertum veniat. Si quis habet aures ad audi-
24 endum, audiat. Præterea dixit eis, Videte quid
audiatis: qua mensura metimini, vobis metietur;
25 et adjicietur vobis qui auditis. Qui enim habet,
dabitur ei: et qui non habet, etiam quod habet
tolletur ab eo.
26 Item dicebat, Ita est regnum Dei, ut si quis-
27 piam jaciat semen in terram, et dormiat, et
exsurgat nocte ac die; et semen germinet et
28 assurgat quomodo ipse nescit. Sua enim sponte
terra fructum fert; primum herbam, deinde
spicam, deinde plenum frumentum in spica.
29 Quum autem prodiderit *sese* fructus, statim
mittit messores, quoniam adest messis.

30 Dicebat etiam, Cui *rei* assimilaverimus regnum Dei? aut qua collatione contulerimus illud?
31 Velut grano sinapi; quod quum seritur in terra, minimum est omnium seminum quæ in
32 terra sunt: sed quum satum fuerit, assurgit, et fit maximum omnium olerum; editque ramos magnos, ita ut possint sub ejus umbra volucres cœli nidulari.
33 Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem *evangelii*, prout poterant audire.
34 Absque parabola vero non loquebatur eis; privatim autem discipulis suis explicabat omnia.
35 Dixit autem eis die illo, quum serum *diei*
36 esset, Transeamus in ulteriorem *ripam*. Dimissa igitur turba, accipiunt eum ut erat in navigio; sed et alia navigiola erant cum eo.
37 Tunc oritur turbo venti magnus, et fluctus irruebant in navigium, ita ut jam impleretur.
38 Erat autem ipse in puppi, cervicali indormiens. Tunc expergefaciunt eum, dicuntque ei, Magister, non est tibi curæ quod perimus?
39 Experrectus igitur, objurgavit ventum, dixitque mari, Sile, obmutesce. Tum quievit ventus,
40 factaque est tranquillitas magna. Dixit autem eis, Quid ita formidolosi estis? quomodo fidem non habetis?
41 Et metuerunt metu magno, dicebantque alius ad alium, Quisnam iste est, quod etiam ventus
5 et mare auscultent ei?
2 ET venerunt in ulteriorem *ripam* maris, in regionem Gadarenorum. Egresso autem ipsi e
3 navigio, statim occurrit e monumentis quidam, in quo erat spiritus impurus; qui commorabatur
4 in monumentis; et ne catenis quidem quisquam poterat eum vincire: propterea quod sæpe pedicis et catenis vinctus fuerat, sed discerptæ

fuerant ab eo catenæ, et pedicæ contritæ; et
5 nequiverat ullus eum domare. Et per omne
tempus erat die ac nocte in montibus, et in
monumentis, clamans, et concidens seipsum la-
6 pidibus. Quum vidisset autem Jesum e longin-
7 quo, cucurrit et adoravit eum; et clamans voce
magna dixit, Quid mihi tecum, Jesu Fili Dei
illius altissimi? Adjuro te *per* Deum ne me
8 torqueas. (Dicebat enim ei *Jesus*, Exi, spiritus
impure, ex isto homine.)
9 Tunc interrogavit eum, Quod tibi nomen *est?*
Et respondit, dicens, Legio mihi nomen *est;*
10 quia multi sumus. Et multum precabatur eum,
ne ipsos mitteret extra illam regionem.
11 Erat autem illic apud montes grex porcorum
12 magnus pascens. Et precati sunt eum omnes
illi dæmones, dicentes, Mitte nos in porcos, ut
13 in eos introeamus. Et *hoc* permisit eis statim
Jesus. Egressi vero spiritus illi impuri introi-
erunt in porcos: et ruit ille grex e præcipitio
in mare, (erant autem quasi bis mille,) et suffo-
cati sunt in mari.
14 Qui vero pascebant porcos, fugerunt, et *ista*
renunciarunt in urbem et in agros. Et *illi*
egressi sunt, ut viderent quid illud esset quod
15 factum fuerat. Veniunt igitur ad Jesum, et
conspiciunt eum qui fuerat dæmoniacus, seden-
tem, ac vestitum, et sanæ mentis, eum *inquam,*
16 qui habuerat legionem: et metuerunt. Et qui
ista viderant, narraverunt eis quomodo actum
17 esset cum dæmoniaco, et de porcis. Tunc *illi*
cœperunt eum rogare ut abiret ex finibus
ipsorum.
18 Ipso vero ingresso in navigium, rogabat eum
ille qui fuerat dæmoniacus ut esset cum ipso.
19 Jesus autem non permisit ei, sed ei dixit, Abi

domum tuam ad tuos, et eis renuncia quanta
tibi Dominus præstiterit, et quod misertus sit
20 tui. Abiit igitur *ille*, et cœpit prædicare in
Decapoli quanta ipsi fecisset Jesus: et omnes
mirabantur.
21 ET quum Jesus rursum trajecisset navigio in
ulteriorem *ripam*, congregata est turba multa ad
eum: eratque apud mare.
22 Et, ecce, venit unus ex præfectis synagogæ,
nomine Jairus: et quum vidisset eum, accidit
23 ad pedes ejus; et multum precabatur eum,
dicens, Filiola mea in extremum adducta est:
rogo ut venias, et imponas ei manus, ut ser-
24 vetur; et vivet. Abiit igitur *Jesus* cum eo:
et sequebatur eum turba multa, et comprime-
bat eum.
25 (Tunc mulier quædam, quæ erat in fluxione
26 sanguinis *ab* annis duodecim, fueratque multa
perpessa a multis medicis, et impenderat omnia
sua, et nihil adjuta fuerat, sed potius in dete-
27 rius venerat; quum audisset de Jesu, venit in
turba a tergo, et tetigit vestimentum ejus.
28 Dicebat enim, Si vel vestimenta ipsius tetigero,
29 servabor. Et statim exaruit fons sanguinis
ipsius; et sensit corpore se sanatam esse ex eo
flagello.
30 Statim autem Jesus, quum apud se cogno-
visset vim quæ ex ipso prodierat, conversus ad
31 turbam, dixit, Quis tetigit vestimenta mea? Et
dixerunt ei discipuli ipsius, Conspicis turbam te
32 comprimentem, et dicis, Quis me tetigit? *Ipse*
vero circumspiciebat, ut videret eam quæ hoc
fecerat.
33 Mulier autem metuens et tremens, quum
sciret quod in se factum fuerat, venit et accidit
34 ei *ad pedes*, dixitque ei omnem veritatem. Ille

autem dixit ei, Filia, fides tua te servavit; abi cum pace, et esto sana ex flagello tuo.)
35 Adhuc eo loquente, veniunt *quidam* a præfecto synagogæ, dicentes, Filia tua mortua est: quid amplius vexas magistrum?
36 Jesus autem, statim ut audiit hunc sermonem qui dicebatur, dicit præfecto synagogæ, Ne metue, solummodo crede.
37 Neque permisit ut se quisquam una sequeretur, nisi Petrus, et Jacobus, et Joannes frater
38 Jacobi. Venit igitur domum præfecti synagogæ, et tumultum conspicit, flentes et ejulantes mul-
39 tum. Et ingressus dicit eis, Quid tumultuamini et fletis? puella non est mortua, sed dormit.
40 Et deridebant eum. Ipse vero, ejectis omnibus, assumit patrem et matrem puellæ, et eos qui secum erant, et ingreditur *eo* ubi erat puella
41 jacens. Prehensaque manu puellæ, dicit ei, Talitha cumi; quod est, si interpreteris, Puella,
42 (tibi dico,) surge. Et statim surrexit puella, et ambulabat; erat enim annorum duodecim.
43 Et obstupuerunt stupore magno. [43] *Ipse* vero multum interdixit eis, ne quis id resciret; dixitque ut daretur puellæ quod ederet.
6 ET egressus est illinc, venitque in patriam suam: et secuti sunt eum ipsius discipuli.
2 Quumque advenisset sabbatum, cœpit in synagoga docere: multique audientes percellebantur, dicentes, Unde huic ista? et quæ est hæc sapientia quæ data est ei, quod etiam virtutes tales
3 per manus ejus edantur? Nonne iste est faber ille, filius Mariæ, frater Jacobi, et Jose, et Judæ, et Simonis? nonne et sorores ejus hic sunt apud nos? Et offendebantur in ipso.
4 Dicebat autem eis Jesus, Non est propheta inhonoratus, nisi in patria sua, et inter co-

gnatos, et domi suæ. Neque potuit illic virtutem
ullam edere, nisi *quod* quum paucis male valen-
tibus imposuisset manus, sanavit *eos*. Mirabatur-
que propter incredulitatem eorum: et circuibat
vicos in orbem, docens.

TUNC advocavit duodecim illos, cœpitque eos
mittere binos; deditque eis jus *in* spiritus impuros.
Et mandavit eis, ut nihil attollerent ad iter, nisi
virgam tantum; non peram, non panem, non æs
in zona: sed *ut* calcearentur sandaliis; et ne in-
duerentur binis tunicis.

Et dicebat eis, Ubicunque introieritis domum,
illic manete, usquedum exeatis illinc. Et qui-
cunque non exceperint vos, neque audierint vos,
egressi illinc, excutite pulverem qui suberit
pedibus vestris, ut hoc sit testimonium adversus
eos. Amen dico vobis, Tolerabilior erit Sodo-
morum *conditio* aut Gomorrhorum in die judicii,
quam urbis illius.

Egressi igitur *illi* proclamabant ut resipi-
scerent *homines*. Et dæmonia multa ejiciebant,
ungebantque oleo multos male valentes, et
sanabant *eos*.

AUDIVIT autem *ista* rex Herodes; (erat enim
clarum factum nomen ejus;) dixitque, Joannes,
ille qui baptizabat, suscitatus est ex mortuis, et
propterea virtutes agunt in eo. Alii dicebant,
Elias est. Alii vero dicebant, Propheta est, vel
unus ex prophetis illis. Quum igitur *hæc* audisset
Herodes, ait, Iste est Joannes quem ego decol-
lavi: ipse suscitatus est ex mortuis.

Ipse enim Herodes, missis *satellitibus*, pre-
henderat Joannem, et vinxerat eum in carcere,
propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui;
quia duxerat eam uxorem. Dicebat enim Jo-
annes Herodi, Non licet tibi habere uxorem

19 fratris tui. Herodias autem imminebat ei, et
20 cupiebat eum interimere; nec poterat: Herodes
enim metuebat Joannem, sciens eum *esse* virum
justum ac sanctum, et observabat eum; audito-
que eo, multa faciebat, et libenter eum audiebat.
21 Quum igitur dies opportunus adesset, quo tempore
Herodes in natalitiis suis cœnam faciebat, opti-
matibus suis, ac chiliarchis, et primariis Galilææ:
22 et introisset filia ipsius Herodiadis, ac saltasset,
placuissetque Herodi, et simul accumbentibus,
rex ait puellæ, Pete a me quodcunque volueris,
23 et dabo tibi. Juravitque ei, Quodcunque a me
petieris dabo tibi, usque ad dimidium regni mei.
24 At illa egressa dixit matri suæ, Quid petam?
25 Illa vero dixit, Caput Joannis Baptistæ. *Puella*
igitur cum festinatione statim ad regem ingressa,
id petiit, dicens, Velim ut jam nunc des mihi
26 in patina caput Joannis Baptistæ. Rex autem
valde tristis factus; noluit *tamen*, propter jus-
jurandum et eos qui simul accumbebant, eam
27 aspernari. Et statim rex, misso spiculatore, im-
28 peravit ut afferretur caput ejus. Ille vero abiit,
ac decollavit eum in carcere; attulitque caput
ejus in patina, et dedit illud puellæ, et puella
29 dedit illud matri suæ. Quumque *hoc* audissent
discipuli ejus, venerunt, et sustulerunt cadaver
ejus, et posuerunt in monumento.
30 Congregati sunt autem apostoli ad Jesum,
et annunciaverunt ei omnia, et quæ egerant, et
31 quæ docuerant. Et dixit eis, Adeste vos priva-
tim in desertum locum, et requiescite paululum:
erant enim multi venientes et abeuntes; et ne
32 edere quidem ipsis vacabat. Abierunt igitur in
desertum locum navigio seorsim.
33 Vidit autem eos abeuntes turba, et agnoverunt
eum multi; et pedibus ex omnibus civitatibus

concurrerunt illuc, prævenerunteque eos, et una
34 venerunt ad eum. Tunc egressus vidit turbam
multam Jesus, et commiseratione intima commotus
est super eis, quoniam erant ut oves non habentes
pastorem: cœpitque eos docere multa.
35 Quum autem jam multus dies esset, adierunt
eum discipuli ejus, dicentes, Desertus est locus
36 iste, et jam multus dies est; dimitte eos, ut
abeant in circumjacentes agros ac vicos, et emant
sibi panes: nam quod edant non habent.
37 At ille respondens dixit eis, Date vos ipsis
quod edant.
Tunc dicunt ei, *Num* profecti emerimus du-
centis denariis panes, et dederimus eis edendos?
38 Ipse vero dixit eis, Quot panes habetis? abite
et videte. Et *illi*, re cognita, dixerunt, Quinque,
et duos pisces.
39 Tunc imperavit iis ut accumbere curarent
40 omnes per convivia super viridi gramine. Re-
cubuerunt igitur sigillatim per areolas, *partim*
41 centeni, et *partim* quinquageni. Et acceptis
quinque illis panibus, ac duobus illis piscibus,
suspiciens in cœlum, benedixit, ac fregit panes;
deditque discipulis suis, ut illis apponerent: et
42 duos pisces partitus est omnibus. Ederuntque
43 omnes, et saturati sunt. Et sustulerunt frag-
mentorum duodecim cophinos plenos, et ex
44 piscibus. Erant autem qui panes illos ederant
quasi quinquies mille viri.
45 Et statim coegit discipulos suos inscendere
navigium, et præire in ulteriorem *ripam* Beth-
saidæ oppositam, dum ipse dimitteret turbam.
46 Et quum amandasset eos, abiit in montem ad
precandum.
47 Quum autem serum *diei* adesset, erat navi-
gium in medio mari, et ipse solus in terra,

48 Viditque eos vexatos in *navigio* provehendo; (erat enim ventus eis contrarius;) et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans
49 super mare: volebatque eos præterire. Illi vero, viso eo ambulante super mare, putarunt spec-
50 trum esse; et exclamaverunt: (omnes enim videbant eum, et turbati sunt.) Sed statim locutus est cum eis, et dixit, Confidite; ego sum; ne metuite.
51 Tunc ascendit ad eos in navigium; quievitque ventus: et *ipsi* multo magis apud sese obstupe-
52 scebant, et mirabantur. Non enim attenderant *quod factum fuerat* illis panibus; quoniam cor eorum occalluerat.
53 ET quum trajecissent, venerunt in terram
54 Genesaret; et appulerunt. Tunc ipsis egressis e navigio, statim *homines loci illius*, agnito eo,
55 discursantes per totam circumjacentem regionem cœperunt in grabatis male affectos *eo* circum-
56 ferre, ubi audiebant eum esse. Et quocunque introisset in vicos, aut urbes, aut agros, in foris ponebant infirmos; et precabantur eum ut vel fimbriam pallii ipsius tangerent: et quotquot tangebant eum, servabantur.

7 Tunc congregati sunt ad eum Pharisæi, et quidam ex scribis, qui venerant Hierosolymis.
2 Et quum vidissent quosdam ex discipulis ejus pollutis manibus (id est, illotis) edere panem,
3 conquesti sunt. Nam Pharisæi et omnes Judæi, nisi pugno laverint manus, non edunt; retinentes
4 traditionem seniorum: et a foro *venientes*, nisi loti fuerint, non edunt: et alia multa sunt quæ acceperunt retinenda, *nempe* lotiones poculorum, et sextariorum, et æramentorum, et lectorum.
5 Deinde interrogarunt eum Pharisæi et scribæ, Quare discipuli tui non ambulant secundum tradi-

tionem seniorum, sed illotis manibus edunt panem?

6 Ille vero respondens dixit eis, Bene certe prophetavit Esaias de vobis hypocritis; ut scriptum est, Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum procul distat a me.
7 Frustra vero me colunt, docentes doctri-
8 nas, *quæ sunt* præcepta hominum (Es. 29, 13). Nam omisso præcepto Dei, tenetis traditionem hominum, lotiones sextariorum et poculorum: alia-
9 que similia hujusmodi multa facitis. Præterea dixit eis, *Sane* belle irritum facitis mandatum
10 Dei, ut traditionem vestram observetis. Moses enim dixit, Honora patrem tuum et matrem
11 tuam (Ex. 20, 12); et, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur (Ex. 21, 17). Vos autem dicitis, Si dixerit quispiam patri vel matri, Corban (id est, donum) *est* quocunque a me
12 juvari posses, *insons erit*. Nec permittitis amplius eum quicquam præstare patri suo aut matri suæ:
13 irritum facientes sermonem Dei traditione vestra quam tradidistis: et similia hujusmodi multa facitis.

14 Advocata etiam tota turba, dixit eis, Audite
15 me omnes, et attendite. Nihil est extra hominem, quod ingrediens in eum, possit eum polluere: sed quæ egrediuntur ex eo, illa sunt quæ
16 polluunt hominem. Siquis habet aures ad audiendum, audiat.

17 Et quum introisset domum, *digressus* a turba, interrogarunt eum discipuli ejus de parabola.
18 Tunc dicit eis, Itane et vos intelligentia ca-
retis? Non perpenditis quicquid extrinsecus
19 ingreditur in hominem, non posse eum polluere? non enim ingreditur in cor ejus, sed in ventrem; et in latrinam abit, purificans omnes

20 escas. Dicebat autem, Quod ex homine egre-
21 ditur, illud polluere hominem. Intus enim, ex
corde hominum, malæ cogitationes egrediuntur,
22 adulteria, scortationes, cædes, furta, augendæ
rei artes, improbitates, dolus, lascivia, oculus
23 malus, obtrectatio, superbia, amentia: omnia
hæc mala intus exeunt, et polluunt hominem.
24 ET illinc surgens abiit in confinia Tyri ac
Sidonis; et ingressus domum, neminem volebat
25 *hoc* scire: sed non potuit latere. Quum enim de
eo audisset mulier, cujus filiola habebat spiritum
26 impurum, venit, et accidit ad pedes ejus; (erat
autem mulier Græca, Syrophœnissa gente;) et
rogavit eum ut dæmonium ejiceret ex filia sua.
27 Jesus autem dixit ei, Sine prius saturari li-
beros: non est enim bonum accipere panem
liberorum, et objicere catellis.
28 Ipsa vero respondit, et dixit ei, Etiam, Do-
mine: sed enim catelli edunt sub mensa ex
micis puerorum.
29 Tunc dixit ei, Propter istum sermonem abi:
30 exiit dæmonium ex filia tua. Quum autem *illa*
abiisset domum suam, invenit dæmonium exivisse,
et filiam projectam super lectum.
31 Tunc regressus e finibus Tyri ac Sidonis,
venit ad mare Galilææ, per medios fines Deca-
polis.
32 Tunc offerunt ei surdum difficulter loquentem;
et precantur eum, ut imponeret ei manum.
33 *Ipse* vero, quum abduxisset eum e turba priva-
tim, misit digitos suos in auriculas ejus; et
34 quum spuisset, tetigit linguam ejus. Et quum
suspexisset in cœlum, suspiravit, et dixit ei,
35 Ephphata, quod est, Adaperitor. Et statim
adapertæ sunt ejus aures: et solutum est vin-
culum linguæ ipsius, et loquebatur recte.

36 Et interdixit eis ne cui *istud* dicerent: sed
quantumcunque ipse eis interdixisset, multo
37 magis *hoc* prædicabant. Et supra modum per-
cellebantur, dicentes, Bene omnia fecit: facit ut
et surdi audiant, et muti loquantur.

8 DIEBUS illis, quum multa omnino turba
esset, nec haberent quod ederent, advocatis
2 Jesus discipulis suis, dixit eis, Intima miseri-
cordia commoveor erga turbam; quia jam tri-
duum manent apud me, nec habent quod edant.
3 Quod si dimisero eos jejunos domum suam, de-
ficient in via: quidam enim ex eis e longinquo
venerunt.

4 Responderunt autem ei discipuli ejus, Unde istos
quispiam possit hic satiare panibus in deserto?
5 Interrogavit igitur eos, Quot panes habetis?
Ipsi vero dixerunt, Septem.

6 Tunc mandavit turbæ ut recumberet humi: et
acceptis septem illis panibus, quum gratias
egisset, fregit, deditque discipulis suis, ut *eos*
7 apponerent: et apposuerunt turbæ. Habebant
autem pisciculos paucos: et quum benedixisset,
8 dixit ut hos etiam apponerent. Ederunt autem,
et saturati sunt: et sustulerunt fragmentorum
9 quæ superfuerant, septem sportas. Erant vero
10 qui ederant quasi quater mille: dimisitque eos.

ET statim ingressus in navigium cum disci-
11 pulis suis, venit in partes Dalmanutha.

Prodierunt vero Pharisæi, cœperuntque alter-
cari cum eo, quærentes ab eo signum e cœlo,
12 ipsum tentando. Ipse vero quum alte ingemu-
isset spiritu suo, dixit, Cur gens ista signum
13 requirit? Amen dico vobis, Si dabitur isti genti
signum. Et eis relictis, ingressus rursus navi-
14 gium, abiit in ulteriorem *ripam*.

Fuerant autem obliti discipuli sumere panes,

et panem non nisi unum habebant secum in
15 navigio. Tunc edixit eis, dicens, Videte, cavete
a fermento Pharisæorum, et fermento Herodis.
16 Disceptabant igitur alii adversus alios, di-
centes, Panes non habemus.
17 *Id* autem quum nosset Jesus, dixit eis, Quid
disceptatis quod panes non habetis? nondum
ista perpenditis, nec intelligitis? adhuc metu
18 obductum habetis cor vestrum? quum oculos
habeatis, non videtis? et quum aures habeatis,
19 non auditis? neque memores estis? Quum quin-
que illos panes fregi illis quinquies mille, quot
cophinos fragmentis plenos sustulistis? Dicunt
20 ei, Duodecim. Quum autem septem illos *panes*
illis quater mille, quot sportas fragmentis plenas
21 sustulistis? Illi vero dixerunt, Septem. Tunc
dixit eis, Quomodo *hæc* non intelligitis?
22 VENIT autem Bethsaidan: et obtulerunt ei
cæcum, et precati sunt eum ut ipsum tangeret.
23 Tunc prehensa manu cæci, eduxit eum extra
vicum: et quum inspuisset in oculos ejus, im-
posuissetque ei manus, interrogavit eum ecquid
24 videret. Qui quum sursum oculos intendisset,
dixit, Cerno homines instar arborum ambulantes.
25 Deinde rursum imposuit manus oculis ejus,
fecitque ut *denuo* oculos intenderet; et resti-
tutus fuit, viditque procul et dilucide omnes.
26 Tunc *Jesus* remisit eum domum suam, dicens,
Neque in vicum illum ingreditor, neque *hæc*
dicito cuiquam in vico.
27 EGRESSUS est autem Jesus ac discipuli ejus
in vicos Cæsareæ, *quæ cognominatur* Philippi:
et in via interrogavit discipulos suos, dicens eis,
Quemnam esse me dicunt homines?
28 Illi vero responderunt, Joannem Baptistam;
et alii, Eliam; alii vero, unum ex prophetis.

29 Tunc ipse dixit eis, Vos autem, quem me dicitis esse?

Respondens vero Petrus dicit ei, Tu es ille Christus.

30 Tunc interminatus est, ut nulli *id* dicerent de se.

31 Et cœpit eos docere quod oporteret Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et primariis sacerdotibus, ac scribis, et interimi;
32 et tribus post diebus resurgere. Et libere eum sermonem loquebatur.

Prehensum autem eum Petrus cœpit objurgare.
33 Ipse vero conversus, et intuitus discipulos suos, objurgavit Petrum, dicens, Abscede a me, Satana; nam non sapis quæ Dei *sunt*, sed quæ *sunt* hominum.

34 Et quum advocasset turbam cum discipulis suis, dixit eis, Quicunque vult pone me venire, abneget semetipsum, et attollat crucem suam,
35 ac sequatur me. Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam causa mea et evangelii, is
36 servabit eam. Quid enim profuerit cuipiam, si lucratus fuerit mundum totum, et anima sua
37 mulctetur? Aut quam dabit quispiam com-
38 mutationem animæ suæ? Nam quemcunque puduerit mei ac meorum sermonum inter gentem istam adulteram et peccatricem, Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria Patris sui cum angelis illis sanctis.

9 Præterea dixit eis, Amen dico vobis, Sunt quidam ex iis qui hic adstant, qui nequaquam gustabunt mortem, usquedum viderint regnum Dei venisse cum potentia.

2 Sexto vero post die assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, et subducit eos in

montem sublimem seorsim solos: et transfor-
3 matus fuit coram eis. Et vestimenta ejus facta
sunt coruscantia, candida valde ut nix, qualia
4 non potest fullo in terra dealbare. Et visus
est eis Elias cum Mose, qui colloquebantur
cum Jesu.
5 Tunc respondens Petrus dicit Jesu, Rabbi,
bonum est nos hic esse: faciamus igitur taber-
nacula tria; tibi unum, et Mosi unum, et Eliæ
6 unum. Nec enim sciebat quid loqueretur; erant
enim exterriti.
7 Et exstitit nubes quæ inumbravit eos: venit-
que vox e nube, dicens, Hic est Filius ille
meus, dilectus ille, ipsum audite.
8 Et repente, quum circumspexissent, non am-
plius viderunt quenquam, nisi solum Jesum
secum.
9 Quum vero descenderent e monte, edixit eis
ut nemini narrarent quæ viderant, nisi postquam
10 Filius hominis ex mortuis resurrexisset. *Ipsi*
igitur hanc rem continuerunt apud se, mutuo
quærentes, quid illud esset, ex mortuis resurgere.
11 Et interrogarunt eum, dicentes, Cur scribæ
dicunt oportere ut Elias prius veniat?
12 Ipse vero respondens dixit eis, Elias quidem,
postquam prius venerit, restituet omnia: sed ut
scriptum est de Filio hominis, *oportet* ut multa
13 patiatur, et pro nihilo habeatur. Sed dico
vobis, Et Eliam venisse, et *istos* ei fecisse quæ-
cunque voluerunt, sicut scriptum est de eo.
14 ET quum venisset ad discipulos *suos*, vidit
turbam multam circa eos, et scribas cum eis
15 altercantes. Et statim tota turba viso eo ex-
pavit; et accurrentes salutaverunt eum.
16 Tunc interrogavit scribas, Quid altercamini
17 inter vos? Et respondens quidam e turba, dixit,

Magister, adduxi filium meum ad te, habentem
18 spiritum mutum; qui ubicunque eum deprehenderit, lacerat eum; *ipse* vero spumat, et stridet dentibus suis, et exarescit. Et dixi discipulis tuis, ut eum ejicerent; sed nequiverunt.
19 Ipse vero respondens ei dixit, O gens incredula, quousque apud vos ero? quousque tandem sufferam vos? adducite eum ad me.
20 Illum igitur adduxerunt ad eum. Et eo conspecto, statim spiritus discerpsit eum: et *ille*, quum cecidisset in terram, volutabat sese spumans.
21 Tunc interrogavit *Jesus* patrem ejus, Quantum temporis est quod hoc accidit ei?
22 Ipse vero ait, Ab infante: [22] et eum sæpe tum in ignem abjecit, tum in aquas, ut perderet eum. Sed si quid potes, succurre nobis, intima misericordia commotus erga nos.
23 Jesus autem dixit ei, Si potes hoc credere, omnia fieri possunt credenti.
24 Pater vero pueri statim clamans, cum lacrymis dixit, Credo, Domine: succurre incredulitati meæ.
25 Quum vidisset autem Jesus turbam simul accurrere, objurgavit spiritum illum impurum, dicens ei, *Tu* spiritus mute et surde, ego tibi impero, exi ab eo, et ne amplius ingreditor in
26 eum. Et quum clamasset *spiritus*, multumque discerpsisset eum, exivit: et *ille* factus est quasi
27 mortuus; adeo ut multi dicerent, Certe mortuus est. Jesus vero prehensa manu ejus, erexit
28 eum; et *ille* surrexit.
Quum autem esset ingressus domum, discipuli ejus interrogarunt eum privatim, Cur nos non
29 potuimus *spiritum* illum ejicere?
Ipse vero dixit eis, Hoc genus *dæmoniorum* nullo modo potest exire nisi orando et jejunando.

30 Et illinc egressi, una iter faciebant per
Galilæam: nec volebat ut quisquam *id* sciret.
31 Docebat enim discipulos suos, et dicebat eis,
Filius hominis tradetur in manus hominum, qui
interiment eum: sed interemtus, tertio die re-
32 surget. Ipsi vero ignorabant hoc dictum, et
metuebant eum interrogare.
33 VENIT igitur Capernaum: et quum venisset
domum, interrogavit eos, Quid in via inter vos
34 disceptabatis? Ipsi vero siluerunt: nam alii ad-
versus alios disceptarant in via, quis *esset*
futurus ipsorum maximus.
35 Et quum consedisset, vocavit duodecim illos,
et dixit eis, Si quis vult primus esse, erit om-
36 nium ultimus, et omnium minister. Et acceptum
puerulum statuit in medio eorum: eoque in
37 ulnas recepto, dixit eis, Quisquis unum ex
talibus puerulis exceperit meo nomine, me ex-
cipit; et quicunque me exceperit, non me ex-
cipit, sed eum qui misit me.
38 Respondit autem ei Joannes, dicens, Magister,
vidimus quendam per nomen tuum ejicientem
dæmonia, qui non sequitur nos: et prohibuimus
eum, quia non sequitur nos.
39 Jesus autem ait, Ne illum prohibete: nullus
enim est qui edat virtutem per nomen meum,
40 et possit cito male loqui de me. Nam qui non
41 est contra nos, pro nobis est. Quisquis enim
potum dederit vobis poculum aquæ in nomine
meo, *id est*, quod sitis Christi, amen dico vobis,
42 Nequaquam perdiderit mercedem suam. Et
quisquis offendiculo fuerit uni ex parvis istis
qui credunt in me, bonum esset ei potius si
circumponeretur saxum molare circa collum ejus,
et projiceretur in mare.
43 Quod si manus tua facit ut tu offendas,

abscinde eam: bonum est tibi ad vitam ingredi mancum, *potius* quam duas manus habentem abire in Gehennam, *id est*, in ignem illum
44 inextinctum: ubi vermis eorum non interit, et
45 ignis non exstinguitur. Et si pes tuus facit ut tu offendas, abscinde eum: bonum est tibi ingredi in vitam claudum, *potius* quam duos pedes habentem projici in Gehennam, *id est*,
46 in ignem illum inextinctum: ubi vermis eorum
47 non interit, et ignis non exstinguitur. Et si oculus tuus facit ut tu offendas, erue eum: bonum est tibi introire in regnum Dei luscum, *potius* quam duos oculos habentem projici
48 in Gehennam ignis: ubi vermis eorum non
49 interit, et ignis non exstinguitur. Nam omnis *homo* igne salietur: et omnis oblatio sale
50 salietur. Bonus est sal: si vero sal insulsus factus fuerit, quonam ipsum condietis? Habete in vobis ipsis salem, et pacem habete alii cum aliis.

10 ET illinc surgens, venit in fines Judææ per oram Jordanis: et convenit rursum turba ad eum: et, ut consueverat, rursum docebat eos.

2 Tunc accedentes Pharisæi interrogarunt eum, an liceret viro uxorem dimittere, tentantes eum.

3 Ipse vero respondens dixit eis, Quid vobis præcepit Moses?

4 Ipsi autem dixerunt, Moses permisit libellum abscessionis scribere, et dimittere *uxorem*.

5 Tunc respondens Jesus dixit eis, Pro duritia
6 cordis vestri scripsit vobis præceptum istud: a principio vero creationis, masculum et feminam
7 fecit Deus. Propterea derelinquet homo patrem suum et matrem, et agglutinabi-
8 tur uxori suæ; et qui duo *fuerant*, erunt caro una (Gen. 2, 24). Itaque non sunt amplius

9 duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit,
homo ne separato.
10 Et domi rursum discipuli ejus eadem de re
11 interrogaverunt eum. *Ipse* vero dixit eis, Qui-
cunque dimiserit uxorem suam, et duxerit aliam,
12 mœchatur adversus eam. Et, si mulier dimiserit
virum suum, et nupserit alteri, mœchatur.
13 Tunc obtulerunt ei puerulos, ut tangeret eos:
discipuli vero objurgabant eos qui offerebant
14 Quod quum vidisset Jesus, indignatus est, et
dixit eis, Sinite puerulos venire ad me, et ne
prohibite eos; talium enim est regnum Dei.
15 Amen dico vobis, Quicunque non exceperit
regnum Dei ut puerulus, nequaquam in id in-
16 gredietur. Et quum accepisset eos in ulnas,
impositis super eos manibus, benedixit eis.
17 EGREDIENTE autem ipso *ut se daret* in
viam, quidam, quum accurrisset, et accidisset ei
ad genua, interrogavit eum, Magister bone,
quid faciam ut vitam æternam possideam?
18 Jesus autem dixit ei, Cur me dicis bonum?
nullus est bonus, nisi unus, *nempe* Deus.
19 Præcepta nosti, Ne mœchator, Ne occidito,
Ne furator, Ne falsum testimonium di-
cito, Ne damno *quenquam* afficito, Ho-
nora patrem tuum et matrem (Ex. 20,
12—16).
20 Ille vero respondens dixit ei, Magister, hæc
omnia observavi a juventute mea.
21 Jesus autem eum intuitus, dilexit eum, et
dixit ei, Unum tibi deest: abi, quæcunque
habes vende, et da pauperibus; et habebis the-
saurum in cœlo: et veni, sequere me, sublata
in humeros cruce.
22 Ille vero mœstus ad hunc sermonem, abiit
tristis: habebat enim possessiones multas.

23 Et quum circumspexisset Jesus, dicit discipulis suis, Quam difficulter qui opes habent, in regnum Dei introibunt!
24 Discipuli vero expaverunt ad hos sermones ipsius. Jesus autem rursum respondens dixit eis, Filii, quam difficile est eos qui confidunt
25 opibus, in regnum Dei introire! Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei introire.
26 Illi vero eo amplius percellebantur, dicentes inter se, Et quis potest servari?
27 Intuitus autem eos Jesus dicit, Apud homines *hoc* fieri non potest, sed non apud Deum: nam omnia possibilia sunt apud Deum.
28 Tunc Petrus cœpit dicere, Ecce, nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.
29 Respondens autem Jesus ait, Amen dico vobis, Nullus est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea causa et
30 evangelii, quin accipiat centuplicia nunc hoc ipso tempore, domos, et fratres, et sorores, et matres, et liberos, et agros, *et* cum persecutionibus; ac in seculo venturo vitam æternam.
31 Multi autem primi, erunt ultimi; et ultimi, primi.
32 ERANT autem in via ascendentes Hierosolyma; et præibat eis Jesus: et expavescebant, et *eum* sequendo metuebant. Ipse vero, assumptis rursum duodecim, illis cœpit dicere quæ
33 sibi erant eventura, *dicens*, Ecce, ascendimus Hierosolyma; et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis; et condemnabunt
34 eum morte, tradentque eum gentibus: et *ipsæ* illudent ei, et flagellabunt eum, et inspuent in eum, et interiment eum: sed tertia die resurget.

35 Tunc accedunt ad eum Jacobus et Joannes, filii Zebedæi, dicentes, Magister, velimus ut quicquid petierimus præstes nobis.
36 Ipse vero dixit eis, Quid me vultis vobis præstare?
37 Illi autem dixerunt ei, Da nobis ut unus ad dextram tuam et alter ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.
38 Jesus autem dixit eis, Nescitis quid petatis. Potestis bibere poculum quod ego bibo; et baptismo quo ego baptizor, baptizari?
39 Ipsi vero dixerunt ei, Possumus.
Jesus autem dixit eis, Poculum quidem quod ego bibo, bibetis; et baptismate quo ego ba-
40 ptizor, baptizabimini: sed sedere ad dextram meam et ad sinistram meam, non est meum dare; sed *dabitur* quibus paratum est.
41 Et quum *hæc* audissent *alii* decem, cœperunt indignari de Jacobo et Joanne.
42 Jesus autem quum eos advocasset, dixit eis, Scitis eos qui censentur imperare gentibus dominari in eas; et earum magnates auctoritate
43 uti in eas. Verum non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit fieri magnus inter vos, sit
44 minister vester: et quicunque voluerit ex vobis
45 fieri primus, sit omnium servus. Nam et Filius hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionis pretium pro multis.
46 TUNC veniunt Hiericho: eoque egrediente ab Hiericho, ac discipulis ejus, et turba satis multa, filius Timæi, Bartimæus cæcus, sedebat
47 apud viam mendicans. Et quum audisset ipsum esse Jesum illum Nazarenum, cœpit clamare et
48 dicere, Fili Davidis Jesu, miserere mei! Objurgabant autem eum multi ut sileret: ille vero

multo magis clamabat, Fili Davidis, miserere mei!

49 Tunc Jesus, quum substitisset, jussit eum vocari. Vocant igitur cæcum, dicentes ei, Confide,
50 surge; vocat te. Ipse vero, abjecto pallio suo, quum surrexisset, venit ad Jesum.
51 Et respondens dixit ei Jesus, Quid vis tibi faciam?

Cæcus autem ait ei, Rabboni, ut visum recipiam.
52 Jesus autem dixit ei, Abi; fides tua te servavit. Statim igitur recepit visum, et sequebatur Jesum in illo itinere.

11 1 QUUM autem appropinquarent Hierosolymis ad Bethphage et Bethaniam, apud montem Ole-
2 arum, misit duos e discipulis suis, et dicit eis, Abite in vicum qui vobis est ex adverso: et statim ut ingrediemini in eum, invenietis pullum ligatum, in quo nullus hominum sedit: solvite
3 eum *et* adducite. Quod si quis vobis dixerit, Cur hoc facitis? dicite, Quoniam eo opus est Domino: et eum statim huc mittet.
4 Abierunt igitur, et invenerunt pullum ligatum ad ostium foris in bivio; et solverunt eum.
5 Tunc quidam eorum qui illic adstabant, dixerunt
6 eis, Quid facitis qui solvitis pullum? Ipsi vero dixerunt eis prout præceperat Jesus: et *illi* dimiserunt eos.
7 Adduxerunt igitur pullum ad Jesum, et in-
8 jecerunt ei pallia sua: et insedit ei. Multi vero pallia sua straverunt per viam: alii autem frondes cædebant ex arboribus, et sternebant in viam.
9 Et qui præibant, quique sequebantur, clamabant,
10 dicentes, Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini (Ps. 118, 26)! Benedictum regnum patris nostri Davidis, quod venit in nomine Domini: Hosanna, *o qui es* in *cælis* altissimis!

11 Et ingressus est Hierosolymam Dominus, et in templum: quumque circumspexisset omnia, et vespera jam hora esset, exiit ad Bethaniam cum illis duodecim.
12 ET postero die, quum exissent Bethania,
13 esuriit. Quumque e longinquo vidisset ficum habentem folia, venit *visurus* num inveniret aliquid in ea: et quum venisset ad eam, nihil invenit nisi folia: non enim erat tempus ficuum.
14 Tunc respondens Jesus dixit ficui, Ne amplius ex te in seculum quisquam fructum edat. Et *hoc* audierunt discipuli ejus.
15 Veniunt igitur Hierosolymam. Et ingressus Jesus in templum, cœpit ejicere eos qui vendebant et emebant in templo; et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas
16 subvertit: nec sinebat ut quisquam deportaret
17 vas per templum. Et docebat, dicens eis, Nonne scriptum est, Domum meam domum orationis vocatum iri ab omnibus gentibus (Es. 56, 7)? vos autem eam fecistis speluncam latronum.
18 Et *hoc* audierunt scribæ et primarii sacerdotes, et quærebant quomodo eum perderent: metuebant enim eum, quia tota turba percellebatur super doctrina ipsius.
19 QUUM vero vespera advenisset, egressus est Jesus extra urbem.
20 ET mane iter facientes prope ficum, viderunt
21 eam exaruisse radicitus. Tunc recordatus Petrus dixit ei, Rabbi, ecce, ficus illa quam exsecratus es exaruit.
22 Et respondens Jesus dixit eis, Habete fidem
23 Dei. Amen enim dico vobis, Quicunque dixerit monti huic, Tollitor et projicitor in mare; nec addubitaverit in corde suo, sed crediderit futura

24 quæ dicit, fiet ei quicquid dixerit. Propterea
dico vobis, Quæcunque orantes petitis, credite
25 vos accepturos; et erunt vobis. Et quum ad-
stiteritis orantes, remittite, si quid habetis ad-
versus aliquem: ut et Pater ille vester qui in
26 cœlis *est* remittat vobis offensas vestras. Nam
si vos non remiseritis, nec Pater ille vester qui
in cœlis *est* remittet offensas vestras.
27 TUNC veniunt rursus Hierosolyma: et quum
ipse ambularet in templo, veniunt ad eum pri-
28 marii sacerdotes, et scribæ, et seniores, et dicunt
ei, Qua auctoritate ista facis? et quis tibi dedit
auctoritatem istam, ut hæc facias?
29 Jesus autem respondens dixit eis, Interrogabo
vos et ego quiddam: respondete igitur mihi, et
30 dicam vobis qua auctoritate hæc faciam: Bap-
tisma Joannis, e cœlo erat, an ex hominibus?
respondete mihi.
31 Ratiocinabantur autem apud se, dicentes, Si
dixerimus, E cœlo; dicet, Quare ergo non cre-
32 didistis ei? Sed si dicamus, Ex hominibus;
timemus populum: omnes enim sentiebant de
33 Joanne quod vere propheta fuisset. Tunc re-
spondentes dicunt Jesu, Nescimus.
Et Jesus respondens dicit eis, Nec ego dicam
vobis qua auctoritate hæc faciam.
12 ET cœpit eis per parabolas dicere, Vineam
plantavit quidam, et circumposuit sepem, et
fodit lacum, et ædificavit turrim, et elocavit eam
2 agricolis; ac peregre profectus est. Misitque
servum ad agricolas *suo* tempore, ut ab agri-
3 colis acciperet ex fructu vineæ. Illi vero
captum eum ceciderunt, ac remiserunt inanem.
4 Es rursum misit ad eos alium servum; et *illi*
huic quoque lapidato, caput comminuerunt, et
5 remiserunt contumelia affectum. Et rursum

alium misit; et illum interemerunt multosque
alios; hos quidem cædentes, illos vero interi-
6 mentes. Quum ergo unum adhuc haberet filium
suum dilectum, misit etiam illum ultimum ad
7 eos, dicens, Reverebuntur filium meum. Illi
vero agricolæ dixerunt inter se, Iste est hæres;
venite, interimamus eum, et nostra erit hære-
8 ditas. Et captum eum interemerunt, et ejecerunt
9 extra vineam. Quid ergo faciet dominus vineæ?
Veniet, et perdet agricolas, et dabit vineam
10 aliis. Ne hanc quidem scripturam legistis,
Quem lapidem reprobaverunt aedifi-
11 cantes, is factus est caput anguli: a
Domino factum est istud, et est mirabile
in oculis nostris (Ps. 118, 22)?
12 Studebant igitur eum prehendere: sed metu-
erunt turbam; norant enim eum adversus ipsos
illam parabolam dixisse: itaque omisso eo abierunt.
13 ET miserunt ad eum quosdam e Pharisæis et
Herodianis; ut eum irretirent captum sermone.
14 Illi vero, quum venissent, dicunt ei, Magister,
scimus te veracem esse, neque curare quenquam;
non enim respicis ad personam hominum, sed
in veritate viam Dei doces: Licet censum Cæsari
dare, an non? demus, an non demus?
15 Ipse vero, quum sciret eorum hypocrisin, dixit
eis, Quid me tentatis? proferte mihi denarium,
16 ut videam. [16] Illi vero protulerunt. Tunc dicit
eis, Cujus est imago ista et inscriptio?
Illi vere dixerunt ei, Cæsaris.
17 Et respondens Jesus dixit eis, Reddite quæ
sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ Dei *sunt*, Deo.
Et admirati sunt super ipso.
18 TUNC veniunt ad eum Sadducæi, qui dicunt
non esse resurrectionem; et interrogarunt eum,
19 dicentes, Præceptor, Moses scripsit nobis, ut si

cujus frater mortuus sit, ac reliquerit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat ipsius frater
20 uxorem ejus, et excitet semen fratri suo. Septem ergo fratres fuerunt: ac primus accepit uxorem,
21 et moriens non reliquit semen. Et secundus accepit eam, et mortuus est, et ne ipse quidem
22 reliquit semen: et tertius itidem. Et acceperunt eam septem illi, neque reliquerunt semen:
23 ultima omnium mortua est et mulier. In resurrectione ergo, postquam resurrexerint, cujus eorum erit uxor? nam septem habuerunt eam uxorem.
24 Tunc respondens Jesus dixit eis, Nonne propterea erratis, quod non sciatis scripturas, neque
25 potentiam Dei? Postquam enim ex mortuis resurrexerint *homines*, neque uxores ducunt, neque nuptum dantur; sed sunt ut angeli qui in cœlis
26 *sunt*. De mortuis vero, quod suscitandi sint, non legistis in libro Mosis, quomodo in rubo locutus sit ei Deus, dicens, Ego *sum* Deus Abrahami, et Deus Isaaci, et Deus Ja-
27 cobi (Ex. 3, 6)? Non est Deus *Deus* mortuorum, sed Deus viventium: vos ergo multum erratis.
28 Et quum accessisset quidam e scribis, qui audierat eos altercantes, et sciebat eum bene illis respondisse, interrogavit eum, *dicens*, Quod est primum omnium præceptum?
29 Jesus autem respondet ei, Primum omnium
30 præceptorum *est*, Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est. Diliges igitur Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota cogitatione tua, et ex totis viribus tuis
31 (Deut. 6, 4. 5): hoc est primum præceptum. Et secundum *illi* simile, hoc *est*, Diliges proximum tuum ut teipsum (Lev. 19, 18). Majus istis aliud præceptum non est.

32 Tunc dixit ei scriba ille, Bene, Magister, in
veritate dixisti: nam unus est Deus, nec alius
33 est præter eum: et diligere eum ex toto corde,
et ex tota intelligentia, et ex tota anima, et ex
totis viribus; ac diligere proximum ut seipsum,
plus est quam omnia holocautomata et sacrificia.
34 Tum Jesus, quum vidisset eum cordate re-
spondisse, dixit ei, Non longe es a regno Dei.
Et nemo amplius audebat eum interrogare.
35 Et respondens Jesus dicebat, docens in
templo, Quomodo dicunt scribæ Christum esse
36 filium Davidis? Nam ipse David dixit per
Spiritum Sanctum, Dixit Dominus Domino
meo, Sede ad dextram meam, usquedum
37 statuero inimicos tuos scabellum pedum
tuorum (Ps. 110, 1). Ipse ergo David dicit eum
Dominum: unde igitur filius ejus est?
Et multa illa turba audiebat eum libenter.
38 *Ipse* autem dicebat eis in doctrina sua, Cavete
a scribis, qui amant stolati ambulare, et salutа-
39 tiones in foris, primosque consessus in conven-
40 tibus, et primos accubitus in cœnis: qui devorant
domos viduarum, et in speciem utuntur longis
precibus: isti auferent gravius judicium.
41 Et quum sedisset Jesus ex adverso gazo-
phylacii, spectabat quomodo turba immitteret
æra in gazophylacium: multi igitur divites im-
42 mittebant multa. Et quum venisset quædam
vidua pauper, immisit minuta *æreola* duo, quod
43 est quadrans. Tunc *ille*, quum advocasset disci-
pulos suos, dixit eis, Amen dico vobis, Vidua
hæc pauper plus immisit quam omnes *alii* qui
44 miserunt *pecuniam* in gazophylacium: nam
omnes ex eo quod ipsis redundat immiserunt;
hæc vero e penuria sua immisit omnia quæ
habebat, totum *nempe* victum suum.

13 QUUM autem egrederetur e templo, dixit ei
quidam e discipulis ejus, Magister, vide quales
lapides, et qualia *ista sint* ædificia!
2 Tunc Jesus respondens dixit ei, Vides ista
magna ædificia? non relinquetur lapis super
lapidem, qui non dissolvatur.
3 Et quum sederet in monte Olearum ex ad-
verso templi, interrogarunt eum privatim Petrus,
4 et Jacobus, et Joannes, et Andreas, Dic nobis,
quando hæc erunt, et quod signum *erit* quando
futurum est ut hæc omnia consummentur.
5 Jesus autem eis respondens cœpit dicere,
6 Videte ne quis vos seducat: multi enim venient
sub nomine meo, dicentes, Ego sum *Christus;*
7 multosque seducent. Quum autem audieritis
bella et rumores bellorum, ne turbamini; oportet
8 enim *ista* fieri: at nondum *erit* finis. Surget
enim gens in gentem, et regnum in regnum;
eruntque terræmotus singulis locis, et erunt
fames ac turbæ: principia dolorum hæc *erunt.*
9 Sed cavete vos vobisipsis; tradent enim vos
in consessus et conventus; cædemini; et coram
præsidibus ac regibus sistemini propter me, *ut*
10 *hoc sit* testimonio adversus eos. Et apud
omnes gentes oportet primum prædicari Evan-
11 gelium. Quum autem vos tradendo duxerint,
ne ante soliciti estote quid dicturi sitis, neque
meditamini: sed quicquid datum fuerit vobis
illo momento, id loquimini: non enim estis vos
12 qui loquimini, sed Spiritus Sanctus. Trade-
autem frater fratrem ad mortem, et pater filium
et insurgent liberi adversus parentes, et eos
13 curabunt morte mulctandos. Et eritis odio
omnibus propter nomen meum: sed qui sub-
stiterit ad finem usque, is servabitur.
14 Quum autem videritis abominationem illam

vastatricem, quæ dicta est a Daniele propheta, positam ubi non oportet, (qui *hæc* legit animum advertat,) tunc qui *fuerint* in Judæa, fugiant in
15 montes: qui vero *fuerit* in solario, ne descendat domum, nec ingrediatur ut quicquam tollat e
16 domo sua: et qui fuerit in agro, ne revertatur
17 retro, ut tollat pallium suum. Væ autem gra-
18 vidis et lactantibus per illos dies! Orate vero
19 ne fiat fuga vestra hieme. Erunt enim dies illi talis afflictio, qualis facta non fuit a principio rerum conditarum, quas condidit Deus, usque
20 ad hoc tempus, neque fiet. Et nisi Dominus decurtasset dies illos, omnis caro periret: sed propter electos, quos elegit, decurtavit dies illos.

21 Tunc autem si quis dixerit, Ecce, hic Christus;
22 vel, ecce illic; ne credite: surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ; et edent signa ac prodigia, ad seducendum, si fieri possit, etiam
23 electos. Vos autem cavete: ecce, prædixi vobis omnia.

24 Ceterum per illos dies, post afflictionem illam, sol obscurabitur, nec edet luna splendorem
25 suum. Et stellæ cœli excident, et potestates
26 quæ in cœlis *sunt* concutientur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum
27 potentia multa et gloria. *Ipse* vero tunc mittet angelos suos, et suos electos aggregabit a quatuor ventis, ab extremo terræ usque ad extremum cœli.

28 A ficu vero discite parabolam: Quum ramus ejus jam tenerescit, et germinat folia, nostis
29 prope esse æstatem: ita et vos quum hæc videritis fieri, scitote *illum* prope esse, *et* ad fores.
30 Amen dico vobis, Nequaquam præterierit hæc
31 ætas, usquedum facta sint hæc omnia. Cœlum

et terra præteribunt; sermones autem mei nequaquam præteribunt.

32 Sed de die illo ac hora nemo scit, ne angeli quidem qui in cœlo sunt, nec ipse Filius, sed Pater.

33 Cavete, excubate, et orate; nescitis enim quando præstitutum illud tempus sit futurum.

34 *Nam Filius hominis ita est* ut quispiam qui peregre abiens, relicta domo sua, dataque servis suis potestate, ac suo cuique opere, janitori

35 præcepit ut vigilaret. Vigilate igitur: (nescitis enim quando dominus domus veniet, vespere, an

36 media nocte, an in gallicinio, an mane:) ne quum

37 repente venerit, inveniat vos dormientes. Quæ autem dico vobis, omnibus dico, Vigilate.

14 ERAT autem pascha, et azyma duobus post diebus; et quærebant primarii sacerdotes et scribæ quomodo eum dolo prehensum interi-

2 merent. Dicebant autem, Non in festo, ne tumultus sit populi.

3 QUUM autem *Jesus* esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accumbente eo, venerat mulier habens alabastrum unguenti nardi liquidæ multi pretii; et contrito alabastro, effuderat ei in caput.

4 Quidam autem indignabantur apud sese, et dicebant, Quorsum perditio ista unguenti facta

5 est? nam poterat hoc venire amplius quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam.

6 Jesus autem ait, Omittite eam: quid ei molestias præbetis? bonum opus operata est erga

7 me. Semper enim pauperes habetis vobiscum; et quandocunque volueritis, potestis eis bene-

8 facere; me vero non semper habebitis. Hæc quod potuit fecit: occupavit enim ungere meum

9 corpus ad funerationem. Amen dico vobis, Ubicunque prædicatum fuerit evangelium hoc in toto mundo, etiam id quod ista fecit dicetur in memoriam ipsius.

10 Tunc Judas Iscariotes, unus ex illis duodecim, abiit ad primarios sacerdotes, ut eum ipsis
11 proderet. Illi vero, *eo* audito gavisi sunt; et polliciti sunt se pecuniam ei daturos. Quærebat igitur quomodo opportune eum proderet.

12 PRIMO autem die azymorum, quando pascha mactabatur, dicunt ei discipuli ipsius, Ubi vis ut profecti paremus ut edas pascha?

13 Tunc mittit duos e discipulis suis, et dicit eis, Abite in urbem, et occurret vobis quidam por-
14 tans amphoram aquæ; sequimini eum: et quocunque introierit, dicite patrifamilias, Magister dicit, Ubi est diversorium, ubi pascha cum
15 discipulis meis edam? Tunc ipse vobis ostendet cœnaculum magnum stratum, paratum: illic parate nobis *pascha*.

16 Abierunt igitur discipuli ejus, veneruntque in urbem, et invenerunt *omnia* prout dixerat eis: et paraverunt pascha.

17 Et quum serum *diei* advenisset, venit cum
18 duodecim illis. Quumque accubuissent, et ederent, ait Jesus, Amen dico vobis, Unus ex vobis prodet me, qui edit mecum.

19 Ipsi vero cœperunt affici tristitia, et ei dicere sigillatim, Num ego? et alius, Num ego?

20 Ipse autem respondens dixit eis, Unus ex duodecim qui *manum* intingit mecum in catinum
21 *me prodet*. Filius quidem hominis abit, prout scriptum est de eo: sed væ homini illi per quem Filius hominis proditur! bonum erat homini illi si natus non fuisset.

22 Et edentibus ipsis, quum accepisset Jesus

panem, *et* benedixisset, fregit, deditque eis; et
23 ait, Accipite, edite: hoc est corpus meum. Et
accepto poculo, quum gratias egisset, dedit eis;
24 et biberunt ex eo omnes. Et dixit eis, Hoc est
sanguis meus novi illus pacti qui pro multis
25 effunditur. Amen dico vobis, Non bibam amplius ex fructu vitis, usque ad diem illum quum ipsum bibam novum in regno Dei.
26 Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem Olearum.
27 Tunc dicit eis Jesus, Omnes offendemini in me nocte ista: nam scriptum est, Percutiam
28 pastorem, et dispergentur oves (Zach. 13,7). Sed postquam suscitatus fuero, præibo vobis in Galilæam.
29 Petrus autem dixit ei, Etiamsi omnes offendantur, at non ego.
30 Tunc dicit ei Jesus, Amen dico tibi, Hodie nocte ista, priusquam bis gallus vocem miserit, ter abnegabis me.
31 At ille multo magis dicebat, Si me oportuerit commori tibi, haudquaquam te abnegabo. Itidem autem etiam omnes dicebant.
32 VENIUNT igitur in locum cujus nomen *est* Gethsemane. Tunc dicit discipulis suis, Sedete hic, usquedum oravero.
33 Et assumit Petrum et Jacobum et Joannem secum; cœpitque expavescere, et gravissime angi.
34 Et dixit eis, Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem: manete hic, et vigilate.
35 Progressusque paululum, procidit in terram; et oravit ut, si fieri posset, abiret ab ipso hora
36 illa. Dixitque, Abba, Pater, omnia fieri abs te possunt; transfer a me istud poculum: verum non quid ego velim, sed quid tu.
37 Tunc venit, et invenit eos dormientes; dicit-

que Petro, Simon, dormis? nequivisti unam
38 horam vigilare? Vigilate et orate, ne introeatis
in tentationem: spiritus quidem promptus *est*,
sed caro infirma.
39 Et quum rursum abiisset, oravit, eundem
40 sermonem locutus. Reversus autem invenit
eos rursum dormientes; (erant enim oculi
eorum gravati;) neque sciebant quid ei re-
sponderent.
41 Et venit tertio, dicitque eis, Dormite quod
reliquum est, et requiescite: sufficit, venit hora
illa: ecce, traditur Filius hominis in manus
42 peccatorum. Surgite, eamus: ecce, qui prodit
me appropinquavit.
43 Et statim, adhuc eo loquente, adest Judas,
qui erat unus ex duodecim illis, et cum eo
turba multa cum gladiis et fustibus, a primariis
sacerdotibus, et scribis, et senioribus.
44 Dederat autem eis iste, qui eum tradebat,
commune inter ipsos signum, dicens, Quemcun-
que osculatus fuero, is est; prehendite eum, et
45 abducite tuto. Quum igitur venisset, statim ac-
cedens ad eum, dicit ei, Rabbi, Rabbi; ac
46 deosculatus est eum. Illi vero injectis in eum
manibus prehenderunt eum.
47 Quidam autem ex iis qui adstabant stricto
gladio feriit servum pontificis maximi, et ab-
stulit ejus auriculam.
48 Respondens autem Jesus dixit eis, *Siccine* ut
adversus latronem existis cum gladiis et fustibus
49 ad me una prehendendum? quotidie eram apud
vos in templo docens, nec prehendistis me: sed
oportet ut impleantur scripturæ.
50 Tunc relicto eo, omnes fugerunt.
51 Quidam autem juvenis sequebatur eum, ami-
ctus sindone super nudum *corpus:* et prehen-

52 derunt eum juvenes. Ipse vero, derelicta sin-
done, nudus effugit ab illis.
53 TUNC abduxerunt Jesum ad pontificem ma-
ximum; cum quo convenerunt omnes primarii
sacerdotes, et seniores, et scribæ.
54 Petrus autem e longinquo secutus est eum,
intro usque in aulam pontificis maximi: et con-
sidebat cum ministris, et calefaciebat *sese* ad
ignem.
55 Primarii vero sacerdotes, et totus consessus
quærebant testimonium adversus Jesum, ut eum
56 morte mulctarent; nec inveniebant. Nam multi
falsum testimonium dicebant adversus eum; sed
57 non erant paria ipsorum testimonia. Tunc
quidam surrexerunt, et falsa testati sunt ad-
58 versus eum, dicentes, Nos audivimus eum di-
centem, Ego destruam templum hoc quod est
manibus factum, et intra triduum absque mani-
59 bus factum aliud ædificabo. Sed ne sic quidem
par erat testimonium eorum.
60 Tunc pontifex maximus, progressus in medium,
interrogavit Jesum, dicens, Non respondes quic-
quam? quid *illud est quod* isti adversum te
61 testificantur? Ipse vero silebat, et nihil re-
spondit. Rursum pontifex maximus eum inter-
rogavit, et dixit ei, Tu*ne* es ille Christus, Filius
ille illius Benedicti?
62 Jesus autem dixit, Ego sum: et videbitis
Filium hominis sedentem ad dextram potentiæ
Dei, et venientem cum nubibus cœli.
63 Pontifex maximus vero diruptis vestibus suis
64 dixit, Quid adhuc nobis opus est testibus? Au-
distis blasphemiam: quid vobis videtur?
Illi vero omnes contra eum judicarunt, ipsum
teneri reum mortis.
65 Et cœperunt quidam inspuere in eum, et ob-

tegere faciem ejus, et colaphos ei infligere, et dicere ei, Vaticinare; ministri vero bacillorum ictibus eum cædebant.

66 QUUM vero Petrus esset in aula inferius,
67 venit quædam ex ancillis pontificis maximi: et quum vidisset Petrum se calefacientem, intuita in eum, dixit, Et tu cum Nazareno Jesu eras.
68 Ipse vero negavit, dicens, Non novi *illum*, neque scio quid tu dicas. Et exivit extra in
69 vestibulum: et gallus vocem emisit. Tunc ancilla, quum rursus vidisset eum, cœpit dicere iis
70 qui adstabant, Hic est *unus* ex ipsis. Ipse vero rursum negavit. Et rursus paulo post qui adstabant dixerunt Petro, Vere ex ipsis es: etenim Galilæus es, et locutio tua similis est.
71 Ipse autem cœpit exsecrari et jurare, *dicens*,
72 Non novi hominem istum quem dicitis. Tunc secundo gallus vocem emisit. Et recordatus est Petrus verborum quæ dixerat ei Jesus, Priusquam gallus vocem bis miserit, ter me abnegabis. Et quum erupisset, flevit.

15 STATIM autem, mane consilio inito, summi sacerdotes cum senioribus et scribis, totusque consessus, vinctum Jesum abduxerunt, tradideruntque Pilato.

2 Et interrogavit eum Pilatus, Tu*ne* es ille rex
3 Judæorum? Ipse vero respondens dixit ei, Tu
4 dicis. Et accusabant eum primarii sacerdotes de multis. Pilatus autem rursus interrogavit
5 eum, dicens, Non respondes quicquam? ecce, quam multa adversus te testificantur. Jesus autem nihil amplius respondit, adeo ut miraretur Pilatus.

6 Ceterum singulis festis dimittebat eis unum
7 ex vinctis, quemcunque postulassent. Erat vero quidam, qui dicebatur Barabbas, vinctus cum

seditionis sociis, qui cædem per seditionem
8 fecerant. Et vociferans turba cœpit petere *ut*
9 *faceret* prout semper ipsis fecerat. Pilatus
autem respondit eis, dicens, Vultis dimittam
10 vobis regem illum Judæorum? (noverat enim
eum per invidiam traditum fuisse a primariis
11 sacerdotibus.) Primarii vero sacerdotes concitarunt turbam, ut potius Barabbam ipsis dimitteret.
12 Tunc Pilatus respondens, rursum dixit eis,
Quid ergo vultis faciam isto quem dicitis regem
13 Judæorum? Ipsi vero rursum clamaverunt,
Crucifige eum.
14 Pilatus autem dicebat eis, Enimvero quid
mali fecit? Illi autem eo amplius clamaverunt,
Crucifige eum.
15 Pilatus igitur volens turbæ satisfacere, dimisit
eis Barabbam, et Jesum flagellatum tradidit ut
crucifigeretur.
16 Milites vero abduxerunt eum intra aulam,
id est, prætorium; et convocaverunt totam co-
17 hortem: et induerunt eum purpura, et circum-
18 posuerunt ei plexam coronam spineam: et cœperunt
19 eum salutare, *dicentes*, Ave, rex Judæorum. Et
cædebant ejus caput calamo, et inspuebant in
20 eum, ac positis genibus adorabant eum. Quum
autem illusissent ei, exuerunt eum purpura, et
induerunt eum suis ipsius vestimentis; eduxeruntque ut crucifigerent eum.
21 Præterea angariarunt prætereuntem quendam
Simonem Cyrenæum, (venientem rure, patrem
Alexandri et Rufi,) ut attolleret crucem ejus.
22 Duxeruntque eum in locum Golgotha; quod
23 est, si interpreteris, Calvariæ locus. Et dederunt ei bibendum myrrhatum vinum: ipse vero
non sumpsit.

24 Quumque crucifixissent eum, partiti sunt vestimenta ejus, jacta sorte super ea, quis quid tolleret.
25 Erat autem hora tertia quando crucifixerunt
26 eum. Eratque inscriptio criminationis ipsius inscripta *his verbis*, REX ILLE JUDÆORUM.
27 Crucifixerunt etiam cum eo duos latrones; unum ad dextram, et alterum ad sinistram ejus.
28 Et impleta est scriptura quæ dicit, Et cum sceleratis numeratus est (Es. 53, 12).
29 Qui vero præteribant blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes, Vah, *tu* qui
30 destruis templum, et triduo ædificas, serva te-
31 ipsum, et descende e cruce. Similiter autem et primarii sacerdotes illudentes, dicebant alii ad alios cum scribis, Alios servavit; seipsum ser-
32 vare non potest. Christus ille rex Israel descendat nunc e cruce, ut videamus et credamus. Et qui crucifixi erant cum eo convitiis afficiebant eum.
33 Quum vero advenisset hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam regionem usque ad horam nonam.
34 Et hora nona vociferatus est Jesus voce magna, dicens, Eloi, Eloi, lamma sabachthani? quod est, si quis interpretetur, Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti (Ps. 22, 1)?
35 Et quidam adstantium, quum audissent, dice-
36 bant, Ecce, Eliam vocat. Cucurrit autem quidam, et impleta spongia aceto, et arundini circumposita, dedit ei potum, dicens, Sinite; videamus an veniat Elias ad eum detrahendum.
37 Jesus vero, emissa voce magna, exspiravit.
38 Et aulæum templi fissum est in duas partes, a summo usque ad imum.
39 Quum vidisset autem centurio, qui adstabat ipsi ex adverso, eum ita emisso clamore exspirasse, dixit, Vere homo iste Filius erat Dei.

40 Erant autem etiam et mulieres e longinquo
spectantes, inter quas erat Maria Magdalene, et
Maria Jacobi parvi, et Jose mater, et Salome:
41 quæ etiam, quum esset in Galilæa, secutæ fu-
erant eum, et ministraverant ei: aliæque multæ
quæ simul cum eo ascenderant Hierosolyma.
42 Quum autem serum *diei* jam esset, (quoniam
43 erat parasceue, hoc est, antesabbatum,) veniens
Josephus Arimathæensis, honoratus senator, qui
et ipse expectabat regnum Dei, fidenti animo
introiit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.
44 Pilatus autem miratus est, si jam mortuus esset;
et advocato centurione, interrogavit eum, an
45 jamdudum mortuus fuisset. Et *re* cognita ex
centurione, donavit corpus Josepho.
46 Is autem emit sindonem, et detractum eum
involvit sindone; deposuitque in monumento
quod erat excisum e petra; et advolvit lapidem
ad ostium monumenti.
47 Maria Magdalene vero et Maria *mater* Jose
spectabant ubi poneretur.
16 ET exacto intercedente sabbato, Maria Magda-
lene, et Maria Jacobi *mater*, et Salome, eme-
2 rant aromata, ut venientes ungerent eum. Et
valde mane, primo die hebdomadis, *profectæ*
veniunt ad monumentum, exorto sole.
3 Dicebantque inter sese, Quis devolvet nobis
4 saxum ab ostio monumenti? Intuitæ vero con-
spiciunt saxum esse devolutum: nam erat ma-
gnum valde.
5 Et ingressæ in monumentum, viderunt juvenem
sedentem ad dextram, amictum stola candida:
6 et expaverunt. Ipse vero dixit eis, Ne expa-
vescite: Jesum quæritis illum Nazarenum qui
fuit crucifixus; suscitatus est, non est hic: ecce
7 locus ubi posuerant eum. Sed abite, dicite

discipulis ejus et Petro, *ipsum* præire vobis in Galilæam: illic eum videbitis, prout dixit vobis.
8 Tunc digressæ cito, fugerunt a monumento: tenebat enim eas tremor et stupor: neque cuiquam quicquam dicebant; metuebant enim.
9 QUUM autem resurrexisset *Jesus* mane, primo die hebdomatis, apparuit primum Mariæ Magdalenæ, ex qua ejecerat septem dæmonia.
10 Illa profecta renunciavit *hoc* iis qui cum ipso
11 fuerant, lugentibus, ac flentibus. Illi vero quum audissent eum vivere, et conspectum fuisse ab ea, non crediderunt.
12 Postea autem duobus ex ipsis ambulantibus conspicuum se præbuit alia forma, quum rus
13 proficiscerentur. Et illi abierunt, et renunciarunt reliquis; *qui* ne illis quidem crediderunt.
14 Postremo vero una sedentibus ipsis undecim conspicuum sese præbuit, et exprobravit incredulitatem eorum, et cordis duritiem; eo quod iis qui ipsum conspexerant suscitatum non credidissent.
15 Et dixit eis, Profecti in mundum universum,
16 prædicate evangelium omni orbi condito. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, servabitur; qui
17 vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc consequentur: Per nomen meum dæmonia ejicient; linguis
18 loquentur novis; serpentes tollent; et si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis; male valentibus manum imponent, et bene habebunt.
19 Dominus igitur, postquam locutus fuisset eis, sursum receptus est in cœlum, et sedit ad
20 dextram Dei. Illi vero profecti prædicarunt ubique, Domino cooperante, et sermonem *eorum* confirmante, per signa subsequentia.

EVANGELIUM
SECUNDUM
LUCAM.

1 QUONIAM multi aggressi sunt componere narrationem rerum, quarum plena fides nobis
2 facta est, prout tradiderunt nobis, qui a principio spectatores ipsimet et administri fuerunt ipsius
3 rei: visum est etiam mihi, omnia alte *repetita* penitus assecuto, ordine *illa* ad te scribere,
4 præstantissime Theophile: ut agnoscas earum rerum veritatem, quas auditione accepisti.
5 FUIT diebus Herodis illius regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias, ex classe Abiæ;
6 uxor vero ipsius *erat* ex filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeta. Erant autem justi ambo in conspectu Dei, incedentes in omnibus præceptis et
7 ritibus Domini inculpate. Nec erat eis proles, eo quod esset Elisabeta sterilis, et ambo provecti jam essent ætate.
8 Factum est autem, ut quum is sacerdotio
9 fungeretur in ordine suæ classis ante Deum, secundum ritum functionis sacerdotalis, sortitus sit *munus* suffitus faciendi, ingrediendo in tem-
10 plum Domini. Tota vero multitudo populi foris erat orans tempore suffitus.
11 Visus autem est ei angelus Domini, stans ad
12 dextram altaris suffitus. Et Zacharias *eo* viso turbatus est, et metus incidit in eum.
13 Dixit autem ei angelus, Ne metue, Zacharia: nam exaudita est deprecatio tua; uxorque tua Elisabeta gignet tibi filium, et vocabis nomen
14 ejus Joannem. Et *is* erit tibi gaudio et exsul-

tationi; multique super ejus nativitate gaudebunt.
15 Erit enim magnus in conspectu Domini, et
vinum siceramque non bibet; et Spiritu Sancto
16 implebitur, etiam a ventre matris suæ: multos-
que filiorum Israel convertet ad Dominum Deum
17 ipsorum. Nam ipse præcedet in conspectu ejus,
cum spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda
patrum in filios, et rebelles ad prudentiam
justorum; ut paret Domino populum appa-
ratum.
18 Tunc dixit Zacharias angelo, Unde istud
noscam? ego enim sum senex, et uxor mea pro-
vecta est ætate.
19 Et respondens angelus dixit ei, Ego sum
Gabriel, qui adsto in conspectu Dei; missusque
sum ut te alloquar, et hæc tibi læta nunciem.
20 Et ecce, silebis, nec loqui poteris, *ad eum* us-
que diem quo hæc fiant: eo quod non credi-
disti sermonibus meis, qui implebuntur præsti-
tuto tempore.
21 Erat autem populus exspectans Zachariam; et
22 mirabantur quod is tardaret in templo. *Ille*
vero egressus non poterat eis loqui: et agno-
verunt eum visionem vidisse in templo: nam
ipse innuebat eis, permansitque mutus.
23 Et factum est, ut impleti sunt dies sacræ
functionis ipsius, abiit domum suam.
24 Post illos autem dies concepit Elisabeta uxor
ejus; et occultavit se menses quinque, dicens,
25 Nempe ita mihi fecit Dominus diebus quibus
me intuitus est, *ut* auferret probrum illud meum
inter homines.
26 MENSE autem sexto missus est angelus Ga-
briel a Deo in urbem Galilææ, cui nomen
27 Nazaret, ad virginem desponsam viro cui nomen
erat Joseph, ex domo David: nomen autem vir-

28 ginis *erat* Maria. Ingressus igitur angelus ad
eam, dixit, Ave, gratis dilecta: Dominus tecum
est: benedicta tu inter mulieres.
29 Illa vero quum *eum* vidisset, perturbata est
super ejus sermone; et ratiocinabatur *apud se*
30 qualis esset salutatio ista. Tunc dixit ei an-
gelus, Ne metue, Maria; invenisti enim gratiam
31 apud Deum. Et ecce, concipies in utero, et
paries filium; et vocabis nomen ejus JESUM.
32 Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur;
dabitque ei Dominus Deus sedem Davidis patris
33 ipsius: regnabitque in domo Jacobi in æternum;
et regni ejus non erit finis.
34 Dixit autem Maria ad angelum, Quomodo erit
istud, quandoquidem virum non novi?
35 Et respondens angelus dixit ei, Spiritus San-
ctus superveniet in te, et virtus Altissimi inum-
brabit te: propterea id etiam quod gignetur ex
36 te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce,
Elisabeta cognata tua concepit et ipsa filium in
senectute sua; et hic mensis est sextus ipsi,
37 quæ vocabatur sterilis: quia apud Deum non
erit ullum verbum quod fieri non possit.
38 Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini; fiat
mihi secundum verbum tuum. Et abiit ab ea
angelus.
39 SURGENS vero Maria per eos dies, profecta
est in montanam *regionem* cum festinatione, in
40 urbem Juda; et ingressa est domum Zachariæ,
et salutavit Elisabetam.
41 Et factum est, ut audivit Elisabeta salutatio-
nem Mariæ, subsiliit fœtus in utero ejus; et
42 repleta est Spiritu Sancto Elisabeta, exlamavit-
que voce magna, et dixit, Benedicta tu inter
43 mulieres, quia benedictus fructus uteri tui. Et
unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad

44 me? ecce enim, ut exstitit vox salutationis tuæ
in auribus meis, subsiliit fœtus exsultans in
45 utero meo. Et beata *est* quæ credidit: nam
consummabuntur ea quæ dicta sunt ei a Do-
mino.
46 Tunc ait Maria,
Magnificat anima mea Dominum,
47 Et exsultat spiritus meus super Deo servatore
meo:
48 Quia respexit humilem ancillam suam: ecce,
enim, ex hoc *tempore* beatam me prædicabunt
omnes ætates:
49 Quia magnifice mecum egit potens ille, cujus
sanctum *est* nomen;
50 Et cujus misericordia in omnes ætates *parata*
est timentibus ipsum.
51 Forte facinus fecit brachio suo: dissipavit
superbos cogitatione cordis ipsorum:
52 Detraxit potentes e thronis, et extulit hu-
miles:
53 Famelicos implevit bonis, et divites ablegavit
inanes.
54 Suscepit Israelem puerum suum, ut memor
esset misericordiæ,
55 (Prout locutus est patribus nostris, *nimirum*
Abrahamo, et semini ejus,) in æternum.
56 Mansit autem Maria cum illa quasi menses
tres; et *postea* revertit domum suam.
57 ELISABETÆ vero completum est tempus ad
58 pariendum; et peperit filium. Et audierunt ac-
colæ et cognati ejus, Dominum magnifica miseri-
cordia sua usum esse in eam: et ei gratula-
bantur.
59 Et factum est, ut die octavo venerint ad
circumcidendum puerulum: vocabant autem eum
60 ex nomine patris ipsius, Zachariam. Sed re-

spondens mater ejus ait, Nequaquam: sed voca-
61 bitur Joannes. Et dixerunt ad eam, Nemo est
in cognatione tua qui vocetur isto nomine.
62 Innuebant autem patri ejus quid vellet eum
63 vocari: isque postulata tabella scripsit, dicens,
Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt omnes.
64 Apertum est autem os ejus illico, et lingua ejus;
et loquebatur benedicens Deo.
65 Ortus est igitur metus omnibus accolis eorum:
et in tota montana regione Judææ divulgata sunt
66 omnia verba ista. Et omnes qui audierunt reposu-
erunt *ea* in corde suo, dicentes, Quisnam puerulus
hic erit? Manus autem Domini erat cum eo.
67 Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu
Sancto, prophetavitque, dicens,
68 Benedictus *esto* Dominus Deus Israelis, quod
inviserit et redemerit populum suum,
69 Et erexerit cornu salutis nobis in domo Da-
vidis pueri sui:
70 Prout locutus est per os sanctorum, qui a
seculo fuerunt, prophetarum suorum:
71 *Fore ut nos* servaret ex inimicis nostris, et
e manu omnium qui oderunt nos;
72 Ut uteretur misericordia erga patres nostros,
ac memor esset pacti sui sancti;
73 Et jurisjurandi quod juravit Abrahamo patri
nostro, *nimirum se* daturum nobis,
74 Ut sine metu, e manu inimicorum nostrorum
liberati, ipsum colamus,
75 Cum sanctitate et justitia, in ipsius conspectu,
cunctis vitæ nostræ diebus.
76 Tu vero, puerule, Propheta Altissimi voca
beris: præibis enim ante faciem Domini, ut
pares vias ejus;
77 *Et* des cognitionem salutis populo ejus, per
remissionem peccatorum ipsorum,

78 Ex intima misericordia Dei nostri; qua in-
visit nos is qui prodit ex alto;
79 Ut appareat iis qui in tenebris et umbra
mortis positi sunt, ad dirigendos pedes
nostros in viam pacis.
80 Ipse autem puerulus crescebat, et corrobora-
tur Spiritu; fuitque in desertis illis locis ad eum
usque diem quo se ostenderet Israeli.
2 FACTUM est autem diebus illis, ut prodierit
edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur
2 totus terrarum orbis. (Hæc descriptio prima
3 facta est præsidente Syriæ Cyrenio.) Ibant igi-
tur omnes ut describerentur, in suam quisque
urbem.
4 Ascendit autem etiam Josephus a Galilæa, ex
urbe Nazareta, in Judæam, in urbem Davidis,
quæ vocatur Bethlehema; propterea quod erat
5 ex domo et familia Davidis: ut describeretur
cum Maria desponsa sibi uxore, quæ erat
prægnans.
6 Factum est autem quum essent illic, ut ex-
7 plerentur dies ipsius ad pariendum. Peperit
igitur filium suum primogenitum, et fasciis eum
involvit, reclinavitque eum in præsepi; eo quod
non erat eis locus in diversorio.
8 ERANT autem pastores in hac eadem regione
excubantes, et observantes vigilias noctis super
9 gregem suum. Et ecce, angelus Domini super-
venit ipsis, et gloria Domini circumfulsit eos;
10 et metuerunt metu magno. Tunc dixit eis an-
gelus, Ne metuite; ecce enim evangelizo vobis
11 gaudium magnum, quod erit toti populo: *nempe*,
natum esse vobis hodie Servatorem, qui est
12 Christus Dominus, in urbe Davidis. Hoc autem
vobis signum *erit*: Invenietis infantem fasciis
involutum, jacentem in præsepi.

13 Et repente adfuit cum angelo multitudo exercituum cœlestium, laudantium Deum, et dicentium,
14 Gloria in *cœlis* altissimis Deo, et in terra pax, hominibus benevolentia.
15 Et factum est, ut quum discessissent ab eis angeli in cœlum, tunc pastores illi dicerent alii ad alios, Transeamus sane Bethlehemam usque et videamus factum istud quod Dominus notum
16 fecit nobis. Venerunt igitur festinantes, et invenerunt Mariam, et Josephum, et infantem
17 jacentem in præsepi. *Eo* autem viso, divulgaverunt *id* quod dictum fuerat ipsis de puerulo
18 illo. Et omnes qui *hæc* audierunt mirati sunt super iis, quæ locuti fuerunt ipsis pastores illi.
19 Maria vero ista omnia verba conservabat, con-
20 ferens *ea* in corde suo. Reversi sunt autem pastores, glorificantes et laudantes Deum super omnibus, quæ audierant et viderant, prout ipsis dictum fuerat.
21 Et quum advenisset dies octavus ad circumcidendum puerulum, vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum fuerat ab angelo priusquam ipse in utero conciperetur.
22 Et quum impleti fuissent dies purificationis Mariæ, secundum legem Mosis, adduxerunt eum
23 Hierosolymam, ut sisterent eum Domino: (prout scriptum est in lege Domini, Omnis masculus
24 primogenitus sanctus Domino erit (Ex. 13, 2);) et ut darent oblationem, secundum *id* quod dictum est in lege Domini, Par turturum, aut duos pullos columbarum (Lev. 12, 8).
25 Et ecce, quidam erat Hierosolymis, cui nomen Simeon: *erat*que homo iste justus ac religiosus,
26 exspectans consolationem Israel; et Spiritus Sanctus erat super eum. Fueratque ipsi divinitus nunciatum a Spiritu Sancto, *ipsum* non

visurum mortem, priusquam vidisset Christum
27 illum Domini. Is igitur venit impulsore Spiritu
in templum. Et quum introducerent puerulum
Jesum parentes, ut ejus causa facerent quod ex
28 lege consuetum erat; tunc ipse recepit eum in
ulnas suas, et benedixit Deo, et dixit,
29 Nunc dimittis servum tuum, Domine, secun-
dum verbum tuum, cum pace;
30 Quia viderunt oculi mei salutem tuam,
31 Quam parasti in oculis omnium populorum;
32 Lumen revelandum gentibus, et gloriam po-
puli tui Israelis.
33 Josephus autem et mater ejus mirabantur
34 super iis quæ dicebantur de eo. Et benedixit
eis Simeon, dixitque Mariæ matri ejus, Ecce,
positus est iste casui et resurrectioni multorum
in Israele et ut sit signum cui contradicatur:
35 (quin et tuam ipsius animam trajiciet gladius) ut
revelentur ex multis cordibus cogitationes.
36 Erat etiam *quædam* Anna prophetissa, filia
Phanuelis, ex tribu Aseris, provecta in multam
ætatem, postquam vixisset cum viro annos se-
37 ptem a virginitate sua: et *quum esset* vidua
quasi annorum octoginta quatuor, non abscede-
bat a templo, jejuniis ac deprecationibus colens
38 *Deum* noctem ac diem. Hæc igitur eo ipso
momento quum supervenisset, vicissim palam
agnoscebat Dominum, et loquebatur de eo omni-
bus qui redemptionem exspectabant Hierosolymis.
39 At *illi* ut perfecerunt omnia secundum legem
Domini, reversi sunt in Galilæam, in urbem
40 suam Nazaretam. Puerulus autem crescebat, et
corroborabatur Spiritu, implebaturque sapientia;
et Dei gratia erat super eum.
41 IBANT vero parentes ejus quotannis Hiero-
42 solymam in festo paschæ. Quum igitur factus

esset annorum duodecim, ipsique ascendissent
43 Hierosolymam secundum morem illius festi, et peregissent *illius* dies, revertentibus ipsis, remansit puer Jesus Hierosolymis; et *hoc* nescivit
44 Joseph, nec mater ejus. Existimantes autem eum esse in comitatu, ierunt viam *unius* diei; et requirebant eum inter cognatos et inter notos.
45 Et quum eum non invenissent, reversi sunt
46 Hierosolymam, quærentes eum. Et factum est, triduo post, ut invenerint eum in templo, sedentem in medio magistrorum, et audientem
47 eos, et eos interrogantem. Percellebantur autem omnes qui eum audiebant, super intelligentia et responsis ejus.
48 Et eo viso facti fuerunt *parentes ejus* attoniti: et dixit ad eum mater ipsius, Fili, cur ita fecisti nobis? ecce, pater tuus et ego anxii quærebamus te.
49 Tunc dixit ad eos, Quid est quod quærebatis me? *an* nesciebatis oportere me in iis esse quæ Patris mei sunt?
50 Sed ipsi non intellexerunt verba, quæ ipsis
51 fuerat locutus. Descendit autem cum eis, venitque Nazaretam; et erat eis subjectus. Et mater ejus conservabat verba hæc omnia in corde suo.
52 Jesus vero proficiebat sapientia et statura, ac
3 gratia apud Deum et homines.

ANNO autem decimoquinto imperii Tiberii Cæsaris, Pontio Pilato procurante Judæam, tetrarcha Galilææ Herode, Philippo autem ipsius fratre tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis,
2 et Lysania Abilenes tetrarcha, sub pontificibus maximis Anna et Caiapha, factum est verbum Domini ad Joannem Zachariæ filium in deserto.
3 Venit igitur in omnem regionem circumjacentem Jordani, prædicans baptismum resipiscentiæ ad

4 remissionem peccatorum: ut scriptum est in libro
sermonum Esaiæ prophetæ, dicentis, Vox voci-
ferantis in deserto, Parate viam Domini,
5 complanate semitas ejus. Omnis vallis
implebitur, et omnis mons et collis depri-
metur: et quae curva sunt fient *via* recta,
6 et asperae viae *fient* planae. Videbit-
que omnis caro salutem Dei (Es. 40, 3—5).
7 Dicebat igitur turbæ venienti ut baptizaretur
ab ipso, Progenies viperarum, quis præmonstravit
8 vobis ut fugeretis a futura ira? Ferte igitur
fructus convenientes resipiscentiæ: et ne cœpe-
ritis dicere apud vos ipsos, Patrem habemus
Abrahamum: dico enim vobis, Posse Deum
etiam ex lapidibus istis excitare liberos Abra-
9 hamo. Jam vero etiam securis ad radicem ar-
borum posita est: omnis ergo arbor non ferens
fructum bonum exciditur, et in ignem abjicitur.
10 Et interrogavit eum turba, dicens, Quid igitur
faciemus?
11 Respondens autem dixit eis, Qui habet duas
tunicas, impertiat non habenti; et qui habet
escas, similiter faciat.
12 Venerunt autem et publicani ut baptizarentur;
et dixerunt ei, Magister, quid faciemus?
13 Ipse vero dixit eis, Nihil amplius quam quod
constitutum est vobis exigite.
14 Interrogaverunt autem eum etiam milites, di-
centes, Et nos quid faciemus?
Et ait eis, Neminem concutite, neque dolo
opprimite, et contenti estote stipendiis vestris.
15 Exspectante autem populo, et cogitantibus
omnibus in cordibus suis de Joanne, numnam
16 ipse esset Christus ille, respondit Joannes, dicens
omnibus, Ego quidem baptizo vos aqua: sed
venit qui validior me est, cujus non sum dignus

qui solvam corrigiam solearum: ipse vos bapti-
17 zabit Spiritu Sancto et igni. Cujus ventilabrum
est in manu ipsius; et qui perpurgabit aream
suam; et congregabit triticum in horreum suum,
paleam autem exuret igni inexstinguibili.
18 Multa igitur etiam alia exhortans evangelizabat
populo.
19 HERODES autem tetrarcha, quum argueretur ab
eo de Herodiade uxore Philippi fratris ejus,
20 deque omnibus sceleribus quæ ipse patrarat, ad-
jecit et hoc supra omnia, quod inclusit Joannem
in carcere.
21 FACTUM est autem quum baptizaretur totus
populus, et Jesus baptizatus esset, et oraret, ut
22 aperiretur cœlum; ac descenderet Spiritus San-
ctus corporea specie, tanquam columba, supra
eum; et vox de cœlo exsisteret, dicens, Tu es
Filius ille meus, dilectus ille; in te acquiesco.
23 IPSE autem Jesus incipiebat esse fere annorum
triginta, filius (ut existimabatur) Josephi, *filii*
24 Heli, *filii* Matthati, *filii* Levi, *filii* Melchi, *filii*
25 Jannæ, *filii* Josephi, *filii* Mattathiæ, *filii* Amosi,
26 *filii* Naumi, *filii* Esli, *filii* Naggæ, *filii* Maathi,
filii Mattathiæ, *filii* Semei, *filii* Josephi, *filii*
27 Judæ, *filii* Joannæ, *filii* Rhesæ, *filii* Zoroba-
28 belis, *filii* Salathielis, *filii* Neri, *filii* Melchi,
filii Addi, *filii* Cosami, *filii* Elmodami, *filii*
29 Eris, *filii* Jose, *filii* Eliezeris, *filii* Jorimi, *filii*
30 Matthati, *filii* Levi, *filii* Simeonis, *filii* Judæ,
31 *filii* Josephi, *filii* Jonani, *filii* Eliacimi, *filii*
Meleæ, *filii* Mainani, *filii* Matthathæ, *filii* Na-
32 thanis, *filii* Davidis, *filii* Jessæ, *filii* Obedis,
33 *filii* Boosi, *filii* Salmonis, *filii* Naassonis, *filii*
Aminadabi, *filii* Arami, *filii* Esromi, *filii* Pha-
34 resi, *filii* Judæ, *filii* Jacobi, *filii* Isaaci, *filii*
35 Abrahami, *filii* Tharæ, *filii* Nachoris, *filii*

Saruchi, *filii* Ragavi, *filii* Phaleci, *filii* Heberis,
36 *filii* Salæ, *filii* Arphaxadi, *filii* Semi, *filii* Noæ,
37 *filii* Lamechi, *filii* Mathusalæ, *filii* Henochi,
38 *filii* Jaredis, *filii* Mahalaleelis, *filii* Cainani, *filii*
Henosi, *filii* Sethi, *filii* Adami, qui fuit Dei.

4 JESUS autem plenus Spiritu Sancto reversus
est a Jordane, et actus est ab *eodem* Spiritu in
2 desertum, dies quadraginta tentante *eum* diabolo.
Nec edit quicquam per illos dies; sed iis
3 finitis postea esuriit. Tunc dixit ei diabolus, Si
4 Filius es Dei, dic isti lapidi ut fiat panis. Et
respondit ei Jesus, dicens, Scriptum est, Non
pane solo victurum hominem, sed quovis
verbo Dei (Deut. 8, 3).

5 Tunc quum subduxisset eum diabolus in mon-
tem sublimem, ostendit ei omnia regna terræ
6 puncto temporis. Et ait ei diabolus, Tibi dabo
auctoritatem hanc universam, et gloriam illorum
regnorum: nam mihi tradita est; et cuicunque
7 voluero do illam. Itaque si tu adoraveris me,
8 erunt tua omnia. Respondens autem Jesus dixit
ei, Abscede a me, Satana; scriptum est enim,
Adorabis Dominum Deum tuum, et eum
solum coles (Deut. 6, 13).

9 Tum duxit eum Hierosolymam, et eum statuit
supra pinnas templi: et dixit ei, Si Filius Dei
10 es, dejice teipsum hinc deorsum; scriptum est
enim, Angelis suis praecipiet de te, ut
11 custodiant te; et in manus attollent te,
nequando impingas ad lapidem pedem
12 tuum (Ps. 91, 11). Respondens autem Jesus dixit
ei, Dictum est, Non tentabis Dominum
Deum tuum (Deut. 6, 16).

13 Et finita omni tentatione, diabolus abscessit
ab eo ad tempus.

14 REVERSUS est autem Jesus cum virtute

Spiritus in Galilæam: et fama de eo exiit in
15 totam circumjacentem regionem. Et ipse docebat
in synagogis eorum, omnibus ipsum glorifican-
tibus.
16 Venit igitur Nazaretam, ubi fuerat nutritus:
et intravit, ut consueverat, die sabbati, in syna-
17 gogam; et surrexit ut legeret. Tunc datus est
ei liber Esaiæ prophetæ: quumque explicuisset
librum, invenit locum *in* quo scriptum erat,
18 Spiritus Domini super me, cujus rei
causa unxit me; ut evangelizem pauper-
ibus misit me, ut medear contritis corde,
19 ut praedicem captivis dimissionem, et
caecis visus recuperationem; ut confrac-
tos emittam in libertatem; ut praedicem
annum Domini acceptum (Es. 61, 1. 2).
20 Et complicatum librum quum reddidisset
ministro, sedit: et omnium in synagoga oculi erant
21 intenti in eum. Cœpit autem eis dicere, Certe
hodie impleta est hæc scriptura audientibus vobis.
22 Et omnes testimonium ei dabant, ac mirabantur super sermonibus *plenis* gratia, procedentibus ex ore ipsius, dicebantque, Nonne iste est filius ille Josephi?
23 Et dixit ad eos, Omnino dicetis mihi hoc proverbium, Medice, cura teipsum: quæcunque audivimus facta fuisse in *urbe* Capernaum, fac
24 etiam hic in patria tua. Dixit autem, Amen dico vocis, Nemo propheta acceptus est in pa-
25 tria sua. Sed in veritate dico vobis, multæ viduæ erant diebus Eliæ in Israel, quando clausum fuit cœlum ad tres annos et sex menses, *adeo* ut
26 fuerit fames magna per totam regionem; et ad nullam illarum missus est Elias, sed Sareptam
27 *urbem* Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta: et

nullus eorum purificatus est, sed Naamanus Syrus.

28 Tunc repleti sunt omnes excandescentia in
29 synagoga, hæc audientes. Et quum surrexissent, ejecerunt eum extra urbem; et duxerunt eum usque ad supercilium montis, super quem urbs ipsorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

30 Ipse vero digressus per medios ipsos, ibat.
31 Et descendit Capernaum, urbem Galilææ, ibique
32 docebat eos sabbatis. Et percellebantur super doctrina ejus: erat enim sermo ipsius cum auctoritate.

33 ERAT autem in synagoga quidam habens spiritum dæmoniacum impurum, qui exclamavit
34 voce magna, dicens, Ah, quid nobis tecum, Jesu Nazarene? venisti ut perderes nos? novi te quis
35 sis; *nimirum* Sanctus ille Dei. Et objurgavit eum Jesus, dicens, Obmutesce, et exi ex eo. Tunc dæmonium, projecto illo in medium, exiit ex eo, nihilque ei nocuit.

36 Et obortus est pavor in omnibus; et colloquebantur alii cum aliis, dicentes, Quid hoc rei est, quod cum auctoritate ac potentia imperat im-
37 puris spiritibus, et exeunt? Et dimanavit rumor de eo in omnem locum circumjacentis regionis.

38 EGRESSUS autem Jesus e synagoga, introivit domum Simonis. Socrus vero Simonis detinebatur febri magna: et rogaverunt eum pro illa.
39 Tunc *ipse* adstans supra eam, objurgavit febrim; et *febris* eam dimisit: *illa* vero, quum illico surrexisset, ministravit eis.

40 Occidente autem sole, omnes qui habebant ægrotantes morbis variis, ducebant ipsos ad eum: ille vero unicuique ipsorum impositis ma-
41 nibus, sanavit eos. Exibant autem etiam dæmonia ex multis, clamantia ac dicentia, Certe tu es

Christus ille, Filius ille Dei. Sed *ipse* objurgans non sinebat ea loqui, quod scirent ipsum esse Christum illum.

42 Orto autem die egressus profectus est in desertum locum; et turba quærebat eum, veneruntque usque ad ipsum, et retinebant eum ne
43 ab ipsis discederet. Ille vero dixit eis, Certe etiam aliis urbibus oportet me evangelizare re-
44 gnum Dei: nam ad hoc missus sum. Et prædicabat in synagogis Galilææ.

5 FACTUM est autem, quum turba incumberet ei, audiendi verbi Dei causa, ipse stabat apud
2 lacum Genezaret; viditque duo navigia quæ ad lacum erant: piscatores vero quum ex iis descen-
3 dissent, abluebant retia. Ingressus autem in unum istorum navigiorum, quod erat Simonis, rogavit eum ut a terra proveheret paululum: quumque consedisset, docebat turbam ex navigio.
4 Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem, Provehito in altum, et dimittite retia vestra ad
5 capturam. Tum respondens Simon ait ei, Magister, quum per totam noctem nos fatigaverimus, nihil cepimus; tamen ex tuo jussu dimit-
6 tam rete. Et quum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem magnam: dirumpebatur
7 autem rete eorum. Et innuerunt consortibus qui *erant* in altero navigio, ut venirent, et ipsis opitularentur. Venerunt igitur, et impleverunt ambas naves; ita ut pene mergerentur.
8 Quum autem *hæc* vidisset Simon Petrus, accidit ad genua Jesu, dicens, Discede a me: nam
9 homo peccator sum, Domine. Pavor enim occuparat eum, et omnes qui cum eo *erant*, super
10 captura piscium, quam comprehenderant: similiter autem et Jacobum et Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simoni. Tunc ait ad Simonem

Jesus, Ne metue: ab hoc *tempore* vivos capies
11 homines. *Illi* autem quum subduxissent in terram navigia, relictis omnibus, secuti sunt eum.

12 ET ecce factum est, ut quum esset in quadam urbe, tum *adveniret* quidam plenus lepra; ac viso Jesu, procidens in faciem, deprecaretur eum, dicens, Domine, si velis, potes me purifi-
13 care. *Jesus* autem, extensa manu, tetigit eum, dicens, Volo: purificator. Et statim lepra abiit ab eo.

14 Ipse vero mandavit ei, ut nulli *hoc* diceret: sed profectus, *inquit*, ostende teipsum sacerdoti, et offer pro purificatione tui, prout imperavit
15 Moses, *ut hoc sit* eis testimonio. Dimanabant autem eo magis sermones de eo: et conveniebat turba multa ut audirent, et per eum sanarentur ab infirmitatibus suis.

16 Ipse autem secedens, erat in desertis, et orabat.

17 ET factum est quodam die, quum ipse doceret, sederentque Pharisæi ac legis doctores, qui venerant ex omnibus vicis Galilææ, et Judææ, et Hierosolymis; et virtus Domini adesset ad
18 sanandum illos: tunc, ecce, *advenerunt* quidam ferentes in lecto hominem qui erat paralyticus; et studebant eum inferre, et ponere in ipsius
19 conspectu. Et quum non invenissent qua ipsum inferrent propter turbam, ascenderunt in solarium, et perfosso testaceo pavimento, demiserunt eum cum lectulo in medium, ante Jesum:
20 qui, fide eorum visa, dixit, Heus tu, remissa sunt tibi peccata tua.

21 Tunc cœperunt ratiocinari scribæ et Pharisæi, dicentes, Quis est iste qui loquitur blasphemias? quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?

22 Jesus autem cognitis eorum ratiocinationibus,
respondens dixit eis, Quid ratiocinamini in cor-
23 dibus vestris? utrum est facilius? dicere, Remissa
sunt tibi peccata? aut dicere, Surge et ambula?
24 Ut autem sciatis Filium hominis habere auctori-
tatem in terra remittendi peccata, (ait paralytico
illi,) Tibi dico, Surge, et sublato *in humeros*
25 lectulo tuo, abi domum tuam. *Is* autem illico
surgens in eorum conspectu, sublato *in humeros*
eo in quo jacuerat, abiit domum suam, glorificans
26 Deum. Et stupor cepit omnes, et glorificabant
Deum: et repleti sunt metu, dicentes, Certe vidi-
mus inopinata hodie.

27 Posthæc vero exiit, et conspexit publicanum
nomine Levi, sedentem ad telonium, et dixit ei,
28 Sequere me. Et *ille*, derelictis omnibus, surrexit,
et secutus est eum.

29 Et fecit ei Levi epulum magnum domi suæ:
eratque turba multa publicanorum, et aliorum
30 qui cum ipsis accumbebant. Obmurmurabant
autem eis scribæ ac Pharisæi, dicentes ad disci-
pulos ejus, Quare cum publicanis et peccatoribus
editis et bibitis?

31 Et respondens Jesus dixit eis, Non opus est
iis, qui sani sunt, medico, sed iis qui male *se*
32 habent. Non veni vocatum justos, sed pecca-
tores ad resipiscentiam.

33 Ipsi vero dixerunt ei, Quare discipuli Joannis
jejunant crebro, et deprecationes faciunt, simili-
ter et *discipuli* Pharisæorum; tui vero edunt et
bibunt?

34 Ipse autem dixit eis, Num potestis facere ut
filii thalami, quo *tempore* cum ipsis est sponsus,
35 jejunent? Venient autem dies, quum tolletur ab
eis sponsus, tunc jejunabunt illis diebus.

36 Dicebat autem eis etiam parabolam, Nemo

panniculum novi vestimenti indit in vestimentum
vetus: alioqui et illud novum findit *vetus*, et
veteri non convenit panniculus *sumptus* ex novo.
37 Et nemo injicit vinum novum in utres veteres:
alioqui disrumpet vinum novum utres, et ipsum
38 effundetur, et utres peribunt. Sed vinum novum
in utres recentes injiciendum est; et utraque
39 conservantur. Et nemo qui biberit vetus, statim
vult novum; dicit enim, Vetus utilius est.

6 FACTUM est vero ut sabbato altero primo
pertransiret per sata: vellebant autem discipuli
spicas, edebantque, confricantes manibus.
2 Quidam autem Pharisæorum dixerunt eis, Cur
facitis quod non licet facere sabbatis?
3 Tunc respondens Jesus dixit eis, Ne hoc qui-
dem legistis quod fecit David, quum esuriret
4 ipse et qui cum eo erant? quomodo introierit
domum Dei, et panes præposititios sumpserit,
ederitque, ac dederit etiam iis qui secum *erant;*
quibus *panibus* non licet vesci nisi solis sacer-
5 dotibus? Et dicebat eis, Filius hominis dominus
est etiam sabbati.
6 FACTUM est vero etiam alio sabbato, ut ipse
ingrederetur in synagogam, ac doceret. Erat
autem ibi quidam, cujus manus dextera erat
7 arida. Observabant autem eum scribæ, ac Phari-
sæi, an sabbato sanaturus esset *illum*, ut inve-
nirent accusationem *adversus* eum.
8 At ipse norat cogitationes eorum; et dixit
homini illi qui habebat manum aridam, Surge,
et adsta in medio. Ille vero surgens adstitit.
9 Dixit igitur eis Jesus, Interrogabo vos quiddam,
Licet sabbatis benefacere, an malefacere *cui-*
piam? hominem servare, an perdere?
10 Et quum eos omnes circumspexisset, ait ho-
mini, Extende manum tuam. Ille autem ita

fecit: et restituta est manus ejus sana sicut altera.

11 Ipsi autem repleti sunt amentia; et colloquebantur alii cum aliis, quidnam facerent Jesu.

12 FACTUM est autem illis diebus, ut abiret in montem ad orandum, et pernoctaret *illic* orans
13 Deum. Quum autem dies ortus esset, vocavit discipulos suos: et quum ex ipsis elegisset duo-
14 decim, quos et apostolos nominavit: (*nempe* Simonem, quem etiam nominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et
15 Bartholomæum, Matthæum et Thomam, Jacobum Alphæi *filium* et Simonem qui vocatur Zelotes,
16 Judam Jacobi *fratrem* et Judam Iscariotem, qui
17 etiam fuit proditor:) et descendisset cum eis, substitit in loco campestri, turbaque discipulorum ejus, et multitudo magna plebis ex tota Judæa, et Hierosolymis, et *a* maritima *regione* Tyri et Sidonis, qui venerant ut audirent eum, et sanaren-
18 tur ex morbis suis: et qui vexabantur a spiritibus
19 impuris: et sanabantur. Et tota turba studebat eum tangere: quia vis ab eo prodibat, et sanabat omnes.

20 Ipse vero sublatis oculis suis in discipulos suos, dicebat,

Beati *estis*, pauperes; quia vestrum est regnum Dei.

21 Beati, qui nunc esuritis; quia saturabimini.

Beati, qui nunc fletis; quia ridebitis.

22 Beati eritis, quum vos oderint homines, et separaverint vos, et conviciis affecerint *vos*, et nomen vestrum ut malum abjecerint, propter
23 Filium hominis. Gaudete illo die, et subsilite: ecce enim merces vestra multa *est* in cœlis; nam itidem faciebant prophetis patres eorum.

24 Sed væ vobis, divitibus! nam recepistis solatium vestrum.

25 Væ vobis, qui impleti estis! nam esurietis.
Væ vobis, qui ridetis nunc! nam lugebitis et flebitis.
26 Væ vobis, quum bene vobis dixerint omnes homines! nam itidem faciebant pseudoprophetis patres eorum.
27 Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos
28 vestros; benefacite iis qui vos oderunt; benedicite iis qui exsecrantur vos; et orate pro in-
29 festantibus vos. Ei qui tibi ceciderit maxillam, præbe et alteram; et ab eo qui tollit tibi pal-
30 lium, etiam tunicam ne prohibeto. Cuivis autem petenti abs te dato; et ab eo qui tollit *res* tuas
31 ne repetito. Et prout vultis ut faciant vobis
32 homines, vos etiam facite eis similiter. Quod si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis erit gratia? nam et peccatores diligunt eos a quibus
33 diliguntur. Et si benefeceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis erit gratia? nam et pecca-
34 tores idem faciunt. Et si mutuum dederitis iis a quibus speratis vos recepturos, quæ gratia erit vobis? nam et peccatores peccatoribus dant mu-
35 tuum, ut recipiant paria. Imo diligite inimicos vestros, et *iis* benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes; et erit merces vestra multa, ac filii eritis illius Altissimi: nam ipse benignus
36 est erga ingratos et malos. Estote ergo misericordes, prout et Pater vester misericors est.
37 Ne judicate, et non judicabimini: ne condemnate, et non condemnabimini: absolvite, et
38 absolvemini: date, et dabitur vobis: mensuram, *inquam*, bonam, pressam, agitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem enim mensura, qua metimini, contra metietur vobis.
39 Dicebat autem eis parabolam, Num potest cæcus cæco viæ dux esse? nonne ambo in

40 foveam cadent? Non est discipulus supra
magistrum suum: sed quisquis *erit* perfectus
41 *discipulus*, erit ut magister. Quid autem aspicis
festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem
42 autem quæ est in oculo tuo non consideras? aut
quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine
ejiciam festucam quæ in oculo tuo est; quum
ipse trabem quæ est in oculo tuo non respicias?
Hypocrita, ejice primum trabem illam ex oculo
tuo; et tunc dispicies ut ejicias festucam quæ
est in oculo fratris tui.
43 Non est arbor bona quæ ferat fructum putrem,
neque arbor putris quæ ferat fructum bonum.
44 Unaquæque enim arbor ex fructu suo cognosci-
tur. Neque enim e spinis colligunt ficus; neque
45 e rubo vindemiant uvam. Bonus homo ex bono
thesauro cordis sui profert bonum; et malus
homo ex malo thesauro cordis sui profert
malum: ex abundantia enim cordis loquitur os
ejus.
46 Quid autem vocatis me, Domine, Domine; et
47 non facitis quæ dico? Quisquis venit ad me, et
audit sermones meos, et eos præstat, præmon-
48 strabo vobis cui similis sit: similis est cuipiam
ædificanti domum, qui fodit, et excavavit, sta-
tuitque fundamentum super petram: ubi autem
venit inundatio, illisum est flumen domui illi,
sed nequivit eam quatere; fundata enim erat
49 super petram. Qui autem *meos sermones* audi-
vit, nec præstitit, similis est cuipiam qui ædifi-
cavit domum suam super solum absque funda-
mento: cui illisum est flumen; itaque statim
7 cecidit; fuitque ruina domus illius magna.
QUUM autem finivisset omnia verba sua,
2 audiente populo, ingressus est Capernaumum.
Centurionis vero cujusdam servus male affectus

3 moribundus erat, qui erat ipsi pretiosus. *Is*
vero, quum audisset de Jesu, misit ad eum
seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et
4 servaret servum suum. Isti autem quum venis-
sent ad Jesum, precati sunt eum studiose, di-
5 centes, Certe dignus est cui hoc præbeas: diligit
enim gentem nostram, et synagogam ædificavit
6 nobis. Jesus ergo ibat cum eis.

Et quum jam non longe abesset ab illa domo,
misit ad eum centurio ille amicos, dicens ei,
Domine, ne vexator; nec enim sum dignus ut
7 tectum meum subeas: ideo ne meipsum quidem
sum dignum arbitratus qui venirem ad te: sed
8 dic verbo, et sanabitur puer meus. Etenim ego
homo sum sub *alterius* auctoritate constitutus,
habens sub me milites; et dico huic, Vade, et
vadit: et alteri, Veni, ac venit: et servo meo,
Fac hoc, ac facit.

9 Auditis autem his, Jesus admiratus est eum:
et conversus dixit turbæ quæ ipsum sequebatur,
Dico vobis, ne in Israele quidem tantam fidem
inveni.

10 Et domum reversi qui missi fuerant, sanum
invenerunt servum qui ægrotaverat.

11 ET factum est *die* sequenti, ut iret in civita-
tem quæ vocatur Nain; ibant autem cum eo
discipuli ejus non pauci, turbaque multa.

12 Ut autem appropinquavit portæ civitatis, tum,
ecce, defunctus efferebatur, *qui* unigenitus *fuerat*
matri suæ, et ipsi *quidem* viduæ: turbaque civi-
tatis non parva erat cum ea.

13 Dominus vero ipsam intuitus, intima miseri-
cordia commotus est super ea, et dixit, Ne fleto.
14 Quumque accessisset, tetigit loculum: (qui vero
portabant, substiterunt:) et dixit, Adolescens,
15 tibi dico, Surge. Tunc resedit qui fuerat mor-

tuus, et cœpit loqui: et *ille* dedit eum matri suæ.

16 Cepit autem omnes timor; et glorificabant Deum, dicentes, Certe propheta magnus suscitatus est inter nos, et, Certe Deus respexit po-
17 pulum suum. Pervenitque iste de eo sermo in totam Judæam, et in totam regionem circumjacentem.

18 ET renunciarunt Joanni discipuli ipsius de his omnibus: qui, advocatos duos quosdam e
19 discipulis suis, misit ad Jesum, dicens, Tu*ne* is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?
20 Quum igitur venissent ad eum viri illi, dixerunt, Joannes Baptista misit nos ad te, dicens, Tu*ne* is es qui venturus eras, an alium exspectabimus?

21 Eadem autem hora multos sanavit a morbis, et flagellis, et spiritibus malis; et cæcis multis
22 visum gratificatus est. Et respondens Jesus dixit eis, Profecti renunciate Joanni quæ vidistis et audistis; cæcos visum recipere, claudos ambulare, leprosos purificari, surdos audire, mortuos
23 suscitari, pauperibus evangelizari. Beatus est autem quicunque non fuerit offensus in me.

24 Et quum abiissent nuncii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbam, Quid existis in desertum spectaturi? arundinem a vento agitatam?
25 Sed quid existis visuri? hominem mollibus vestibus amictum? ecce, qui vestitu magnifico utuntur, et in luxu versantur, sunt in palatiis regiis.
26 Sed quid existis visuri? prophetam? certe dico
27 vobis, etiam amplius quam prophetam. Hic est de quo scriptum est, Ecce, mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui apparabit
28 viam tuam coram te (Mal. 3, 1). Nam dico vobis, Inter genitos ex mulieribus, nullus est

major propheta Joanne Baptista: sed qui minimus est in regno Dei, major est eo.
29 Et *eo* audito, totus populus et publicani justificarunt Deum, baptizati baptismo Joannis.
30 Pharisæi vero et legis interpretes consilium Dei abrogarunt adversus semetipsos, non baptizati ab eo.
31 Dixit præterea Dominus, Cui ergo assimilabo homines gentis istius? et cui rei similes sunt?
32 Similes sunt puerulis sedentibus in foro; et qui acclamant alii aliis, et dicunt, Cecinimus vobis tibiis, et non saltastis; lamentati sumus vobis,
33 et non flevistis. Venit enim Joannes Baptista, neque edens panem, neque bibens vinum; et
34 dicitis, Dæmonium habet. Venit Filius hominis edens ac bibens; et dicitis, Ecce homo edax et vini potor, amicus publicanorum ac peccatorum!
35 Sed justificata est sapientia a filiis suis omnibus.
36 ROGAVIT autem eum quidam ex Pharisæis ut secum ederet: itaque ingressus domum Pharisæi, accubuit.
37 Et ecce, mulier, quæ fuerat in urbe peccatrix, quum cognovisset eum accumbere in domo Pha-
38 risæi, allato alabastro unguenti, et stans apud pedes ejus retro, flens cœpit lacrymis rigare pedes ejus, et capillis capitis sui extergebat, et deosculabatur pedes ejus, et illo unguento ungebat.
39 Hoc autem viso, Pharisæus qui vocaverat eum, dixit apud se, Iste, si esset propheta, nosset utique quænam et qualis sit ea mulier quæ tangit ipsum; quod *videlicet* sit peccatrix.
40 Tunc respondens Jesus dixit ei, Simon, habeo quiddam quod tibi dicam. At ille ait, Magister,
41 dic. Duo debitores, *inquit Jesus*, erant cuidam creditori: unus debebat denarios quingentos,
42 alter vero quinquaginta. Quum autem illi non

essent solvendo, gratificatus est *debitum* utrisque.
Horum igitur, dic, uter eum plus diliget?
43 Respondens vero Simon dixit, *Is*, præsumo,
cui plus gratificatus est.
44 At ille dixit ei, Recte judicasti. 44 Et conversus
ad mulierem dixit Simoni, Vides hanc mulierem?
ingressus sum domum tuam, aquam pedibus meis
non dedisti; hæc autem lacrymis rigavit pedes
45 meos, et capillis capitis sui extersit. Osculum
mihi non dedisti: hæc autem, ex quo ingressa
46 est, non intermisit deosculari pedes meos. Oleo
caput meum non unxisti: hæc autem unguento
47 unxit pedes meos. Cujus rei gratia, dico tibi,
remissa esse multa illa peccata ipsius; nam di-
lexit multum: cui autem paululum remittitur,
48 paululum diligit. Dixit autem ei, Remissa sunt
tibi peccata.
49 Et cœperunt quid simul accumbebant dicere
inter se, Quis est iste qui etiam peccata remittit?
50 Dixit autem ad mulierem illam, Fides tua te
servavit: vade cum pace.
8 ET factum est deinceps, ut ipse iter faceret
oppidatim et vicatim, prædicans et evangelizans
2 regnum Dei, et duodecim illi *erant* cum eo: et
quædam mulieres quas sanaverat a spiritibus
malis et morbis; *nempe*, Maria, quæ vocabatur
Magdalene, ex qua septem dæmonia exierant,
3 et Joanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, et
Susanna, et aliæ multæ quæ subministrabant ei
ex iis quæ ipsis suppetebant.
4 QUUM autem multa turba conveniret, et civi-
tatum incolæ adventarent ad eum, dixit per
5 parabolam: Quidam sator exiit ad serendum
semen suum: et inter serendum aliud cecidit se-
cundum viam; et conculcatum est, et volucres
6 cœli excederunt illud: et aliud cecidit in petram;

et enatum exaruit, quia non habebat humorem:
7 et aliud cecidit inter spinas; et simul enatæ
8 spinæ suffocarunt illud: et aliud cecidit in terram bonam; et quum enatum esset, edidit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat, Qui habet aures ad audiendum, audiat.
9 Interrogabant autem eum discipuli ejus, dicentes, Quæ esset ista parabola?
10 Ipse vero dixit *eis*, Vobis datum est nosse mysteria regni Dei: reliquis autem per parabolas *loquor*, ut conspicientes non videant, et audientes non intelligant.
11 Est autem hæc parabola: Semen illud est
12 sermo Dei; qui autem secundum viam *semen excipiunt*, ii sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit sermonem ex corde ipsorum, ne
13 credendo serventur. Qui vero in petram, *ii sunt* qui, postquam audierunt, cum gaudio excipiunt sermonem: sed isti radicem non habent, qui ad tempus credunt, et tempore tentationis abscedunt.
14 Quod autem in spinas cecidit, ii sunt qui audierunt; sed abeuntes a solicitudinibus et divitiis ac voluptatibus vitæ suffocantur, nec fructum per-
15 ferunt. Quod autem in bonam terram *cecidit*, ii sunt qui in corde honesto ac bono auditum sermonem retinent, et fructum adferunt cum patientia.
16 Nemo porro, qui lucernam accenderit, operit eam vase, aut subter lectum ponit; sed candelabro imponit, ut qui ingrediuntur videant lumen.
17 Non est enim *quicquam* occultum quod non sit futurum conspicuum; nec absconditum quod non sit futurum ut innotescat, et veniat in apertum.
18 Videte ergo quomodo audiatis: quisquis enim habet, dabitur ei; et quicunque non habet, etiam quod videtur habere, tolletur ab eo.

19 VENERUNT autem ad eum mater et fratres ejus, et non poterant eum convenire propter
20 turbam. Et *hoc* renunciatum est ei, dicentibus *nonnullis*, Mater tua et fratres tui adstant foris, cupientes te videre.
21 Ipse vero respondens dixit eis, Mater mea, et fratres mei, ii sunt qui sermonem Dei audiunt, et eum præstant.
22 FACTUM est autem quodam die, ut ipse ingrederetur in navigium, ac discipuli ejus: et diceret eis, Transeamus in ulteriorem ripam
23 lacus. Provecti sunt igitur. Navigantibus autem eis sopitus est: et descendit turbo venti in
24 lacum: et complebantur, ac periclitabantur. Accedentes autem expergefecerunt eum, dicentes, Præceptor, præceptor, perimus.
Ipse vero experrectus objurgavit ventum ac fluctuationem aquæ: et cessaverunt, factaque est
25 tranquillitas. Dixit autem eis, Ubi est fides vestra? Metuentes autem mirati sunt, dicentes alii ad alios, Quisnam iste est, ut ventis quoque et aquæ imperet, et auscultent ei?
26 ET navigarunt in regionem Gadarenorum,
27 quæ est in opposita ripa Galilææ. Ipsi autem egresso in terram, occurrit ex urbe vir quidam qui habebat dæmonia a temporibus non paucis, et vestimento non induebatur, neque in *ulla*
28 domo manebat, sed in monumentis. *Is* ergo, quum vidisset Jesum, et exclamasset, accidit ei *ad pedes*, et voce magna dixit, Quid mihi tecum, Jesu, Fili Dei altissimi? deprecor te ne
29 me torqueas. Mandabat enim illi spiritui impuro, ut exiret ab eo homine; nam a multo tempore corripuerat eum: itaque vinctus *ille* catenis et pedicis custodiebatur; sed diruptis vinculis agitabatur a dæmone in deserta.

30 Interrogavit autem eum Jesus, dicens, Quod tibi nomen est?
Ipse vero dixit, Legio: nam dæmonia multa
31 ingressa fuerant in eum. Et rogabant eum ne imperaret ipsis ut abirent in abyssum.
32 Erat autem ibi grex porcorum non paucorum pascentium in monte: et rogabant eum *dæmonia*, ut sibi permitteret in illos ingredi. Et permisit
33 eis. Egressa vero dæmonia ex eo homine, ingressa sunt in porcos: et grex ille ruit e præcipitio in lacum, et suffocatus est.
34 Quum autem pastores vidissent quod acciderat, fugerunt; et profecti renunciarunt *ista* in urbem
35 et per agros. Exierunt igitur, ut viderent quod factum erat: veneruntque ad Jesum, et invenerunt hominem illum, a quo dæmonia exierant, vestitum, ac sanæ mentis, ad pedes Jesu: et
36 metuerunt. Renunciaverunt autem ipsis etiam ii qui viderant, quomodo liberatus fuisset qui fu-
37 erat dæmoniacus. Et rogavit eum tota multitudo circumjacentis regionis Gadarenorum, ut discederet ab ipsis, quia magno metu tenebantur; ipse vero ingressus navigium reversus est.
38 Deprecatus est autem eum vir ille a quo dæmonia exierant, ut esset cum eo: sed dimisit eum
39 Jesus, dicens, Revertere domum tuam, et narra quanta tibi præstiterit Deus. Abiit igitur, prædicans per totam urbem quanta ipsi præstitisset Jesus.
40 FACTUM est autem, ut quum revertisset Jesus, exceperit eum turba; nam omnes exspectabant eum.
41 Et ecce, venit quidam cui nomen Jairus, qui erat præfectus synagogæ; et accidens ad pedes Jesu, rogabat eum ut ingrederetur domum suam:
42 quoniam erat ei unigenita filia quasi annorum duodecim, eaque moriebatur.

(Inter eundum vero turba coarctabat eum.
43 Mulier autem quæ erat in fluxione sanguinis ab
annis duodecim, et in medicos impenderat totum
44 victum, nec ab ullo potuerat curari, quum ac-
cessisset a tergo, tetigit fimbriam pallii ipsius:
et illico substitit fluxio sanguinis ejus.
45 Tunc ait Jesus, Quis *est* qui me tetigit?
Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui
cum eo erant, Magister, turba te constringit et
elidit, et dicis, Quis *est* qui me tetigit?
46 Jesus autem ait, Tetigit me quispiam; nam
ego cognovi virtutem a me prodiisse.
47 Videns autem mulier illa se non latuisse, tre-
mens venit, et accidens ei *ad pedes*, declaravit
ei in conspectu totius populi quam ob causam
tetigisset eum, et quomodo sanata fuerat illico.
48 Ipse vero dixit ei, Confide, filia; fides tua te
servavit: abi cum pace.)
49 Adhuc eo loquente, venit quidam a præfecto
synagogæ, dicens ei, Mortua est filia tua; ne
vexa magistrum.
50 Jesus autem *hoc* audito, respondit ei, Ne me-
tue; crede solummodo, et servabitur.
51 Ingressus vero domum, non permisit ingredi
quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joan
52 nem, et patrem ac matrem puellæ. Flebant
autem omnes, et plangebant eam. Ipse vero
dixit, Ne flete: non est mortua, sed dormit.
53 Et deridebant eum, quod scirent esse mor-
54 tuam. Ipse vero ejectis foras omnibus, et pre-
hensa manu ejus, clamavit, dicens, Puella, surge.
55 Et reversus est spiritus ejus, ac surrexit illico:
et *ipse* imperavit ut ei daretur quod ederet.
56 Et perculsi fuerunt parentes ejus; ipse vero
mandavit eis, ut nulli dicerent quod factum
fuerat.

9 CONVOCATIS autem *Jesus* duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem et jus in omnia
2 dæmonia, et morbos sanandi. Misitque eos ut prædicarent regnum Dei, et sanarent ægrotos.
3 Et dixit eis, Nihil attollite ad iter; neque virgas, neque peram, neque panem, neque pecu-
4 niam; neque binas tunicas habete. Et in quamcunque domum intraveritis, illic manete, et illinc
5 exite. Et quicunque non receperint vos, exeuntes ex urbe illa, etiam pulverem a pedibus vestris excutite, *ut hoc sit* testimonium adversus eos.
6 Exeuntes igitur obibant singulos vicos, evangelizantes, et sanantes *morbos* ubique.
7 Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: et hæsitabat, propterea quod dicebatur a quibusdam Joannem suscitatum esse
8 ex mortuis; a quibusdam vero, Eliam apparuisse; ab aliis autem, Prophetam quempiam ex anti-
9 quis resurrexisse. Tunc ait Herodes, Joannem ego decollavi: quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et studebat eum videre.
10 REVERSI autem apostoli narraverunt ei quæcunque fecerant: et *ipse*, assumptis illis, secessit privatim in locum desertum urbis quæ vocatur
11 Bethsaida. Quod quum cognovisset turba, secuta est eum: *ipse* autem excepit eos, et loquebatur eis de regno Dei; et eos quibus sanatione opus erat, sanabat.
12 Dies autem cœperat inclinare: et accedentes duodecim illi dixerunt ei, Dimitte turbam, ut abeuntes in circumjacentes vicos et agros, *illuc* divertant et inveniant cibaria; nam hic in loco deserto sumus.
13 *Ipse* vero dixit eis, Date ipsis vos quod edant. Ipsi vero dixerunt, Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces: nisi nos profecti

14 emamus toti huic populo escas. Aderant enim
quasi viri quinquies mille.
Ait autem discipulis suis, Facite ut discumbant
per singulos quosque discubitus quinquageni.
15 *Ipsi* igitur ita fecerunt; et discubuerunt *illi*
16 omnes. *Ipse* vero acceptis quinque illis panibus
et duobus piscibus, suspiciens in cœlum, bene-
dixit eis; et fregit, deditque discipulis ut appo-
17 nerent turbæ. Ederunt igitur omnes illi, et
saturati sunt: et sublatum est quod superfuit
ipsis fragmentorum, cophini duodecim.
18 ET factum est, ut quum ipse seorsim oraret,
adfuerint ei discipuli; quos interrogavit, dicens,
Quemnam esse me dicit turba?
19 Ipsi autem respondentes dixerunt, Joannem
Baptistam: alii autem, Eliam: alii vero, prophe-
tam quempiam ex antiquis resurrexisse.
20 Dixit autem eis, Vos vero quem me esse dicitis?
Respondens autem Petrus dixit, Christum illum
Dei.
21 Ipse vero interminatus eis, mandavit ut nulli
22 hoc dicerent: dicens, Oportet Filium hominis
multa pati, et reprobari a senioribus et princi-
pibus sacerdotum et scribis, et interimi, et tertia
die suscitari.
23 Dicebat autem omnibus, Si quis vult me sequi,
abdicet seipsum, et attollat crucem suam quoti-
24 die, et sequatur me. Quisquis enim voluerit
animam suam servare, perdet eam: quisquis
vero perdiderit animam suam mea causa, is
25 servabit eam. Quid enim prodest cuipiam, si
lucretur universum mundum, seipsum autem per-
26 dat, sive sui ipsius exitio mulctetur? Quem
enim puduerit mei ac meorum sermonum, ejus
pudebit Filium hominis, quando venerit cum
gloria sua et Patris, sanctorumque angelorum.

27 Dico autem vobis vere, sunt quidam ex iis
qui hic adstant, qui nequaquam gustabunt mor-
tem, usquedum viderint regnum Dei.
28 Factum est autem, quum post hæc verba,
quasi dies octo *intercessissent*, ut assumptis
Petro, et Joanne, et Jacobo, ascenderet in mon-
29 tem ad orandum. Facta est autem inter oran-
dum species facici ipsius alia, et vestitus ejus
30 albus ac refulgens. Et ecce, duo viri colloque-
31 bantur cum eo, qui erant Moses et Elias: qui
visi cum gloria, dicebant ipsius exitum, quo fu-
turum erat ut defungeretur Hierosolymis.
32 Petrus vero, et qui cum ipso erant, gravati
erant somno: quum autem evigilassent, viderunt
gloriam ejus, et duos illos viros stantes cum eo.
33 Et factum est, quum illi discederent ab eo, ut
diceret Petrus ad Jesum, Magister, bonum est
nos hic esse: atque *adeo* faciamus tria taberna-
cula, unum tibi, et unum Mosi, et unum Eliæ:
nesciens quid diceret.
34 Hæc autem ipso dicente, exstitit nubes quæ
inumbravit illos: metuerunt vero dum illi ingre-
35 derentur in nubem. Et vox exstitit e nube,
dicens, Hic est Filius ille meus, dilectus ille:
ipsum audite.
36 Et quum vox illa exstitisset, inventus est
Jesus solus. Ipsi autem siluerunt, et nulli re-
nunciarunt per id tempus quicquam eorum quæ
viderant.
37 FACTUM est autem sequente die, ut quum
ipsi descendissent e monte, occurreret ei turba
38 multa. Et ecce, quidam e turba vociferatus est,
dicens, Magister, deprecor te, respice ad filium
39 meum; nam unigenitus est mihi: et ecce, spiri-
tus apprehendit eum; et *ipse* repente clamitat,
et *spiritus* discerpit eum spumantem, et vix ab-

40 scedit ab eo, conterens eum. Et deprecatus
sum discipulos tuos ut ipsum ejicerent; sed non
potuerunt.
41 Respondens autem Jesus ait, O gens incre-
dula et perversa, quousque tandem ero apud
vos, et sufferam vos? Adduc filium tuum huc.
42 Quum autem adhuc accederet, allisit eum dæ-
monium, et discerpsit: objurgavit autem Jesus
spiritum impurum, et sanavit puerum; et reddi-
dit eum patri suo.
43 Percellebantur igitur omnes super magnifica
Dei virtute. Omnibus vero mirantibus super
44 omnibus quæ faciebat, dixit discipulis suis, Re-
ponite vos in aures vestras sermones istos: fu-
turum est enim, ut Filius hominis tradatur in
45 manus hominum. Ipsi vero ignorabant dictum
istud, eratque ipsis occultum, adeo ut illud non
perciperent: et metuebant eum interrogare de
hoc dicto.
46 INCIDIT autem disceptatio inter eos, quis esset
47 eorum maximus. Jesus vero visa disceptatione
cordis ipsorum, acceptum puerulum statuit apud
48 se; et dixit eis, Quicunque exceperit puerulum
hunc nomine meo, me excipit; et quicunque me
exceperit, excipit eum qui me misit: nam qui
minimus est inter vos omnes, is erit magnus.
49 Respondens autem Joannes ait, Magister, vi-
dimus quendam sub nomine tuo ejicientem dæ-
monia, et prohibuimus eum, quia *te* non sequitur
50 nobiscum. Et dixit ei Jesus, Ne prohibete *illum:*
qui enim non est adversum nos, pro nobis est.
51 FACTUM est autem, interim dum expleretur
tempus quo sursum reciperetur, tum ipse faciem
52 suam direxit ad eundum Hierosolymam: misitque
nuncios ante faciem suam: qui profecti, ingressi
sunt in vicum Samaritanorum, ut pararent ei

53 *hospitium*. Sed *illi* non receperunt eum, quod
facies ejus esset proficiscentis Hierosolymam.
54 Quum autem hoc vidissent ejus discipuli Ja-
cobus et Joannes, dixerunt, Domine, vis dicamus
ut ignis descendat e cœlo, et consumat eos, ut
etiam Elias fecit?
55 Sed conversus Jesus objurgavit eos, dicens,
56 Nescitis qualis spiritus vos sitis. Filius enim
hominis non venit ut perderet animas hominum,
sed ut servaret. Abierunt igitur in alium vicum.
57 FACTUM est autem euntibus ipsis, ut quidam in
via dixerit ei, Sequar te quocunque ieris, Domine.
58 Dixit autem ei Jesus, Vulpes habent lustra, et
volucres cœli nidos: Filius autem hominis non
habet ubi caput reclinet.
59 Dixit vero ad alium *quendam*, Sequere me.
Ille vero dixit, Domine, permitte mihi ut prius
abeam, ac sepeliam patrem meum.
60 Dixit autem ei Jesus, Sine ut mortui sepeliant
mortuos suos: tu vero profectus annuncia regnum
Dei.
61 Dixit autem etiam alius, Sequar te, Domine;
sed permitte mihi prius, ut valedicam iis qui
sunt domi meæ.
62 Ait autem ei Jesus, Nemo qui manu sua ad-
mota aratro, respexerit ad ea quæ retro *sunt*,
appositus est ad regnum Dei.
10 POST hæc autem designavit Dominus etiam
alios *discipulos* septuaginta, misitque eos binos
ante faciem suam in omnem urbem et locum,
2 quo futurum erat ut ipse veniret. Dicebat igitur
eis, Messis quidem multa, sed operarii pauci:
deprecamini ergo dominum messis, ut emittat
operarios in messem suam.
3 Abite; ecce, ego mitto vos ut agnos in me-
4 dium luporum. Ne portate crumenam, neque

peram, neque soleas: et neminem in via salutaveritis. In quamcunque domum ingrediemini, primum dicite, Pax *esto* huic domui. Quod si fuerit illic quispiam filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin minus, ad vos revertetur. Manete autem in ea ipsa domo, edentes ac bibentes quæ ab ipsis *apposita fuerint:* dignus enim est operarius mercede sua. Ne digredimini e domo in domum.

Sed et in quamcunque urbem ingressi fueritis, et exceperint vos, edite quæ apponuntur vobis: et sanate ægrotos qui in ea fuerint, et eis dicite, Appropinquavit ad vos regnum Dei: in quamcunque autem urbem ingressi fueritis, et non exceperint vos, egressi in plateas ejus, dicite, Etiam pulverem, qui adhæsit nobis ex urbe vestra, vobis abstergimus: tamen hoc scitote, appropinquasse ad vos regnum Dei. Dico autem vobis, Sodomorum conditionem die illo tolerabiliorem fore quam urbis illius.

Væ tibi, Chorazin! væ tibi, Bethsaida! nam si intra Tyrum et Sidonem editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt inter vos, olim cum sacco et cinere sedentes resipuissent. Ideo Tyri et Sidonis tolerabilior erit conditio in judicio, quam vestra. Et tu, Capernaum, quæ usque ad cœlum elata es, usque ad inferos deprimeris.

Qui vos audit, me audit; et qui vos dedignatur, me dedignatur: qui vero me dedignatur, dedignatur eum qui misit me.

Reversi sunt autem septuaginta illi cum gaudio, dicentes, Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis per nomen tuum.

Ipse autem dixit eis, Spectabam Satanam, ut fulgur, e cœlo cadentem. Ecce, do vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, et

supra omnem vim hostis: et nihil vos lædet.
20 Sed de eo ne gaudete, quod spiritus vobis subjiciantur: gaudete vero potius quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.
21 Eo ipso momento exsultavit Jesus spiritu, et dixit, Gloriam tibi tribuo, Pater, Domine cœli et terræ, quod hæc occultaveris sapientibus et intelligentibus, sed *ea* revelaris infantibus: etiam,
22 Pater, quia ita libuit apud te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: et nemo novit quis sit Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius, et cuicunque voluerit Filius *eum* revelare.
23 Et conversus ad discipulos, privatim dixit *eis*,
24 Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, multos prophetas et reges cupivisse videre quæ vos videtis, nec vidisse; et audire quæ auditis, nec audivisse.
25 TUM, ecce, quidam legis interpres surrexit, tentans eum, et dicens, Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?
26 At ille dixit ei, In lege quid scriptum est? quomodo legis?
27 Ille vero respondens dixit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, et ex tota cogitatione tua; et proximum tuum ut teipsum.
28 Tum *ipse* dixit ei, Recte respondisti: hoc fac, et vives.
29 Ille autem volens justificare seipsum, dixit Jesu, Et quis est meus proximus?
30 Excipiens autem *ejus sermonem*, Jesus dixit, Quidam descendebat ab Hierosolymis Jerichuntem, et incidit in latrones, qui exspoliato eo et plagis *ipsi* impositis abierunt, *eo* seminece relicto.
31 Casu autem sacerdos quidam descendit per eandem viam; qui, viso eo, ex adverso præteriit.

32 Similiter et Levita, quum venisset ad eum locum
33 et illum vidisset, præteriit ex adverso. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit eo, et, ipso conspecto, misericordia intima commotus
34 est: et accedens obligavit ejus vulnera, infundens oleum ac vinum: et ipsum impositum suo jumento, duxit in diversorium, et ejus curam egit.
35 Postero autem die abiens, prolatos duos denarios dedit hospiti, et dixit ei, Curam ipsius age: et quodcunque præterea insumpseris, ego, quum
36 redibo, reddam tibi. Quis igitur horum trium tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones?
37 Ille autem dixit, Is qui usus est misericordia erga eum.

Ait igitur ei Jesus, Abi, et tu fac similiter.
38 FACTUM est vero inter eundum, ut ipse ingrederetur in quendam vicum: mulier autem quædam Martha nomine excepit eum domum
39 suam. Et huic erat soror quæ vocabatur Maria, quæ etiam assidens ad pedes Jesu, audiebat
40 ipsius sermonem. Martha vero distrahebatur circa frequens ministerium: et superveniens dixit *ei*, Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ad ministrandum? dic ergo ei ut me vicissim adjuvet.
41 Respondens autem dixit ei Jesus, Martha,
42 Martha, solicita es, et satagis de multis: atqui uno opus est: Maria vero bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

11 ET factum est ut quum ipse oraret quodam in loco, postquam cessasset, diceret ei quidam ex ejus discipulis, Domine, doce nos orare, prout
2 et Joannes docuit discipulos suos.

Dixit autem eis, Quum oratis, dicite, PATER noster, qui es in cœlis sanctificetur nomen

tuum: veniat regnum tuum: fiat voluntas tua,
3 sicut in cœlo, *ita* etiam in terra. Panem nostrum
4 quotidianum da nobis in diem. Et remitte nobis
peccata nostra: nam et ipsi remittimus cuivis
nobis debenti. Et ne nos inducas in tentatio-
nem, sed libera nos ab illo maligno.
5 Dixit etiam eis, Quis vestrum habebit amicum
qui proficiscetur ad eum media nocte, et dicat ei,
6 Amice, da mihi mutuo tres panes; quoniam
amicus meus venit de via ad me, et non habeo
7 quod apponam ei? et ille intus respondens dicat,
Ne mihi molestias præbe: jam ostium clausum
est, et pueruli mei mecum sunt in cubili: non
8 possum surgere, et dare tibi. Dico vobis, Etiamsi
non dederit ei experrectus, eo quod amicus
ejus sit: at certe propter importunitatem ejus
9 experrectus dabit ei quotquot sunt ei opus. Et
ego dico vobis, Petite, et dabitur vobis: quærite,
10 et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Quis-
quis enim petit, accipit: et qui quærit, invenit:
11 et pulsanti aperietur. Ecquis autem ex vobis
pater, *si* filius *ab eo* petierit panem, lapidem ei
dabit? aut si piscem, num pro pisce dabit ei
12 serpentem? aut si petierit vel ovum, num dabit
13 ei scorpium? Si vos igitur, qui mali estis, nostis
bona dona dare liberis vestris, quanto magis
Pater ille cœlestis dabit Spiritum Sanctum pe-
tentibus ab ipso?
14 EJECIT etiam dæmonium quod erat mutum:
factum est autem, ut egresso dæmonio, loquere-
tur ille mutus, et mirata est turba.
15 Quidam vero ex eis dixerunt, Per Beelzebul
16 principem dæmoniorum ejicit dæmonia. Et alii
eum tentantes, signum e cœlo petebant ab eo.
17 Ipse vero quum nosset cogitationes eorum,
dixit eis, Omne regnum dissidens adversus sese,

vastatur: et domus adversus sese *dissidens* ca-
18 dit. Quod si etiam Satanas adversus seipsum
dissidet, quomodo stabit regnum ejus? nam di-
19 citis, per Beelzebul ejicere me dæmonia. Quod
si ego per Beelzebul ejicio dæmonia, filii vestri
per quem ejiciunt? propterea ipsi erunt vestri
20 judices. Sin autem digito Dei ejicio dæmonia,
nempe antevertens pervenit ad vos regnum Dei.
21 Quum potens quispiam armatus custodit aulam
22 suam, in pace sunt quæ ipsi suppetunt. Postquam
vero quispiam eo potentior superveniens vicerit
eum, totam armaturam ejus tollit qua confidebat,
23 et spolia ejus distribuit. Qui non est mecum, ad-
versum me est: et qui non congregat mecum,
24 spargit. Quum impurus spiritus exierit a quo-
piam, transit per arida loca, quærens requiem:
et non inveniens, dicit, Revertar domum meam,
25 unde exivi. Veniens igitur invenit eam versam
26 et ornatam. Tunc proficiscitur, et assumit septem
alios spiritus pejores quam sit ipse, et ingressi
habitant illic: fitque ultima conditio hominis il-
lius deterior priore.
27 Factum est vero, quum hæc diceret, ut attol-
lens vocem quædam mulier e turba, diceret ei,
28 Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti!
Ipse autem dixit, Imo vero beati, qui audiunt
sermonem Dei, et eum observant.
29 Quum vero turba aggregaretur apud eum,
cœpit dicere, Gens ista maligna est; signum re-
30 quirit; sed signum non dabitur ei, nisi signum
illud Jonæ prophetæ. Nam prout fuit Jonas
signum Ninevitis, ita etiam erit Filius hominis
31 isti genti. Regina Austri surget in judicio cum
viris gentis hujus, et condemnabit eos; quod
venerit ab ultimis terris ut audiret sapientiam
Solomonis; et ecce, plus quam Solomon *est* hoc

32 in loco. Viri Ninevitæ exsurgent in judicio cum gente ista, et condemnabunt eam; quod ad præconium Jonæ resipuerint; et ecce, plus quam Jonas *est* hoc in loco.

33 Nullus vero, si lucernam accenderit, in occulto *loco* ponit *eam*, neque subter modium; sed in candelabrum, ut qui ingrediuntur, splendorem
34 videant. Lucerna corporis est oculus: quum igitur oculus tuus fuerit simplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: quum vero malus fuerit, etiam
35 corpus tuum tenebrosum *erit*. Considera ergo,
36 num lumen quod in te est, tenebræ sint. Itaque, si corpus tuum totum lucidum *fuerit*, non habens aliquam partem tenebrosam, erit lucidum totum, ut quum lucerna fulgore te illustrat.

37 QUUM autem *hæc* locutus esset, rogavit eum quidam Pharisæus ut pranderet apud se. In-
38 gressus igitur discubuit. Pharisæus vero, quum *hoc* vidisset, admiratus est eum non prius ablutum fuisse ante prandium.

39 Dixit autem ei Dominus, Vos quidem Pharisæi exteriorem poculi patinæque partem purifi-
40 catis; sed quod intra vos est, plenum est rapina
41 et malitia. Amentes, nonne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est fecit? Imo, ea quæ penes vos sunt date *in* eleemosynam: et ecce, omnia erunt vobis pura.

42 Sed væ vobis Pharisæis! qui decimatis mentham, et rutam, et quodvis olus, sed præteritis judicium et charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, et illa non omittere.

43 Væ vobis Pharisæis! qui diligitis primum consessum in conventibus, et salutationes in foris
44 Væ vobis, scribæ et Pharisæi, hypocritæ! qui estis ut monumenta quæ non apparent, et *quæ* nesciunt ii qui super *ea* ambulant.

45 Respondens autem quidam ex legis interpre-
tibus ait illi, Magister, quum hæc dicis, etiam
nos afficis injuria.
46 Ipse autem dixit, Væ vobis quoque legis
interpretibus! quoniam oneratis homines oneribus
difficilibus portatu, sed ipsi uno ex digitis vestris
nos attingitis onera.
47 Væ vobis! quoniam ædificatis monumenta pro-
phetarum, patres autem vestri interemerunt eos.
48 Nempe testimonio vestro ultro consentitis factis
patrum vestrorum: quoniam illi quidem eos inter-
emerunt, vos autem ædificatis eorum monumenta.
49 Propterea etiam Sapientia Dei dixit, Mittam ad
eos prophetas et apostolos, et ex ipsis *aliquos*
50 interiment et *aliquos* expellent. Ut a gente ista
requiratur sanguis omnium prophetarum effusus
51 a jacto mundi fundamento, a sanguine Abelis
usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter
altare et ædem: profecto, dico vobis, *Hic san-*
guis requiretur ab hac gente.
52 Væ vobis legis interpretibus! quoniam sustu-
listis clavem cognitionis: ipse non introistis, et
eos qui introibant prohibuistis.
53 Quum autem hæc eis diceret, cœperunt scribæ
et Pharisæi vehementer *ipsi* imminere, et eum
54 allicere ad loquendum de multis; insidiantes ei,
et cupide venantes aliquid ex ipsius ore, ut eum
accusarent.
12 Interea, quum aggregata esset permulta turba,
adeo ut alii alios conculcarent, cœpit dicere disci-
pulis suis, Imprimis cavete vobis a fermento Phari-
sæorum, quod est hypocrisis. Nihil enim oper-
2 tum est quod non reveletur; et *nihil* occultum,
3 quod non innotescat. Propterea quæ in tenebris
dixistis, in luce audientur; et quod in aurem
locuti estis in conclavibus, prædicabitur in soiariis.

4 Dico autem vobis amicis meis, Ne metuite
vobis ab iis qui interimunt corpus, et postea non
5 habent quod amplius faciant. Præmonstrabo
autem vobis quem metuatis: metuite eum qui,
postquam interemit, habet auctoritatem conjici-
endi in Gehennam: etiam, dico vobis, hunc me-
6 tuite. Nonne quinque passerculi væneunt assariis
duobus? et *tamen* unus ex iis non est in obli-
7 vione in conspectu Dei: quinetiam capilli capitis
vestri omnes numerati sunt. Ne igitur metuite:
multis passerculis præstatis.
8 Dico autem vobis, Quisquis me agnoverit co-
ram hominibus, Filius quoque hominis agnoscet
9 eum coram angelis Dei. Qui vero me abnega-
verit in conspectu hominum, abnegabitur in con-
10 spectu angelorum Dei. Et quisquis locutus fu-
erit adversus Filium hominis, ei remittetur: ei
vero qui adversus Spiritum Sanctum blasphema-
verit, non remittetur.
11 Quum autem adduxerint vos ad synagogas, et
ad magistratus ac potestates, ne soliciti estote
quomodo aut quid pro defensione allaturi, aut
12 quid dicturi sitis. Spiritus enim Sanctus docebit
vos eo ipso momento, quæ oporteat dicere.
13 Dixit autem ei quidam e turba, Magister, dic
fratri meo, ut partiatur mecum hæreditatem.
14 Ipse vero dixit ei, Heus tu, quis me vobis
15 judicem aut partitorem præfecit? Dixit igitur
eis, Videte, et cavete ab avaritia: nec enim
cujusquam vita ex iis quæ ipsi suppetunt, in eo
sita est ut redundet.
16 Dixit autem eis parabolam in hæc verba:
17 Hominis cujusdam divitis exuberarat regio: ita-
que ratiocinabatur apud se, dicens, Quid faciam?
nec enim habeo ubi congregem fructus meos.
18 Et dixit, Hoc faciam: destruam horrea mea, et

majora ædificabo; et illic congregabo omnes
19 proventus meos, et bona mea: et dicam animæ
meæ, Anima, habes multa bona reposita in
annos multos: requiesce, ede, bibe, oblectare.
20 Dixit autem ei Deus, Amens, hac nocte anima
tua repetitur abs te: quæ vero parasti cujus
21 erunt? Ita *est* qui thesaurum recondit sibi, nec
est in Deo dives.
22 Dixit autem discipulis suis, Propterea dico
vobis, Ne soliciti estote de anima vestra, quid
esuri sitis; neque de corpore, quo sitis induendi.
23 Anima plus est quam alimentum, et corpus quam
24 indumentum. Considerate corvos neque serere,
neque metere; quibus non est cella neque hor-
reum; et *tamen* Deus alit eos: quanto vos præ-
25 statis volucribus? Quis autem ex vobis solicite
cogitando potest apponere ad staturam suam
26 cubitum unum? Itaque, si ne rem quidem mi-
nimam *præstare* potestis, quid de reliquis illis
27 estis soliciti? Considerate lilia, quomodo cre-
scant; non fatigantur, neque nent: dico autem
vobis, ne Solomonem quidem in omni gloria
28 sua amictum fuisse ut unum illorum. Quod si
herbam, quæ hodie est in agro, et cras in cli-
banum immittitur, Deus ita circumvestit, quanto
29 magis vos, exigua fide prædíti! Vos igitur ne
quærite quid esuri sitis, aut quid bibituri; et ne
30 suspenso animo estote. Hæc enim omnia gentes
mundi requirunt: Pater autem vester novit vos
31 istis indigere. Quin potius quærite regnum Dei,
32 et hæc omnia adjicientur vobis. Ne metue,
parve grex iste: nam libuit Patri vestro dare
33 vobis regnum illud. Vendite quæ habetis, et
date eleemosynam: parate vobis crumenas quæ
non veterascant, thesaurum in cœlis qui nun-
quam deficiat, quo fur non appropinquat, et *ubi*

34 tinea non corrumpit. Ubi enim thesaurus vester
est, illic et cor vestrum erit.
35 Sint lumbi vestri succincti, et *vestræ* lucernæ
36 ardentes; et similes *estote* vos iis qui exspectant
quando dominus suus regressurus sit a nuptiis,
ut quum venerit, ac pulsaverit, statim aperiant
37 ei. Beati servi illi quos, quum venerit dominus,
invenerit vigilantes: amen dico vobis, præcinget
se, et faciet ut discumbant, et accedens mini-
38 strabit eis. Et si venerit in secunda vigilia, et
si in tertia vigilia venerit, atque ita invenerit,
39 beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, si sciret
paterfamilias qua hora fur venturus sit, vigilaret,
40 nec sineret perfodi domum suam. Et vos igitur
estote parati; quia qua hora non putatis, Filius
hominis veniet.
41 Dixit autem ei Petrus, Domine, nobis dicis
istam parabolam, an etiam omnibus? Dixit autem
Dominus,
42 Quisnam est fidus dispensator ac prudens, quem
dominus constituet supra famulitium suum, ut tem-
43 pore præstituto det demensum? Beatus servus ille
quem, quum venerit dominus, invenerit ita facien-
44 tem. Vere dico vobis, supra omnia quæ sibi sup-
45 petunt præficiet eum. Quod si dixerit servus ille
in corde suo, Tardat dominus meus adventum;
cœperitque cædere servos et ancillas, et edere, et
46 bibere, et inebriari; veniet dominus servi illius eo
die quo *ipsum* non exspectat, et ea hora quam non
novit; et separabit eum, partemque cum incre-
47 dulis ei statuet. Ille autem servus qui novit
voluntatem domini sui, et neque *se* comparavit,
neque se gessit ex ejus voluntate, cædetur multis
48 *plagis:* qui vero non novit, et fecit digna pla-
gis, cædetur *plagis* paucis. Porro, cuicunque
multum datum fuerit, multum repetetur ab eo;

et apud quem depositum fuerit multum, amplius reposcetur ab eo.

49 Ignem veni missurus in terram: et quid volo,
50 si jam accensus est? Sed baptismo oportet me baptizari: et quomodo constringor quousque *hoc*
51 perficiatur! Putatis me advenisse pacem daturum
52 in terra? non, dico vobis, imo dissidium. Erunt enim ex hoc *tempore* quinque in una domo dissidentes, tres adversus duos, et duo adversus
53 tres. Dissidebit pater adversus filium, et filius adversus patrem; mater adversus filiam, et filia adversus matrem; socrus adversus nurum suam, et nurus adversus socrum suam.

54 Dicebat autem etiam turbæ, Quum videritis nubem exorientem ab occasu, statim dicitis,
55 Imber venit; et ita fit. Et quum austrum flan-
56 tem, dicitis, Æstus erit: et fit *æstus*. Hypocritæ, faciem terræ et cœli nostis explorare: hoc autem præstitutum tempus qui fit ut non exploretis?
57 Cur autem et per vos ipsos non discernitis quod
58 justum est? Enimvero dum abis cum adversario tuo ad magistratum, da operam in via ut libereris ab eo; ne pertrahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor conjiciat te in carcerem.
59 Dico tibi, non exibis illinc, usquequo ultimum etiam minutum reddideris.

13 1 ADFUERUNT autem eo ipso tempore quidam renunciantes ei de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum ipsorum sacrificiis.
2 Et respondens Jesus dixit eis, Putatis hos Galilæos præ omnibus Galilæis peccatores fuisse,
3 quod talia passi sint? Nequaquam, dico vobis: imo, nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis.
4 Aut illos decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloam, et quos interemit, putatis debi-

tores fuisse præ omnibus hominibus qui habi-
5 tant Hierosolymis? Nequaquam, dico vobis:
imo, nisi resipiscatis, omnes similiter peribitis.
6 Dixit autem hanc parabolam: Ficum habebat
quidam plantatam in vinea sua; et venit quærens
7 fructum in ea, neque invenit. Dixit autem vini-
tori, Ecce, anni tres sunt *ex quo* venio quærens
fructum in ficu ista, et non invenio: exscinde
eam: quorsum etiam terram inutilem reddit?
8 Ille vero respondens dixit ei, Domine, sine eam
etiam hoc anno, usquequo fodero circum eam,
9 et misero stercus: et si quidem tulerit fructum,
sines: sin minus, postea exscindes eam.
10 DOCEBAT autem in quadam synagoga sab-
11 bato: et ecce, mulier adfuit, habens spiritum
infirmitatis *ab* annis decem et octo: eratque in-
12 curva, nec prorsus *sese* poterat surrigere. Ipsam
autem Jesus visam advocavit, et dixit ei, Mulier,
13 soluta es ab infirmitate tua. Et imposuit ei
manus: et illico surrecta est, et glorificabat Deum.
14 Respondens autem præfectus synagogæ, in-
dignans quod sabbato sanasset Jesus, dixit turbæ,
Sex dies sunt quibus oportet operari: his ergo
diebus venite et curamini, et non die sabbati.
15 Respondit ergo ei Dominus, et dixit, Hypo-
crita, unusquisque vestrum sabbato nonne solvit
bovem suum aut asinum a præsepi, et abducit
16 aquatum? Hanc autem filiam Abrahami, quam
vinxerat Satanas, ecce, decem et octo annos,
non oportuit a vinculo isto solvi die sabbati?
17 Et quum hæc diceret, pudefiebant omnes qui
se opponebant ei: tota vero turba gaudebat
super omnibus gloriæ plenis rebus, quæ fiebant
ab eo.
18 DIXIT autem *Jesus*, Cui rei simile est regnum
19 Dei, et cui illud assimilabo? Simile est grano

sinapis, quod acceptum quispiam misit in hortum
suum; et crevit, et evasit in arborem magnam,
et volucres cœli nidulatæ sunt in ejus ramis.
20 Et rursum dixit, Cui *rei* assimilabo regnum
21 Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier
indidit in farinæ sata tria, usquequo fermentare-
tur tota.
22 PERAGRABAT igitur singulas urbes et vi-
cos, docens, et iter faciens Hierosolymam.
23 Dixit autem ei quidam, Domine, num pauci
sunt qui servantur?
24 Ipse vero dixit eis, [24] Contendite intrare per
angustam portam: quia multi, dico vobis, stu-
25 debunt intrare, et non poterunt. Ex quo
videlicet surrexerit paterfamilias, et occluserit
ostium, et cœperitis foris stare, et pulsare
ostium dicentes, Domine, Domine, aperi nobis:
at ipse respondens dicet vobis, Nescio vos
26 unde sitis. Tunc incipietis dicere, Edimus in
tui conspectu et bibimus, et in plateis nostris
27 docuisti. Et dicet, Dico vobis, nescio vos unde
sitis: abscedite a me omnes qui datis operam
28 injustitiæ. Illic erit fletus, et stridor dentium,
quum videritis Abrahamum, et Isaacum, et Ja-
cobum, et omnes prophetas in regno Dei, vos
29 autem ejici foras. Tunc venient *homines* ab
Oriente, et Occidente, et Borea, et Austro, et
30 discumbent in regno Dei. Et ecce, sunt ultimi
qui erunt primi, et sunt primi qui erunt ultimi.
31 Eo ipso die accesserunt quidam Pharisæi, di-
centes, Exi, et abi hinc; nam Herodes vult te
interimere.
32 Tunc dixit eis, Profecti dicite vulpi isti, Ecce,
ejiciam dæmonia, et sanationes peragam hodie
33 et cras: tertia autem die consummabor. Verun-
tamen oportet me hodie, et cras, et perendie,

iter facere: quia non contingit ut propheta pereat extra Hierosolymam.

34 Hierusalem, Hierusalem, quæ interimis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui aggregare liberos, quemadmodum gallina pullitiem suam sub alas, et noluistis?
35 Ecce, relinquitur vobis domus vestra deserta. Amen autem dico vobis, Non videbitis me usquedum venerit *tempus* quum dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini (Ps. 118, 26).

14 ET factum est, ut quum venisset domum cujusdam ex primoribus Pharisæis sabbato ad edendum panem, ipsi observarent eum.
2 Et ecce, quidam hydropicus aderat coram eo.
3 Tum respondens Jesus dixit legis interpretibus et Pharisæis in hæc verba, Licetne curare sab-
4 bato? Ipsi vero tacuerunt. Tum ipse prehensum
5 eum sanavit, et dimisit. Et respondens eis, dixit, Quis vestrum, *si ipsius* asinus aut bos in puteum
6 incidat, non statim retrahet eum die sabbati? Et non poterant ei ex adverso ad ista respondere.
7 Dixit autem parabolam iis qui vocati fuerant, attendens quomodo primos accubitus eligerent,
8 dicens eis: quum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne discumbito primo loco, ne forte
9 honoratior te sit vocatus ab eo: et is qui te et illum vocavit veniens dicat tibi, Da huic locum; et tunc incipias cum ignominia ultimum locum
10 tenere. Sed quum vocatus fueris, vade recubitum in ultimum locum; ut quum venerit qui te vocavit dicat tibi, Amice, ascende altius: tunc erit tibi gloria in conspectu eorum qui tecum
11 discumbunt. Nam quisquis se extollit deprimetur; et qui se depresserit extolletur.
12 Dicebat autem etiam ei a quo fuerat ipse vocatus, Quum feceris prandium aut cœnam, ne

vocato amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites; nequando et ipsi te vicissim vocent, ac fiat tibi retributio.
13 Sed quum facis epulum, voca mendicos, mancos,
14 claudos, cæcos: et beatus eris, quia non possunt *gratiam* retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.
15 Hæc autem quum audisset quidam ex iis qui simul discumbebant, dixit ei, Beatus qui edit panem in regno Dei.
16 Ipse autem dixit ei, Homo quidam fecit cœ-
17 nam magnam, et vocavit multos: misitque servum suum hora cœnæ, ut diceret vocatis, Venite, quia
18 jam parata sunt omnia. Et omnes cœperunt uno *consensu se* excusare. Primus dixit ei, Agrum emi, et necesse habeo exire, et eum inspicere;
19 rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit, Juga boum emi quinque, et proficiscor ad pro-
20 bandum ea; rogo te, habe me excusatum. Et
21 alius dixit, Uxorem duxi, et propterea non possum venire. Quum igitur servus ille advenisset, renunciavit ista domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo, Exi cito in plateas, et vicos urbis; et mendicos, ac mancos, claudosque,
22 et cæcos huc introducito. Et ait servus, Do-
23 mine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. Tunc ait dominus servo, Abi ad vias et
24 sepes, et coge ingredi, ut impleatur domus mea. Dico enim vobis, Nemo virorum illorum, qui vocati fuerant, gustabit cœnam meam.
25 IBAT autem turba multa cum eo: et conver-
26 sus dixit eis, Siquis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et liberos, et fratres, et sorores, atque adeo suam ipsius
27 animam, non potest meus esse discipulus. Et quisquis non bajulat crucem suam, et sequitur

28 me, non potest meus esse discipulus. Quis enim
ex vobis, si velit turrim ædificare, non prius
considens computat sumptum, an habeat quæ ad
29 *ejus* cosummationem *requiruntur?* Ut ne po-
sito fundamento, et *ipso eam* nequeunte perficere,
30 omnes *istud* spectantes incipiant ei illudere; di-
centes, Homo iste cœpit ædificare, et nequivit
31 *ædificium* perficere. Aut quis rex proficiscens
ad committendum prælium adversus alium re-
gem, non prius consultat considens, an possit
cum decem millibus occurrere illi qui cum vi-
32 ginti millibus venit adversus ipsum? Alioquin,
quum adhuc ille procul est, legatis missis
33 rogat ea quæ ad pacem *spectant.* Sic ergo,
quisquis vestrum non valedicit omnibus bonis
34 suis, non potest meus esse discipulus. Bonus est
sal: si vero sal infatuatus fuerit, quo condietur?
35 Neque ad terram, neque ad sterquilinium appo-
situs est: foras eum abjiciunt. Qui habet aures
ad audiendum, audiat.

15 ACCEDEBANT autem ad eum omnes publi-
2 cani et peccatores, ut eum audirent. Et mur-
murabant Pharisæi et scribæ, dicentes, Iste
peccatores recipit, et edit cum eis.
3 Ipse vero locutus est ad eos hanc parabolam,
4 dicens, Quis ex vobis, si habeat centum oves:
et perdiderit unam ex illis, non derelinquit illas
nonaginta novem in deserto, et abit ad eam
5 quæ periit, usquedum eam invenerit. Et *eam*
6 nactus imponit in humeros suos gaudens: venien-
sque domum convocat amicos et vicinos, dicens
eis, Gratulamini mihi; nam inveni ovem meam
7 quæ perierat. Dico vobis, ita fore gaudium in
cœlo super uno peccatore resipiscente, *magis*
quam super nonaginta novem justis, quibus non
opus est resipiscentia.

8 Aut quæ mulier, si habeat drachmas decem,
et perdiderit drachmam unam, non accendit lu-
cernam, et verrit domum, quæritque accurate,
9 usquequo *eam* invenerit? Et *eam* nacta, convo-
cat amicas ac vicinas, dicens, Gratulamini mihi;
10 nam inveni drachmam quam perdideram. Ita
dico vobis, gaudium est apud angelos Dei super
uno peccatore resipiscente.
11 Dixit autem, Quidam habebat duos filios: 12 quo-
rum junior dixit patri, Pater, da mihi partem
substantiæ *ad me* attinentem. *Ille* igitur divisit
13 eis facultates. Post dies autem non multos,
congregatis omnibus, junior ille filius peregre
profectus est in regionem longinquam: et illic
dissipavit substantiam suam, profuse vivendo.
14 Quum autem omnia ipse consumpsisset, orta est
fames valida in regione illa; et ipse cœpit *victu*
15 defici. Abiit igitur et adhæsit uni ex civibus
regionis illius; qui misit eum in agros suos, ut
16 pasceret porcos. Et desiderabat implere ventrem
suum siliquis, quas edebant porci: et nemo ei
dabat.
17 Quum autem ad se rediisset, dixit, Quot mer-
cenarii patris mei redundant panibus, ego vero
18 fame pereo! Surgens proficiscar ad patrem
meum, et dicam ei, Pater, peccavi in cœlum et
19 in tuo conspectu; neque amplius sum dignus
vocari filius tuus: fac me ut unum ex mercena-
riis tuis.
20 Surgens igitur contendit ad patrem suum.
Quum autem adhuc longe abesset, vidit eum
pater ipsius, et intima misericordia motus est;
et accurrens incidit in collum ejus, et deoscu-
21 latus est eum. Dixit autem ei filius, Pater,
peccavi in cœlum et in tuo conspectu, neque
22 dignus sum amplius vocari filius tuus. Dixit

vero pater ad servos suos, Proferte stolam illam præcipuam, et induite eum, et indite annulum
23 in manum ejus, et soleas in pedes: et adductum vitulum illum saginatum mactate, et edentes
24 oblectemur: quia filius iste meus mortuus erat, et revixit; perieratque, et inventus est. Cœperunt igitur sese oblectare.
25 Erat autem filius ille ipsius senior ruri: qui ut veniens appropinquavit domui, audivit con-
26 centum et choros. Et vocatum unum ex pueris,
27 percontatus est quid istud esset. Is vero dixit ei, Frater tuus venit: et mactavit pater tuus vitulum illum saginatum, quod valentem illum
28 receperit. Indignatus est autem *ille*, nec voluit introire. Pater ergo ipsius egressus, advocabat
29 eum. Ipse vero respondens dixit patri, Ecce, tot annos servio tibi, nec unquam præceptum tuum sum transgressus; nec unquam dedisti mihi
30 hœdum, ut cum amicis meis oblectarer: sed quum filius iste tuus, qui abligurivit victum tuum cum meretricibus, venit, mactasti ei vitulum
31 illum saginatum. Ipse vero dixit ei, Fili, tu
32 semper mecum es, et omnia mea tua sunt. Exhilarari vero et gaudere oportebat, quod frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perieratque, et inventus est.

16 DIXIT autem etiam discipulis suis, Fuit homo quidam dives, qui habebat dispensatorem: et is delatus est apud eum, ut qui dissiparet quæ ipsi
2 suppetebant. Vocavit eum igitur, et dixit ei, Qui istud audio de te? redde rationem dispensationis tuæ; non enim poteris amplius esse
3 dispensator. Dixit autem apud se dispensator, Quid faciam, quum dominus meus auferat a me dispensationem? fodere nequeo; mendicare pudet.
4 Novi quid sim facturus, ut quum amotus fuero

a dispensatione, recipiant me *aliqui* domum suam.
5 Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui,
dixit primo, Quantum debes domino meo? Is
6 autem ait, Centum batos olei. Tum ille dixit ei,
Accipe tabulas tuas, et sede cito, et scribe quin-
7 quaginta. Deinde alii dixit, Tu vero quantum
debes? Is autem ait, Centum coros tritici. Tum ipse
dixit ei, Accipe tabulas tuas, et scribe octoginta.
8 Et laudavit dominus ille dispensatorem injustum,
quod prudenter fecisset. Certe filii hujus seculi
prudentiores sunt filiis lucis in suo genere.
9 *Sic* etiam ego vobis dico, Facite vobis amicos
ex mamona injusto; ut quum defeceritis, recipiant
10 vos in æterna illa tabernacula. Qui fidelis est
in minimo, etiam in multo fidelis est: et qui in
pauco injustus est, etiam in multo injustus est.
11 Itaque, si in fallaci mamona fideles non fuistis,
12 veram *mamonam* quis credet vobis? Et si in
alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis
13 dabit vobis? Nullus servus potest duobus do-
minis servire: aut enim unum odio habebit, et
alterum diliget; aut uni adhærebit, et alterum
contemnet. Non potestis Deo servire et mamonæ.
14 Audiebant autem hæc omnia etiam Pharisæi,
qui erant avari; et sannis eum excipiebant.
15 Tunc dixit eis, Vos ii estis qui justificatis
vosipsos in hominum conspectu: Deus autem
novit corda vestra; quia quod apud homines
sublime est, abominationi est in conspectu Dei.
16 Lex et prophetæ usque ad Joannem: ab eo
tempore regnum Dei evangelizatur, et quivis in
17 illud vi perrumpit. Facilius est autem cœlum et
terram præterire, quam legis unum apicem ex-
18 cidere. Quisquis dimittit uxorem suam, et alte-
ram ducit, mœchatur: et quisquis a viro dimissam
ducit, mœchatur.

19 Ceterum quidam erat dives, qui induebatur
purpura et bysso, et sese oblectabat quotidie
20 splendide. Erat vero quidam mendicus nomine
Lazarus, qui projectus erat ad vestibulum ejus,
21 ulcerosus; et desiderans saturari micis quæ ca-
debant e mensa divitis: sed et canes veniebant
22 ac lingebant ejus ulcera. Factum est autem ut
moreretur mendicus, et asportaretur ab angelis
in sinum Abrahami: mortuus est vero etiam
23 dives, ac sepultus est; et apud inferos sublatis
oculis suis, quum esset in tormentis, vidit Abra-
hamum e longinquo, et Lazarum in sinu ejus.
24 Tum ipse clamans dixit, Pater Abrahame, mise-
rere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum
digitum suum in aquam, et refrigeret linguam
meam; quoniam gravissime crucior in ista flamma.
25 Dixit autem Abrahamus, Fili, memento te bona
tua recepisse in vita tua, et Lazarum similiter
mala: nunc autem hic solamen recipit, tu vero
26 cruciaris. Et ad hæc omnia, inter nos et vos
hiatus ingens constitutus est, ut ii qui volunt
hinc transire ad vos, non possint, neque istinc
huc transire.
27 Dixit autem *ille*, Rogo te igitur, pater, ut eum
28 mittas domum patris mei: habeo enim quinque
fratres, ut *hæc* obtestetur eos, ne et ipsi veniant
in hunc locum tormenti.
29 Dicit ei Abrahamus, Habent Mosen et prophe-
tas: audiant eos.
30 Ille vero dixit, Non, pater Abrahame; sed
siquis e mortuis abierit ad eos, resipiscent.
31 Abrahamus autem dixit ei, Si Mosen et pro-
phetas non audiunt, ne siquidem quispiam ex
mortuis resurgat, persuadebuntur.
17 Ait autem discipulis, Contingere non potest,
ut non eveniant offendicula: sed væ illi per

2 quem eveniunt! Expedit ei si mola asinaria
circumponatur collo ejus, et abjectus fuerit in
mare, *potius* quam ut sit offendiculo uni ex
parvis istis.
3 Cavete vobis: Si peccaverit in te frater tuus,
4 objurga eum; et si resipuerit, remitte ei. Et si
septies in die peccaverit in te, et septies *in* die
revertatur ad te, dicens, Resipui; remittes ei.
5 Tunc dixerunt apostoli Domino, Adde nobis
fidem.
6 Dixit autem Dominus, Si haberetis fidem,
quantulum *est* granum sinapis, diceretis huic sy-
camino, Eradicator, et plantator in mari; et
7 obediret vobis. Quis autem vestrum habet ser-
vum arantem, aut pascentem, qui regresso ab
8 agro, dicat statim, Accede, et accumbe? Imo
nonne dicit ei, Para quod cœnem, et præcinctus
ministra mihi, usquedum edero ac bibero; et
9 postea edito tu et bibito? Num gratiam habet
servo illi, quod fecerit quæ ipsi edicta fuerant?
10 non puto. Ita et vos, quum feceritis omnia quæ
edicta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus:
nam quod debuimus facere, fecimus.
11 ET factum est, inter eundum Hierosolymam,
ut ipse transiret per mediam Samariam et Gali-
læam.
12 Quum autem ingrederetur in quendam vicum,
occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt
13 procul: et sustulerunt vocem, dicentes, Jesu ma-
14 gister, miserere nostri. Qui quum *eos* vidisset,
dixit eis, Profecti ostendite vos sacerdotibus.
Et factum est ut inter eundum purificati sunt.
15 Unus autem ex ipsis, ut vidit se sanatum esse,
16 revertit, glorificans Deum voce magna; et pro-
cidit in faciem ad pedes ejus, gratias ei agens;
eratque iste Samaritanus.

17 Respondens autem Jesus dixit, Nonne decem
illi purificati sunt? novem autem illi ubi *sunt?*
18 Non sunt reperti qui redierint, ut tribuerent
19 gloriam Deo, nisi alienigena iste. Et dixit ei,
Surge, *et* abi; fides tua te servavit.
20 INTERROGATUS autem a Pharisæis, quando
venturum esset regnum Dei, respondit eis, et
dixit, Non veniet regnum Dei ita ut observari
21 possit: neque dicent, Ecce hic, aut ecce illic:
ecce enim, regnum Dei intus habetis.
22 Dixit autem discipulis, Veniet tempus quum
desiderabitis videre unum ex diebus Filii homi-
23 nis; nec videbitis. Et dicent vobis, Ecce hic,
aut ecce illic: *sed* ne abite, neque prosequimini.
24 Nam sicut fulgur coruscans ex *una regione* quæ
sub cœlo est, in *alteram*, quæ sub cœlo est,
splendet; ita erit et Filius hominis die suo.
25 Sed prius oportet eum multa pati, et reprobari
a gente ista.
26 Et prout factum est in diebus Noe, ita erit
27 etiam diebus Filii hominis. Edebant, bibebant,
uxores ducebant, et dabantur nuptum, ad eum
usque diem quo introiit Noe in arcam; venitque
28 diluvium, et perdidit omnes. Similiter etiam ut
accidit in diebus Lot; edebant, bibebant, eme-
29 bant, vendebant, plantabant, ædificabant: quo
autem die Lot exiit Sodomis, pluit ignis et sul-
30 phur e cœlo, et omnes perdidit. Secundum hæc
erit dies quo Filius hominis revelabitur.
31 In illo die qui fuerit in solario, et vasa ejus
in ipsa domo, ne descendat ad ea tollenda; et
qui in agro, similiter non revertatur retrorsum.
32 Memineritis uxoris Lot. 33 Quicunque studuerit
animam suam servare, perdet eam: et quicunque
34 eam perdiderit, vivificabit eam. Dico vobis, illa
nocte erunt duo in lecto uno: unus accipietur,

35 et alter relinquetur. Duo erunt molentes simul:
36 una accipietur, et altera relinquetur. Duo erunt
in agro: unus accipietur, et alter relinquetur.
37 Tunc respondentes dicunt ei, Ubi, Domine?
Ipse vero dixit eis, Ubi corpus, illuc congre-
gabuntur aquilæ.
18 Dixit autem eis etiam parabolam *huc spectan-*
tem, quod oporteret semper orare, neque segnes
2 esse; dicens, Judex quidam erat in quadam urbe,
qui Deum non timebat, nec quenquam revereba-
3 tur. Erat autem in illa urbe quædam vidua,
quæ venit ad eum, dicens, Vindica me ab ad-
4 versario meo. Ille autem noluit per *multum*
tempus: postea vero dixit apud se, Etsi Deum
5 non timeo, nec quenquam revereor: tamen quia
molestiam mihi præbet vidua ista, vindicabo
eam, ne tandem veniens obtundat me.
6 Ait autem Dominus, Audite quid judex ille
7 injustus dicat: Deus autem non vindicabit electos
suos, vociferantes ad ipsum die ac nocte, etiamsi
8 patiente sit animo super ipsis? Dico vobis,
vindicabit eos cito. Veruntamen Filius hominis
quum venerit, num reperturus est fidem in terra?
9 Dixit autem etiam quibusdam, qui sibi per-
suaserant se justos esse, et pro nihilo habebant
10 reliquos, parabolam istam: Homines duo ascen-
derunt in templum ut precarentur; unus Phari-
11 sæus, et alter publicanus. Pharisæus consistens
seorsim hæc oravit: Deus, gratias ago tibi, quod
non sim ut reliqui homines, rapaces, injusti,
12 mœchi; vel etiam ut iste publicanus: jejuno bis
13 hebdomade: decimo quæcunque possideo. Publi-
canus autem procul stans, nolebat vel oculos in
cœlum attollere; sed cædebat pectus suum, di-
cens, Deus, placator mihi peccatori.
14 Dico vobis, Descendit iste justificatus domum

suum *potius* quam ille: quia quicunque se extollit deprimetur, et qui sese deprimit extolletur.

15 ADFEREBANT autem ad eum etiam infantes, ut eos tangeret: quum autem hoc vidissent discipuli, objurgarunt eos.

16 Jesus vero quum eos advocasset, dixit, Sinite puerulos venire ad me, et eos non prohibete:
17 talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, Quicunque non exceperit regnum Dei tanquam puerulus, nequaquam introibit in illud.

18 TUNC interrogavit eum quidam ex primoribus, dicens, Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?

19 Dixit autem ei Jesus, Cur me dicis bonum? nemo
20 bonus nisi unus, *nempe* Deus. Præcepta nosti: Ne mœchare, Ne occidito, Ne furare, Ne falsum testimonium dicito, Honora patrem tuum, et matrem tuam (Ex. 20, 12—16).

21 Ille autem dixit, Hæc omnia observavi a juventute mea.

22 Jesus vero, his auditis, dixit ei, Adhuc unum tibi deest: omnia quæ habes vende, et distribue pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et adesdum sequere me.

23 At ille, his auditis, valde tristis factus est;
24 nam dives erat valde. Quum autem vidisset Jesus eum valde tristem factum, dixit, Quam difficile qui pecunias habent introibunt in regnum
25 Dei! Facilius est enim camelum per foramen acus intrare, quam divitem in regnum Dei intrare.

26 Qui vero *istud* audierant, dixerunt, Et quis potest servari?

27 Ipse autem dixit, Quæ fieri non possunt apud homines, fieri possunt apud Deum.

28 Dixit autem Petrus, Ecce, nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.

29 Ipse vero dixit eis, Amen dico vobis, Nemo
est qui reliquerit domum, aut parentes, aut fra-
tres, aut uxorem, aut liberos, regni Dei causa,
30 qui non recepturus sit multiplicia hoc ipso tem-
pore, et in seculo venturo vitam æternam.
31 Et quum assumpsisset illos duodecim, dixit
eis, Ecce, ascendimus Hierosolymam, et perfici-
entur omnia quæ scripta sunt per prophetas de
32 Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illu-
33 detur, et contumeliis afficietur, et conspuetur: et
eum flagellatum interiment: sed die tertia re-
surget.
34 Ipsi vero nihil horum intellexerunt: erantque
ista verba ipsis occulta, neque cognoverunt quæ
dicebantur.
35 FACTUM est autem ut dum ipse appropin-
quaret Jericho, cæcus quidam sederet apud viam
36 mendicans. Quum igitur *is* audisset turbam
prætereuntem, percontabatur quid hoc esset.
37 Renunciaverunt autem ei Jesum Nazaræum
38 transire. Tunc vociferatus est, dicens, Jesu, fili
39 David, miserere mei. Et qui præibant, objurga-
bant eum ut sileret: ipse vero multo magis cla-
mabat, Fili David, miserere mei.
40 Jesus autem quum substitisset, jussit eum ad-
duci ad se: et quum is appropinquasset, inter-
41 rogavit eum, dicens, Quid tibi vis faciam?
Ille vero dixit, Domine, ut visum recipiam.
42 Et Jesus dixit ei, Recipito visum: fides tua
43 te servavit. Illico igitur visum recepit, ac seque-
batur eum, glorificans Deum: et totus populus,
quum *hoc* vidisset, tribuit laudem Deo.
19 *Jesus* autem ingressus Jericho, transibat.
2 Et ecce, quidam nomine vocatus Zacchæus, et
qui magister erat publicanorum, et dives erat:
3 studebatque videre quis esset Jesus: nec poterat

4 præ turba, quod statura parvus esset: præcurrens
igitur ascendit in sycomorum, ut eum videret:
5 quoniam futurum erat ut illac transiret. Ut
autem venit ad eum locum, suspiciens Jesus vi-
dit eum, et dixit ei, Zacchæe, festinans descende:
6 hodie enim domi tuæ oportet me manere. Tum
is festinans descendit, et excepit eum gaudens.
7 Et omnes, quum hoc vidissent, murmurabant,
dicentes eum ingressum esse ad hominem pecca-
torem, ut *ibi* diversaretur.
8 Adstans autem Zacchæus dixit Domino, Ecce,
dimidium bonorum meorum, Domine, do paupe-
ribus, et si quid cuipiam per calumniam eripui,
reddo quadruplum.
9 Dixit autem ei Jesus, Hodie salus huic domui
contigit, eo quod ipse quoque est filius Abra-
10 hami. Venit enim Filius hominis, ut quærat et
servet quod perierat.
11 Hæc autem ipsis audientibus, pergens, dixit
parabolam, eo quod esset prope Hierosolymam,
et quod putarent fore ut illico regnum Dei ap-
12 pareret. Dixit ergo, Homo quidam nobilis pro-
fectus est in regionem longinquam, ut acciperet
13 sibi regnum, ac reverteretur. Vocatis autem
decem servis suis, dedit eis decem minas, et
14 dixit eis, Negotiamini donec veniam. Cives
autem ejus oderant eum, miseruntque legationem
post eum, dicentes, Nolumus hunc regnare super
15 nos. Et factum est quum is redisset, accepto
regno, tum jussit vocari servos illos ad se, qui-
bus dederat pecuniam; ut cognosceret quis quid
16 negotiando confecisset. Adfuit autem primus,
dicens, Domine, mina tua decem minas lucrifecit.
17 *Ille* autem ait ei, Bene *est*, serve bone; quia in
minimo fuisti fidelis, habeto jus in decem urbes.
18 Et alter venit, dicens, Domine, mina tua con-

19 fecit quinque minas. *Ille* vero et isti dixit, Tu
20 quoque præesto quinque urbibus. Et alius venit,
dicens, Domine, ecce mina tua quam habui se-
21 positam in sudario. Metui enim te, quod homo
sis austerus: tollis quod non deposuisti, et metis
22 quod non seminasti. Tum *ille* dixit ei, Ex ore
tuo te judicabo, serve male: sciebas me homi-
nem austerum esse, qui tollam quod non depo-
23 sui, et metam quod non seminavi: quare igitur
non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego,
24 veniens, cum fœnore ipsam exegissem? Et ad-
stantibus dixit, Tollite ab eo minam, et date illi
25 qui decem minas habet. *Illi* vero dixerunt ei,
26 Domine, habet decem minas. *At ille*, Nam, *in-
quit*, dico vobis, Omni habenti dabitur: ei vero
qui non habet, etiam quod habet auferetur ab
27 eo. Quinetiam meos illos inimicos, qui noluerunt
me regnare supra se, adducite huc, et jugulate
coram me.
28 Et his dictis, antegrediebatur ascendens Hiero-
solymam.
29 Et factum est, quum appropinquasset Beth-
phagæ et Bethaniæ, ad montem qui vocatur
30 Olearum, misit duos ex discipulis suis, dicens,
Abite in vicum qui est ex adverso; in quo intro-
euntes invenietis pullum alligatum, cui nullus
unquam hominum insedit: solutum eum adducite.
31 Et si quis vos interrogaverit, Quare solvitis? sic
dicetis ei, Quoniam eo opus est Domino.
32 Profecti autem qui missi erant, invenerunt
33 prout eis dixerat. Solventibus autem ipsis pul-
lum, dixerunt eis domini ejus, Quare solvitis
34 pullum? Ipsi vero dixerunt, Quoniam eo opus
35 est Domino. Duxerunt igitur eum ad Jesum:
et palliis suis pullo injectis, imposuerunt Jesum.
36 Eunte autem ipso, substernebant pallia sua in via.

37 Et quum jam appropinquaret ad descensum
montis Olearum, cœpit omnis multitudo discipu-
lorum gaudentium laudare Deum voce magna de
38 omnibus quas viderant virtutibus; dicentes, Bene-
dictus Rex ille qui venit in nomine Domini:
pax in cœlo, et gloria in *locis* altissimis.
39 Et aliqui Pharisæorum e turba dixerunt ei,
Magister, objurga discipulos tuos.
40 Ipse vero respondens dixit eis, Dico vobis, si
siluerint isti, mox lapides clamitaturos.
41 Et ut appropinquavit, visa urbe, flevit super
42 ea, dicens, Si vel tu nosses hoc saltem tuo die,
quæ ad pacem tuam *faciunt:* sed *ea* nunc oc-
43 culta sunt oculis tuis. Nam veniet tempus ad-
versum te, quo circumjicient tibi inimici tui
vallum, et circumcingent te, et constringent
44 undique: teque solo æquabunt, et filios tuos in-
tus, neque relinquent in te lapidem super lapi-
dem; eo quod non agnoveris præstitutum hoc
tempus visitationis tuæ.
45 Et ingressus in templum, cœpit ejicere eos
46 qui vendebant in eo, et emebant; dicens eis,
Scriptum est, Domus mea, domus precatio-
nis est (Es. 56, 7): vos autem fecistis eam spe
luncam latronum.
47 Et docebat quotidie in templo. Primarii vero
sacerdotes, et scribæ, et primores plebis stude-
48 bant eum perdere: nec inveniebant quid facerent:
totus enim populus pendebat ab eo, ipsum au-
diens.
20 Et factum est quodam dierum illorum, ut
quum ipse doceret populum in templo, et evan-
gelizaret, supervenerint primarii sacerdotes et
2 scribæ cum senioribus; et allocuti sunt eum, di-
centes, Dic nobis qua auctoritate ista facias, aut
quis ille sit qui dedit tibi istam auctoritatem.

3 Respondens autem dixit eis, Interrogabo vos
4 et ego quiddam: dicite igitur mihi, Baptismus
Joannis e cœlo erat, an ex hominibus?
5 At illi ratiocinati sunt apud se, dicentes, Si
dixerimus, E cœlo; dicet, Quare ergo non cre-
6 didistis ei? Sin autem dixerimus, Ex hominibus;
tota plebs lapidabit nos: persuasa enim est, Jo-
7 annem prophetam fuisse. Responderunt igitur
se nescire unde *esset*.
8 Tunc Jesus dixit eis, Nec ego dicam vobis
qua auctoritate hæc faciam.
9 Cœpit autem dicere ad plebem parabolam
hanc: Quidam plantavit vineam, et elocavit eam
agricolis: et peregre abfuit non multum tempo-
10 ris. Sed præstituto tempore misit servum ad
agricolas illos, ut sibi darent ex fructu vineæ:
agricolæ autem illi cæsum illum ablegarunt
11 inanem. *Ille* vero perrexit, et alterum servum
misit: at ipsi hunc quoque cæsum et contumeliis
12 affectum ablegarunt inanem. Et perrexit mittere
tertium: at illi et istum vulneratum ejecerunt.
13 Dixit igitur Dominus vineæ, Quid faciam? mittam
filium illum meum dilectum: utique hunc visum
14 reverebantur. Viso autem eo agricolæ colloque-
bantur inter se, dicentes, Iste est hæres: adeste,
15 interimamus eum, ut nostra fiat hæreditas. Et
ejectum eum extra vineam, interemerunt. Quid
16 ergo faciet eis Dominus vineæ? Veniet et per-
det agricolas istos, et dabit vineam aliis.
Hoc autem quum audissent, dixerunt, Absit.
17 Ille vero intuitus ipsos ait, Quid illud est ergo
quod scriptum est, Quem lapidem reproba-
verunt aedificantes, is factus est caput
18 anguli (Ps. 118, 22)? Quisquis ceciderit super
illum lapidem confringetur; super quem autem
ceciderit, comminuet eum.

19 Et studuerunt primarii sacerdotes et scribæ injicere in eum manus eo ipso momento; sed metuerunt plebem: cognoverunt enim *eum* adversus ipsos dixisse similitudinem istam.
20 ITAQUE observantes *eum*, miserunt insidiatores, qui se justos esse simularent; ut carperent ejus sermonem, traditurі eum imperio et potestati
21 præsidis: qui interrogaverunt eum, dicentes, Præceptor, scimus te recte dicere et docere, nec accipere personam, sed viam Dei in veritate
22 docere: Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?
23 Animadversa autem eorum calliditate, dixit
24 eis, Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium; cujus habet imaginem et inscriptionem?
Respondentes autem dixerunt, Cæsaris.
25 Tunc dixit eis, Reddite igitur quæ *sunt* Cæsaris, Cæsari; et quæ *sunt* Dei, Deo.
26 Itaque nequiverunt ejus verba carpere coram plebe: et mirati super ejus responso, siluerunt.
27 ACCEDENTES autem quidam Sadducæorum (qui contendunt non esse resurrectionem) interroga-
28 runt eum, dicentes, Magister, Moses scripsit nobis, Si cujus frater mortuus fuerit habens uxorem, et sine liberis mortuus fuerit, ut frater accipiat ejus uxorem, et excitet semen fratri suo.
29 Septem ergo fratres fuerunt; quorum primus,
30 accepta uxore, mortuus est sine liberis. Accepit
31 igitur eam secundus, *qui* et ipse mortuus est sine liberis. Deinde tertius accepit eam: itidem
32 autem et illi septem: nec reliquerunt liberos, et mortui sunt. Post omnes autem mortua est et
33 mulier. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? nam illi septem habuerunt eam uxorem.
34 Tum respondens dixit eis Jesus, Filii hujus
35 ævi ducunt uxores, et nuptum dantur; qui vero digni habiti fuerint qui ævum illud consequantur,

et resurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxo-
36 res, neque nuptum dantur: nec enim mori pos-
sunt amplius: pares enim angelis sunt: et filii
37 sunt Dei, quum sint filii resurrectionis. Mortuos
autem suscitatum iri, etiam Moses indicavit in
rubo, quum dicit Dominum Deum Abrahami, et
38 Deum Isaaci, et Deum Jacobi. Deus autem non
est mortuorum, sed vivorum *Deus;* omnes enim
vivunt ei.
39 Respondentes autem ei quidam ex scribis
40 dixerunt, Magister, bene dixisti. Nec amplius
audebant eum quicquam interrogare.
41 Dixit autem eis, Quomodo dicunt Christum
42 filium esse Davidis? Nam ipse David dicit in
libro Psalmorum, Dixit Dominus Domino
43 meo, Sede ad dextram meam, usquedum
statuero inimicos tuos scabellum pedum
44 tuorum (Ps. 110, 1). David ergo Dominum eum
vocat, et quomodo filius ejus est?
45 Audiente vero toto populo dixit discipulis
46 suis, Cavete a scribis, qui volunt ambulare sto-
lati, et amant salutationes in foris, ac primos
consessus in conventibus, et primos accubitus in
47 cœnis; qui exedunt domos viduarum, et in spe-
ciem longis orationibus utuntur: isti recipient
gravius judicium.
21 1 Respiciens vero vidit divites immittentes dona
2 sua in gazophylacium. Vidit autem etiam quan-
dam viduam pauperculam immittentem illuc mi-
3 nuta *æreola* duo: et dixit, Vere dico vobis,
vidua hæc pauper immisit amplius quam omnes.
4 Nam omnes hi ex eo quod sibi redundat, im-
miserunt quæ donarent Deo: hæc autem immisit
ex penuria sua totum victum quem habebat.
5 Et quibusdam dicentibus de templo, quod
pulchris lapidibus ac donariis ornatum esset,

6 dixit, Hæccine spectatis? venient dies quibus
non relinquetur lapis super lapidem qui non
destruatur.
7 Interrogaverunt autem eum, dicentes, Magister,
quando hæc erunt? et quod *erit* signum quando
futura sint ista?
8 Ipse vero dixit, Videte ne seducamini; multi
enim venient sub nomine meo, dicentes, Ego
sum *Christus:* et tempus illud præstitutum ap-
9 propinquat: ne igitur sequimini eos. Quum vero
audieritis bella et exagitationes, ne consterna-
mini: oportet enim ista primum fieri, sed non
10 statim *erit* finis. Tunc dixit eis, Insurget gens
11 in gentem, et regnum in regnum: et magni
terræmotus erunt singulis locis, et fames, ac
pestilentiæ, et terriculamenta, et signa e cœlo
magna erunt.
12 Sed ante hæc omnia injicient vobis manus, et
vos persequentur, tradentes in conventus et car-
ceres, adductos ad reges ac præsides, propter
13 nomen meum. *Hæc* autem cedent vobis testi-
14 monio. Habete igitur hoc fixum in cordibus
15 vestris, non præmeditari defensionem. Ego enim
dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt
contradicere, neque obsistere, omnes qui se vo-
16 bis opponent. Prodemini autem etiam a paren-
tibus, et fratribus, et cognatis, et amicis: et
17 morte mulctandos curabunt *aliquos* ex vobis: et
18 eritis exosi omnibus propter nomen meum. Sed
19 pilus capitis vestri non peribit. Per tolerantiam
vestram possidete animas vestras.
20 Quum autem videritis Hierosolymam cingi ab
exercitibus, tunc agnoscite appropinquare vasta-
21 tionem ejus. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant
in montes; et qui intra eam, excedant; et qui
22 in agris, non ingrediantur in eam. Nam hi sunt

dies ultionis, ut impleantur omnia quæ scripta
23 sunt. Væ autem gravidis et lactantibus in illis
diebus! erit enim necessitas magna in hac regi-
24 one, et ira in populo isto. Et cadent acie gladii, et captivi ducentur in omnes gentes: et Hierosolyma calcabitur a gentibus, usquequo impleantur præstituta illa tempora gentium.
25 Tunc erunt signa in sole, et luna, et stellis; et in terra anxietas gentium in consilii inopia,
26 resonante mari et salo; exanimatis hominibus præ metu et expectatione *malorum* superveni-
entium orbi terrarum; nam potestates cœlorum
27 concutientur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potentia et gloria multa.
28 Quum autem hæc fieri incipient, sursum respicite, et attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestri.
29 Dixit etiam eis parabolam, *inquiens*, Videte
30 ficum et omnes arbores: quum jam emiserint
folia, *vos eas* adspicientes per vos ipsos agno-
31 scitis jam prope esse æstatem: ita et vos, quum videritis hæc fieri, agnoscite prope esse regnum
32 Dei. Amen dico vobis, Nequaquam præterierit hæc ætas quousque *hæc* omnia facta fuerint.
33 Cœlum et terra præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt.
34 Cavete autem vobis, nequando graventur corda vestra crapula et ebrietate, et solicitudinibus hujus vitæ; et repente vobis superveniat dies
35 ille. Nam ut laqueus invadet in omnes qui ha-
36 bitant in superficie totius terræ. Excubate igitur, omni tempore deprecantes ut digni habeamini qui effugiatis ista omnia quæ futura sunt, et consistatis ante Filium hominis.
37 Docebat autem interdiu in templo: noctu vero exiens, pernoctabat in monte qui vocatur

38 Olearum. Et totus populus diluculo veniebat ad
eum in templo ad eum audiendum.
22 APPROPINQUABAT autem festum azymo-
2 rum, quod dicitur Pascha. Et quærebant pri-
marii sacerdotes et scribæ quomodo eum interi-
merent: metuebant enim plebem.
3 Introiit autem Satanas in Judam cognomina-
tum Iscarioten, qui erat e numero *illorum*
4 duodecim. Abiens igitur collocutus est cum
primariis sacerdotibus ac præfectis *templo*, quo-
5 modo ipsis eum proderet. Qui gavisi sunt; et
6 pacti sunt *se* daturos ei pecuniam. *Ipse* vero
spopondit; quærebatque opportunitatem eum
ipsis prodendi absque turba.
7 VENIT autem dies azymorum, quo oporte-
8 bat mactari pascha. Misit igitur Petrum et Joan-
nem, dicens, Profecti parate nobis pascha, ut
edamus.
9 Ipsi vero dixerunt ei, Ubi vis paremus *illud?*
10 At ille dixit eis, Ecce, postquam introieritis
in urbem, occurret vobis quidam aquæ ampho-
ram portans; sequimini eum domum illam in
11 quam ingredietur. Et dicite patrifamilias illius
domus, Dicit tibi Magister, Ubi est diversorium
12 ubi pascha cum discipulis meis edam? Tunc
ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum:
illic parate *pascha*.
13 Profecti igitur invenerunt omnia prout dixerat
eis; et paraverunt pascha.
14 QUUM autem adesset *constitutum* illud tempus,
15 accubuit, et duodecim apostoli cum eo. Et
dixit eis, Desiderio desideravi hoc pascha edere
16 vobiscum, antequam ego patiar. Dico enim vo-
bis me non amplius esurum esse ex eo, usquequo
17 completum fuerit in regno Dei. Et accepto po-
culo, quum gratias egisset, dixit, Accipite hoc,

18 et partímini vobis ipsis. Dico enim vobis me
non bibiturum ex fructu vitis, usquequo regnum
Dei venerit.
19 Et acceptum panem, quum gratias egisset,
fregit; et dedit eis, dicens, Hoc est corpus
meum quod pro vobis datur: hoc facite ad mei
20 commemorationem. Itidem etiam *dedit eis* po-
culum, postquam cœnasset, dicens, Hoc poculum
est novum illud pactum per sanguinem meum,
qui pro vobis effunditur.
21 Ceterum ecce, manus ejus qui me prodit, me-
22 cum *est* in mensa. Et Filius quidem hominis,
prout definitum est, abit: veruntamen væ homini
illi per quem proditur!
23 Tunc ipsi cœperunt mutuo quærere inter se *de*
hac re, ecquis nempe ex ipsis esset hoc facturus.
24 Orta est autem etiam de hoc contentio inter
eos, quis eorum videretur esse maximus.
25 Ipse vero dixit eis, Reges gentium dominan-
tur eis, et qui jus habent in eas, benefici vo-
26 cantur. Vos autem non ita *estote:* sed qui
maximus est inter vos, esto sicut qui minimus
27 est; et qui præit sicut qui ministrat. Nam uter
major est, qui accumbit, an qui ministrat? nonne
qui accumbit? At ego sum inter vos ut qui
28 ministrat. Vos autem ii estis qui permansistis
29 mecum in tentationibus meis. Ego vero paciscor
vobis, prout pactus est mihi Pater meus, regnum,
30 ut edatis et bibatis in mensa mea in regno meo,
et sedeatis super thronos, judicium ferentes de
duodecim tribubus Israelis.
31 Dixit etiam Dominus, Simon, Simon, ecce,
Satanas appetiit vos, quos ventilaret sicut triti-
32 cum: sed ego deprecatus sum pro te, ne deficiat
fides tua: tu igitur aliquando, quum te conver-
teris, stabili fratres tuos.

33 Ipse vero dixit ei, Domine, tecum paratus
sum et in carcerem et ad mortem proficisci.
34 At ille dixit ei, Dico tibi, Petre, nequaquam
emittet vocem hodie gallus, priusquam ter neges
quod tu me noveris.
35 Dixit etiam eis, Quando misi vos absque cru-
mena et pera et soleis, num quid defuit vobis?
36 Ipsi vero dixerunt, Nihil. Dixit ergo eis, At
nunc, qui crumenam habet, tollat *eam*, similiter
et peram: et qui non habet, vendat pallium
37 suum, et emat gladium. Dico enim vobis, adhuc
oportere scriptum illud in me perfici; istud, *in-
quam*, Et cum sceleratis numeratus est
(Es. 53, 12): nam ea quæ *scripta sunt* de me,
finem habent.
38 At illi dixerunt, Domine, ecce duo gladii hic.
Ipse vero dixit eis, Satis est.
39 ET egressus, profectus est ex more in montem
Olearum: secuti sunt autem eum etiam discipuli
40 ejus. Quum vero pervenisset ad eum locum,
dixit eis, Orate ne introeatis in tentationem.
41 Tum ipse abscessit ab eis quasi ad jactum
42 lapidis, positisque genibus oravit, dicens, Pater,
si velles transferre poculum hoc a me: verun-
43 tamen non mea voluntas, sed tua fiat. Conspe-
ctus est autem ei angelus e cœlo corroborans
44 eum. Et *ipse* constitutus in angore, intentius
orabat. Erat autem sudor ejus quasi grumi san-
45 guinis descendentes in terram. Et quum sur-
rexisset ab oratione, venissetque ad discipulos
46 suos, invenit eos dormientes præ tristitia; et
dixit eis, Quid dormitis? surgite, et orate, ne
introeatis in tentationem.
47 Adhuc autem eo loquente, ecce turba, et is qui
dicebatur Judas, unus ex illis duodecim, præibat
eis, et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.

48 Jesus autem dixit ei, Juda, osculo Filium illum
hominis prodis?
49 Videntes autem ii qui circa ipsum *erant* quod
futurum erat, dixerunt ei, Domine, percutiemusne
50 gladio? Et quidam ex ipsis percussit servum
pontificis maximi, et abstulit aurem eju dextram.
51 Respondens autem Jesus dixit, Sinite huc usque.
Et tacta illius auricula, sanavit eum.
52 Dixit autem Jesus iis qui adversus ipsum ve-
nerant, *nempe* primariis sacerdotibus, et præ-
fectis templo, et senioribus, *Siccine* ut adversus
53 latronem exiistis cum gladiis ac fustibus? Quum
quotidie vobiscum essem in templo, non exten-
distis manus in me: sed hoc est tempus illud
vestrum et licentia tenebrarum.
54 PREHENSUM autem eum abduxerunt, et
introduxerunt domum pontificis maximi.
55 Petrus vero sequebatur e longinquo. 55 Quum-
que accendissent ignem in medio aulæ, atque una
56 consedissent, sedit et Petrus inter eos. Quum
autem eum vidisset ancilla quædam sedentem ad
ignem, intentis in eum oculis, dixit, Et iste cum
57 eo erat. Ipse vero abnegavit eum, dicens, Mu-
58 lier, non novi eum. Et paulo post alius videns
eum, dixit, Et tu ex ipsis es. Petrus vero ait,
59 Heus tu, non sum. Et interposita quasi hora
una, alius quidam *id* asseverabat, dicens, Vere
60 et iste cum illo erat: etenim Galilæus est. Ait
autem Petrus, Heus tu, nescio quid dicas. Et
illico, adhuc ipso loquente, vocem emisit gallus.
61 Tum conversus Dominus intuitus est Petrum: et
recordatus est Petrus sermonis Domini, quomodo
nimirum dixerat ipsi, Priusquam gallus vocem
62 emiserit, ter me abnegabis. Et egressus foras
Petrus flevit amare.
63 Ii vero qui una tenebant Jesum, illudebant ei,

64 cædentes *eum:* et eo obvelato, cædebant faciem
ejus, et interrogabant eum, dicentes, Vaticinare
65 quis sit qui te percussit. Et alia multa convi-
ciantes dicebant in eum.
66 ET ut ortus est dies, congregatum fuit presby-
terium populi, et primarii sacerdotes, et scribæ,
67 et adduxerunt eum in suum consessum, dicentes,
Num tu es ille Christus? dic nobis.
Dixit autem eis, Si vobis dixero, nequaquam
68 credetis: quod si vos etiam interrogavero, ne-
quaquam respondebitis mihi, neque *me* absolve-
69 tis. Ab hoc tempore erit Filius hominis sedens
ad dextram potentiæ Dei.
70 Dixerunt autem omnes, Tu ergo es Filius ille
Dei?
Ipse vero dixit eis, Vos dicitis: nam *is* ego
sum.
71 At illi dixerunt, Quid amplius egemus testi-
monio? Ipsi enim audivimus ex ore ipsius.
23 TUM surgens universa multitudo eorum, duxit
2 eum ad Pilatum. Cœperunt autem eum accusare,
dicentes, Comperimus istum pervertere gentem,
et vetare tributa dare Cæsari, dicendo se Chri-
3 stum, *id est,* regem, esse. Pilatus autem inter-
rogavit eum, dicens, Tu*ne* es rex ille Judæ-
orum? Ipse vero respondens ei dixit, Tu dicis.
4 Ait vero Pilatus ad primarios sacerdotes et
turbam, Nullam invenio noxam in hoc homine.
5 At illi invalescebant, dicentes, Concitat populum,
docens per universam Judæam, exorsus a Gali-
læa huc usque.
6 Pilatus vero, audita Galilæa, interrogavit num
7 homo iste Galilæus esset. Et quum cognovisset
eum ad Herodis potestatem pertinere, remisit
eum ad Herodem, qui et ipse Hierosolymis erat
per eos dies.

8 Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde: nam a non parvo *tempore* cupiebat eum videre, eo quod audivisset multa de eo; et speraret se
9 signum aliquod visurum ab eo fieri. Interrogavit autem eum non paucis verbis; sed ipse nihil ei
10 respondit. Adstabant autem primarii sacerdotes et scribæ, magna contentione eum accusantes.
11 Herodes autem, cum militibus suis, quum eum pro nihilo habuisset, et illusisset *ei*, amictum
12 veste splendida remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici inter sese Pilatus et Herodes eo ipso die: nam antea inimici erant inter sese.
13 Pilatus vero, convocatis primariis sacerdotibus,
14 et primoribus, ac populo, dixit eis, Obtulistis mihi hunc hominem, tanquam avertentem populum: et ecce, ego in vestri conspectu quæstione habita, nullam noxam inveni in homine isto, ex
15 iis de quibus accusatis eum. Sed ne Herodes quidem; nam remisi vos ad illum; et ecce, nihil
16 dignum morte factum est ab eo. Castigatum
17 ergo eum dimittam. Necesse vero habebat eis
18 dimittere singulis festis unum *quempiam*. Exclamavit autem simul universa turba, dicens,
19 Tolle istum, dimitte vero nobis Barabbam: qui erat propter seditionem quandam, et cædem factam in urbe, conjectus in carcerem.
20 Rursus ergo Pilatus allocutus est *eos*, volens
21 dimittere Jesum. Ipsi vero reclamabant, dicentes, Crucifige, crucifige eum.
22 Ille autem tertio dixit eis, Quid enim iste mali fecit? nullam noxam capitalem inveni in
23 eo: castigatum ergo eum dimittam. At illi instabant vocibus magnis, petentes ut is crucifigeretur.
24 Et invalescebant voces eorum ac primariorum sacerdotum. Tum Pilatus secundum eos judica-

25 vit, ut fieret quod ipsi petebant. Dimisit autem
eis illum qui propter seditionem et cædem con-
jectus fuerat in carcerem, quem petierant: Jesum
vero tradidit illi eorum libidini.
26 Quum igitur abducerent eum, prehenso Simone
quodam Cyrenæo, qui veniebat rure, imposuerunt
ei crucem ferendam pone Jesum.
27 Sequebatur autem eum magna multitudo po-
puli, et mulierum, quæ et plangebant et lamen-
28 tabantur eum. Conversus autem ad eas Jesus,
dixit, Filiæ Hierosolymæ, ne flete de me; verum
29 de vobisipsis flete, et de liberis vestris: nam
ecce, venient dies quibus dicent, Beatæ steriles,
et uteri qui non genuerunt, et ubera quæ non
30 lactaverunt. Tum incipient dicere montibus, Ca-
31 dite in nos; et collibus, Operite nos. Nam si
in virente ligno ista faciunt, in arido quid fiet?
32 Ducebantur autem etiam alii duo, *iique* facino-
rosi, cum eo, interimendi.
33 Quum igitur venissent in locum qui vocatur
Calvaria, illic crucifixerunt eum, et illos malefi-
cos; unum ad dextram, alterum ad sinistram.
34 Jesus autem dicebat, Pater, remitte *hoc* ipsis;
nesciunt enim quid faciunt.
Partientes vero vestimenta ejus, jecerunt sor-
35 tem. Et stabat populus spectans: sannis autem
excipiebant eum etiam primores cum eis, dicen-
tes, Alios servavit; servet seipsum, si hic est
36 ille Christus electus *ille* Dei. Illudebant autem
etiam ei milites, accedentes, et acetum ei offe-
37 rentes, dicentesque, Si tu es rex ille Judæorum,
serva temetipsum.
38 Erat autem etiam inscriptio scripta supra eum
literis Græcis, et Romanis, et Hebraicis, HIC
EST REX ILLE JUDÆORUM.
39 Unus autem ex illis suspensis maleficis con-

viciabatur ei, dicens, Si tu es Christus ille, serva teipsum et nos.

40 Respondens autem alter objurgavit eum, dicens, Ne Deum quidem tu times, quum in ea-
41 dem sis damnatione? Et nos quidem juste: (nam digna factis recipimus:) iste vero nihil indecens fecit.

42 Dixitque Jesu, Domine, memento mei, quum veneris in regnum tuum.

43 Tum dixit ei Jesus, Amen, dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso.

44 ERAT autem quasi hora sexta, et tenebræ factæ sunt in tota regione usque ad horam nonam.
45 Et obtenebratus est sol, et aulæum templi fissum
46 est medium. Quumque clamasset voce magna Jesus, ait, Pater, in manus tuas depono spiritum meum. Et quum hæc dixisset, exspiravit.

47 Quum vidisset autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, Vere hic homo justus erat.

48 Et omnis turba quæ simul ad hoc spectaculum accesserat, spectans quæ facta fuerant, cædens
49 pectora sua revertebatur. Stabant autem omnes noti ejus procul, et mulieres quæ erant eum una secutæ a Galilæa, videntes ista.

50 TUM ecce, quidam nomine Josephus, senator,
51 vir bonus ac justus, qui non assensus fuerat consilio ac facto eorum, ortus Arimathæa, civitate Judæorum: qui et ipse exspectabat regnum Dei:
52 hic, *inquam*, adiens Pilatum, petiit corpus Jesu.
53 Et detractum illud involvit sindone, posuitque illud in monumento quod erat in saxo incisum, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54 Porro dies erat parasceves, et sabbatum succedebat.

55 Subsecutæ etiam mulieres quæ cum eo venerant

ex Galilæa, spectarunt monumentum, et quomodo
56 positum esset corpus ejus. Reversæ vero para-
verunt aromata et unguenta; ac sabbato quidem
quieverunt, secundum præceptum.
24 PRIMO autem *die* hebdomadis, profundo di-
luculo iverunt ad monumentum, ferentes quæ
2 paraverant aromata, et nonnullæ cum ipsis. In-
venerunt autem saxum avolutum a monumento:
3 et ingressæ, non invenerunt corpus Domini Jesu.
4 Et factum est, ut dum in ea re hæsitarent,
tum ecce, duo viri supervenerint eis, induti ve-
5 stibus fulgurantibus: quum autem expavefactæ
inclinarent faciem in terram, dixerunt eis, Quid
6 inter mortuos quæritis eum qui vivit? Non est
hic, sed suscitatus est: mementote ut locutus sit
7 vobis, quum adhuc in Galilæa esset, dicens,
Oportet Filium hominis tradi in manus hominum
peccatorum, et crucifigi: et die tertio resurgere.
8 Recordatæ sunt igitur verborum illius. 9 Et
reversæ a monumento renunciaverunt hæc omnia
10 illis undecim, et reliquis omnibus. Erant autem
Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi
mater, et reliquæ cum ipsis, quæ hæc dicebant
11 apostolis. Sed visa sunt apud eos quasi delira-
mentum verba ipsarum; neque crediderunt eis.
12 Petrus autem surgens cucurrit ad monumen-
tum: et quum se inclinasset vidit lintea sola *illic*
jacentia; abiitque, apud semetipsum mirans factum.
13 ET ecce, duo ex iis ibant eo ipso die in vi-
cum distantem stadiis sexaginta Hierosolymis,
14 cui *vico* nomen *est* Emmaus. Et colloquebantur
inter se de istis omnibus quæ evenerant.
15 Et factum est, ut dum colloquerentur, et *se*
mutuo rogitarent, ipse Jesus accederet, et una
16 iter faceret cum ipsis. Oculi autem eorum re-
17 tinebantur, ne ipsum agnoscerent. Dixit autem

eis, Qui sunt hi sermones quos confertis inter
vos ambulantes? et *quid* estis tetrico vultu?
18 Respondens autem alter, cui nomen Cleopas,
dixit ei, Tu solus commoraris Hierosolymis, et
19 non nosti quæ in ea facta sunt his diebus? Ipse
vero dixit eis, Quænam? At illi dixerunt ei,
Quæ *facta sunt* Jesu Nazaræo, qui fuit pro-
pheta, potens reipsa et verbis, coram Deo et
20 toto populo: quomodo eum tradiderunt principes
sacerdotum et primores nostri, ut morte damna-
21 retur, et crucifixerunt eum. Nos autem spera-
bamus illum esse qui redempturus esset Israelem:
atqui præter hæc omnia, tertium hunc diem agit
22 hodie ex quo hæc facta sunt. Sed et mulieres
quædam ex nobis perculerunt nos, quæ diluculo
23 venerunt ad monumentum: et non invento ejus
corpore venerunt, dicentes se etiam apparitionem
24 angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et
abierunt quidam eorum qui erant nobiscum ad
monumentum, et ita invenerunt prout mulieres
dixerant; ipsum vero non viderunt.
25 Tum ipse dixit eis, O amentes et tardi corde
ad credendum omnibus quæ locuti sunt prophetæ!
26 Nonne hæc oportuit pati Christum, et introire
27 in gloriam suam? Et exorsus a Mose et omni-
bus prophetis, interpretabatur illis in omnibus
scripturis quæ de se *scripta erant*.
28 Appropinquarunt igitur vico, in quem profici-
29 scebantur; et ipse simulabat se longius ire. Sed
ipsi adegerunt eum, dicentes, Mane nobiscum,
quoniam advesperascit, et inclinavit dies. In-
gressus est igitur, ut maneret cum eis.
30 Et factum est ut quum discubuisset cum eis,
sumpto pane, benediceret, et fractum daret eis.
31 Adaperti sunt autem oculi eorum, et agnoverunt
eum; sed ipse ablatus est ex eorum conspectu.

32 Tum alter ad alterum dixerunt, Nonne cor
nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis
in via, et dum adaperiret nobis scripturas?
33 Et surgentes eo ipso momento, reversi sunt
Hierosolymam, et invenerunt congregatos illos un-
34 decim, et eos qui cum ipsis erant: *et* qui dicebant,
Suscitatus est Dominus vere, et conspectus Simoni.
35 Tum ipsi exposuerunt *eis* quæ *gesta erant*
in via, et ut fuerat agnitus ab ipsis in fractione
panis.
36 Hæc autem ipsis loquentibus, stetit ipse Jesus
37 in medio eorum, et dixit eis, Pax vobis. Con-
sternati vero et expavefacti putabant se spiritum
conspicere.
38 Tum dixit eis, Quid turbati estis, et quare
39 disceptationes subeunt corda vestra? Videte
manus meas et pedes meos; nam ego ipse sum:
contrectate me, et videte: nam spiritus carnem et
40 ossa non habet, sicut me conspicitis habere. Et
quum hoc dixisset, ostendit eis manus ac pedes.
41 Adhuc autem ipsis non credentibus præ gau-
dio, et mirantibus, dixit eis, Habetis hic escu-
42 lentum aliquid? Tum ipsi dederunt ei partem
43 piscis assi, et aliquid ex favo apiario: quæ *ille*
accepit, et edit in eorum conspectu.
44 Dixitque eis, Hi sunt sermones quos locutus
sum vobis, quum adhuc essem vobiscum, opor-
tere impleri omnia quæ scripta sunt in lege
Mosis, et prophetis, et psalmis, de me.
45 Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent
46 scripturas: et dixit eis, Ita scriptum est, et ita
oportuit Christum pati, et resurgere ex mortuis
47 tertio die: et prædicari ejus nomine resipiscen-
tiam ac remissionem peccatorum apud omnes
48 gentes, incipiendo ab Hierosolymis. Vos autem
49 estis horum testes. Et ecce, ego mittam pro-

missum Patris mei in vos: vos autem residete Hierosolymis usquequo induamini virtute ex alto.
50 Eduxit autem eos foras ad Bethaniam usque: et, sublatis manibus suis, benedixit eis.
51 Et factum est, ut dum ipse benediceret eis, disjunctus ab eis sursum ferretur in cœlum.
52 Ipsi autem adorato eo reversi sunt Hierosoly-
53 mam cum gaudio magno. Erantque omni *tempore* in templo, laudantes et benedicentes Deo. Amen.

EVANGELIUM
SECUNDUM
JOANNEM.

1 IN principio erat Sermo ille, et Sermo ille
2 erat apud Deum, eratque ille Sermo Deus. Hic
3 *Sermo* erat in principio apud Deum. Omnia per hunc *Sermonem* facta sunt, et absque eo
4 factum est nihil quod factum sit. In ipso vita
5 erat, et vita erat Lux illa hominum. Et Lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt.
6 Exstitit homo missus a Deo, cui nomen Jo-
7 annes. Is venit ad testimonium, *id est*, ut testaretur de illa Luce, ut omnes per eum cre-
8 derent. Non erat ille Lux illa, sed *missus fuit* ut testaretur de illa Luce.
9 *Hic* erat Lux illa vera quæ illuminat omnem
10 hominem venientem in mundum. In mundo erat, et mundus per eum factus est; sed mundus eum
11 non agnovit. Ad sua venit, et sui eum non ex-
12 ceperunt. Quotquot autem eum exceperunt, dedit eis *hoc* jus, ut filii Dei sint facti, *nempe* iis qui

13 credunt in nomen ejus: qui non ex sanguine,
neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri,
sed ex Deo geniti sunt.
14 Et Sermo ille factus est caro, et commoratus
est inter nos, (et spectavimus gloriam ejus, glo-
riam, *inquam*, ut unigeniti, *egressi* a Patre,)
plenus gratiæ ac veritatis.
15 Joannes testatus est de eo, et clamavit, dicens,
Hic est de quo dicebam, *Is* qui pone me venit
antepositus est mihi; quia prior me erat.
16 Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, et
17 gratiam pro gratia. Nam lex illa per Mosen
data est; gratia et veritas per Jesum Christum
18 præstita est. Deum nemo vidit unquam: unige-
nitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille *in*
quam nobis exposuit.
19 HOC etiam est testimonium Joannis, quando
miserunt Judæi Hierosolymis sacerdotes et levi-
tas, ut interrogarent eum, Quisnam ipse esset.
20 Et professus est, neque negavit: professus est,
21 *inquam*, se non esse Christum illum. Tunc
interrogaverunt eum, Quid ergo *es?* Tu*ne* es
Elias? *Ipse vero* dixit, Non sum. *Et illi*, Es
tu propheta ille? Qui respondit, Non.
22 Dixerunt ergo ei, Quis es? ut responsum demus
iis qui miserunt nos: quid dicis de teipso?
23 Inquit, Ego *sum* vox vociferantis in de-
serto, Complanate viam Domini, prout
dixit Esaias propheta (Es. 40, 3).
24 Qui vero missi fuerant erant ex Pharisæis.
25 Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei, Cur
ergo baptizas, si tu non es Christus illi, neque
Elias, neque propheta ille?
26 Respondit ei Joannes, dicens, Ego baptizo
aqua; sed in medio vestrum stat quem vos non
27 nostis; hic ille est qui pone me venit, qui mihi

antepositus est: cujus solearum ego non sum
dignus qui solvam corrigiam.
28 Hæc Bethabaræ facta sunt secus Jordanem,
ubi Joannes baptizabat.
29 Postero die videt Joannes Jesum venientem
ad se, et ait, Ecce Agnus ille Dei qui tollit
30 peccatum mundi. Hic est de quo dicebam,
Pone me venit vir qui antepositus est mihi, quia
31 prior me erat. At ego non noveram eum: sed
ut manifestus fiat Israeli, propterea veni ego
baptizans aqua.
32 Tum, *inquam*, testatus est Joannes, dicens,
Conspexi Spiritum descendentem quasi columbam
33 e cœlo, *qui* etiam mansit super eum. Et ego
non noveram eum; sed qui misit me ut baptizarem aqua, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritum descendentem, ac manentem super
34 eum, hic est qui baptizat Spiritu Sancto. Ego
igitur vidi, et testor hunc esse Filium illum Dei.
35 Postero die iterum stabat Joannes, et ex
36 discipulis ejus duo: et intuitus Jesum ambulantem, dixit, Ecce Agnus ille Dei.
37 Audierunt autem eum duo illi discipuli lo-
38 quentem, et secuti sunt Jesum. Conversus vero
Jesus, et conspicatus eos sequentes *se*, dicit eis,
39 Quid quæritis? Illi vero dixerunt ei, Rabbi
(quod dicitur, si interpreteris, Magister,) ubi ha-
40 bitas? Dicit eis, Venite et videte. Venerunt
videruntque ubi habitabat: et apud eum manserunt diem illum: hora enim erat quasi decima.
41 Erat Andreas, frater Simonis Petri, unus ex
duobus qui audierant *illa* ex Joanne, et secuti
42 fuerant eum. Invenit hic prior fratrem suum
Simonem, et dixit ei, Invenimus Messiam, quod
43 est, si interpreteris, Christus. Et adduxit eum
ad Jesum.

Intuitus autem eum Jesus dixit, Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod est, si interpreteris, Petra.

44 POSTERO die voluit Jesus abire in Galilæam: invenit autem Philippum, et dixit ei, Sequere me.

45 Erat vero Philippus ex Bethsaida, urbe An-
46 dreæ et Petri. Invenit Philippus Nathanaelem, et dicit ei, Invenimus *illum* de quo scripsit Moses in lege, et prophetæ, *nempe* Jesum filium illum Josephi, illum ex Nazaretha.

47 Tum dixit ei Nathanael, Ex Nazaretha potest aliquid boni esse?

Dicit ei Philippus, Veni et vide.

48 Vidit Jesus Nathanaelem venientem ad se, et dixit de eo, Ecce vere Israelita in quo dolus non est.

49 Dicit ei Nathanael, Unde me nosti?

Respondit Jesus, et dixit ei, Priusquam te Philippus vocaret, quum esses subter ficum, videbam te.

50 Respondit Nathanael, et dixit ei, Rabbi, tu es ille Filius Dei, tu es ille Rex Israelis.

51 Respondit Jesus, et dixit ei, Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis? majora istis videbis.

52 Præterea dixit ei, Amen, amen, dico vobis, Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes ac descendentes super Filium hominis.

2 DIE autem tertio nuptiæ factæ sunt in Cana
2 *oppido* Galilææ: eratque mater Jesu illic. Vocatus est autem etiam Jesus et discipuli ejus ad nuptias illas.

3 Et quum defecisset vinum, mater Jesu dixit ei, Vinum non habent.

4 Dicit ei Jesus, Quid mihi tecum *rei est*, mulier? nondum venit hora illa mea.

5 Dicit ejus mater ministris, Quodcunque dixerit
vobis facite.
6 Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ
secundum purificationem Judæorum, capientes
7 singulæ amphoras binas aut ternas. Dicit eis
Jesus, Implete has hydrias aqua. Impleverunt
8 eas igitur usque ad summum. Tunc dicit eis,
Haurite nunc, et offerte architriclino. Obtulerunt
igitur.
9 Ut vero gustavit architriclinus aquam illam
quæ facta fuerat vinum, (nesciebat autem unde
esset; sed ministri sciebant qui hauserant aquam,)
10 vocat sponsum architriclinus, et dicit ei, Omnes
primo loco bonum vinum apponunt; et postquam
convivæ affatim biberunt, tunc id quod minus
bonum est: tu *vero* servasti bonum vinum huc
usque.
11 Hoc initium signorum fecit Jesus Canæ, *op-
pido* Galilææ, et manifestam fecit gloriam suam:
et crediderunt in eum discipuli ejus.
12 Postea descendit Capernaum ipse, et mater,
et fratres, et discipuli ejus: manseruntque illic
non multos dies.
13 NAM prope erat Pascha Judæorum: ascendit
14 igitur Jesus Hierosolymam. Et invenit in templo
venditores boum, et ovium, et columbarum, et
15 numularios sedentes. Factoque flagello e funi-
culis, omnes ejecit e templo, et oves et boves;
et argentariorum numulos effudit, mensasque sub-
16 vertit: et columbarum venditoribus dixit, Tollite
hinc ista: ne facite domum Patris mei domum
mercatus.
17 Recordati sunt autem discipuli ejus scriptum esse,
Zelus domus tuæ devoravit me (Ps. 69, 9).
18 Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei, Quod
signum ostendis nobis quod ista facias?

19 Respondit Jesus, et dixit eis, Destruite templum hoc, et intra triduum erigam illud.
20 Dixerunt ergo Judæi, Quadraginta et sex annis ædificatum est templum istud, et tu intra triduum illud eriges?
21 At ille loquebatur de templo corporis sui.
22 Postquam ergo suscitatus fuit ex mortuis, recordati sunt ejus discipuli quod hoc sibi dixisset, et crediderunt scripturæ, et sermoni quem Jesus dixerat.
23 Quum autem esset Hierosolymis in Pascha, in festo, multi crediderunt in nomen ejus, spectan-
24 tes signa quæ edebat. Ipse autem Jesus non credebat eis semetipsum, eo quod nosset omnes:
25 nec opus esset ut quisquam ei testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.
3 Erat autem quidam ex Pharisæis, cui nomen
2 *erat* Nicodemo, ex primoribus Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei, Rabbi, scimus te a Deo venisse magistrum: nemo enim potest hæc signa edere quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo.
3 Respondit Jesus, et dixit ei, Amen, amen, dico tibi, Nisi quis genitus sit iterum, non potest videre regnum Dei.
4 Dicit ei Nicodemus, Quomodo potest quispiam nasci qui sit senex? num potest in uterum matris suæ secundo introire, et nasci?
5 Respondit Jesus, Amen, amen, dico tibi, Nisi quis fuerit genitus ex aqua et Spiritu, non potest
6 introire in regnum Dei. Quod genitum est ex carne, caro est: et quod genitum est ex Spiritu,
7 spiritus est. Ne mireris me dixisse tibi, Oportet
8 vos iterum gigni. Ventus quo vult spirat, et sonum ejus audis, sed nescis unde veniat, et quo vadat; ita est quisquis genitus est e Spiritu.

9 Respondit Nicodemus, et dixit ei, Quomodo
possunt hæc fieri?
10 Respondit Jesus, et dixit ei, Tu es magister
11 ille Israelis, et hæc non nosti? Amen, amen,
dico tibi, Quod scimus loquimur, et quod vidi-
mus testamur: sed testimonium nostrum non re-
12 cipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis;
quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis?
13 Nullus enim ascendit in cœlum, nisi qui de-
scendit e cœlo, *nempe* Filius hominis qui est in
14 cœlo. Prout autem Moses extulit serpentem in
15 deserto, ita extolli oportet Filium hominis: ut
quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat
16 vitam æternam. Ita enim Deus dilexit mundum,
ut Filium suum unigenitum illum dederit, ut
quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat
17 vitam æternam. Non enim misit Deus Filium
suum in mundum ut damnet mundum, sed ut
18 servetur mundus per eum. Qui credit in eum
non condemnatur: qui vero non credit, jam con-
demnatus est; quia non credidit in nomen uni-
19 geniti Filii Dei. Hæc est autem condemnatio,
quod Lux venit in mundum, sed dilexerunt ho-
mines potius tenebras quam lucem; quia sunt
20 eorum mala opera. Quisquis enim quæ mala
sunt agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne
21 arguantur opera ipsius: qui vero dat operam
veritati, venit ad lucem: ut manifesta fiant opera
ipsius, quod secundum Deum facta fuerint.
22 POSTEA venit Jesus et discipuli ejus in Ju
dææ territorium: et illic commorabatur cum eis,
et baptizabat.
23 Baptizabat autem etiam Joannes in Ænon
prope Salim, quoniam aquæ multæ erant illic
24 et veniebant ac baptizabantur. Nondum enim
conjectus fuerat Joannes in carcerem.

25 Orta est igitur quæstio *quibusdam* ex disci-
26 pulis Joannis cum Judæis de purificatione. Veneruntque ad Joannem, et dixerunt ei, Rabbi, is qui tecum erat apud trajectum Jordanis, cui tu testimonium dedisti, ecce baptizat, et omnes veniunt ad eum.
27 Respondit Joannes, et dixit, Homo non potest recipere quicquam, nisi fuerit ei datum e cœlo.
28 Vos ipsi mihi testes estis me dixisse, non sum ego Christus, sed missus sum *qui apparerem*
29 coram eo. Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi: hoc ergo
30 gaudium meum impletum est. Illum oportet
31 crescere, me vero minui. Qui superne venit, supra omnes est: qui e terra est, terrenus est, et terrena loquitur; qui e cœlo venit, supra
32 omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testa-
33 tur: sed testimonium ejus nemo recipit. Qui recipit ejus testimonium, is obsignavit Deum
34 veracem esse. Nam *is demum*, quem misit Deus, verba Dei loquitur: non enim *huic* ad-
35 metitur Deus Spiritum. Pater diligit Filium,
36 et omnia dedit ei in manum. Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui vero non obedit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

4 UT ergo cognovit Dominus Pharisæos audivisse ipsum plures discipulos facere et baptizare quam
2 Joannem, (quanquam Jesus ipse non baptizabat,
3 sed discipuli ejus,) reliquit Judæam, et abiit
4 rursum in Galilæam. Oportebat autem eum transire per Samariam.
5 Venit ergo in urbem Samariæ quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacobus Josepho
6 filio suo. Erat autem ibi fons Jacobi. Jesus ergo

fatigatus ex itinere, ita sedit ad fontem; hora *enim* erat quasi sexta.

7 Venit mulier Samaritana ut hauriret aquam: 8 dicit ei Jesus, Da mihi potum. Nam discipuli ejus abierant in urbem, ut cibos emerent.

9 Dicit igitur ei mulier illa Samaritana, Quomodo tu, Judæus quum sis, potum a me poscis quæ sum mulier Samaritana? (non enim utuntur Judæi Samaritanis.)

10 Respondit Jesus et dixit ei, Si nosses donum illud Dei, et quis sit ille qui dicit tibi, Da mihi potum, tu petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.

11 Dicit ei mulier, Domine, neque quo haurias habes, et puteus profundus est; unde ergo habes 12 aquam illam vivam? Num tu major es patre nostro Jacobo, qui dedit nobis hunc puteum, ex quo ipse bibit, et filii ejus, et ejus pecora?

13 Respondit Jesus, et dixit ei, Quisquis bibit 14 ex aqua ista, sitiet rursus; quisquis autem biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, nequaquam unquam sitiet; sed aqua illa quam ego ipsi dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

15 Dicit ei mulier, Domine, da mihi aquam istam, 16 ut non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum. Dicit ei Jesus, Vade, voca virum tuum, et veni huc.

17 Respondit mulier, et dixit ei, Non habeo virum. Dicit ei Jesus, Bene dixisti, Non habeo virum: 18 quinque enim viros habuisti; et nunc quem habes, non est tuus vir; hoc vere dixisti.

19 Dicit ei mulier, Domine, conspicor te prophe- 20 tam esse. Patres nostri in hoc monte adoraverunt: et vos dicitis, Hierosolymis esse locum illum ubi oporteat adorare.

21 Dicit ei Jesus, Mulier, crede mihi, venit tem-

pus, quando neque in monte hoc, neque Hiero-
22 solymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod
nescitis: nos adoramus quod scimus: quia salus
23 ex Judæis est. Sed venit tempus et nunc est,
quum veri adoratores adorabunt Patrem spiritu
ac veritate: etenim Pater tales quærit qui ipsum
24 adorent. Deus est Spiritus: et qui adorant eum,
oportet ut spiritu ac veritate adorent.
25 Dicit ei mulier, Scio Messiam venturum (qui
dicitur Christus); quum venerit ille, nobis an-
nunciabit omnia.
26 Dicit ei Jesus, Ego *is* sum, qui loquor tibi.
27 Interea vero venerunt ejus discipuli, et mirati
sunt quod cum muliere loqueretur: nemo tamen
dixit, Quid quæris? aut, Quid loqueris cum ea?
28 Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit
29 in urbem, dixitque ejus loci hominibus, Adeste,
videte hominem qui dixit mihi quæcunque feci:
30 num iste est Christus ille? Exierunt ergo ex
urbe, et venerunt ad eum.
31 Interim autem rogabant eum discipuli, dicen-
32 tes, Rabbi, ede. Ille autem dixit eis, Ego cibum
habeo edendum, quem vos non nostis.
33 Dicebant ergo discipuli alii ad alios, Num
quis attulit ei quod ederet?
34 Dicit eis Jesus, Esca mea est exsequi volun-
tatem ejus qui misit me, et consummare ipsius
35 opus. Nonne vos dicitis, Adhuc quadrimestre
spatium superest, et messis erit? Ecce, dico
vobis, Attollite oculos vestros, et spectate regi-
36 ones, nam albæ jam sunt ad messem. Ceterum
qui metit, mercedem accipit, et congregat fru-
ctum in vitam æternam: ut et qui seminat, simul
37 gaudeat, et qui metit. Nam in hoc dictum illud
verum est, Alius est qui seminat, et alius qui
38 metit. Ego misi vos ad *id* metendum in quo

vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

39 Ex urbe autem illa multi Samaritanorum crediderunt in eum propter sermonem mulieris illius, testantis *ac dicentis*, Certe dixit mihi omnia quæ
40 feci. Quum ergo venissent ad eum Samaritani, rogarunt eum ut apud ipsos maneret; et mansit ibi duos dies.

41 Ac multo plures crediderunt propter sermonem
42 ipsius. Et illi mulieri dicebant, Non amplius propter tuos sermones credimus: ipsi enim audivimus, et scimus hunc esse vere Servatorem illum mundi, Christum.

43 DUOBUS autem post diebus exiit inde, et
44 abiit in Galilæam. Ipse enim Jesus testatus fuerat, prophetam in sua patria honorem non
45 habere. Quum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, quum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in festo: nam et ipsi venerant ad festum.

46 Venit igitur Jesus rursum Canam, *oppidum* Galilææ, ubi fecerat ex aqua vinum. Erat autem in *urbe* Capernaum regius quidam, cujus filius
47 ægrotabat. Is quum audisset Jesum venisse ex Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et eum rogavit ut descenderet ac sanaret suum filium: erat enim moribundus.

48 Dixit ergo Jesus ei, Nisi signa et prodigia videritis, non credetis.

49 Dicit ei regius ille, Domine, descende priusquam moriatur puerulus meus.

50 Dicit ei Jesus, Vade, filius tuus vivit.

Credidit homo sermoni quem dixerat ei Jesus;
51 et profectus est. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et renunciaverunt, dicentes, Filius
52 tuus vivit. Percontatus est ergo ab eis horam

qua melius habuerat: et dixerunt ei, Heri *circi-*
53 *ter* horam septimam dimisit eum febris. Agnovit ergo pater *id factum esse* illa ipsa hora, qua dixerat ei Jesus, Filius tuus vivit: et credidit ipse, ac domus ejus tota.

54 Hoc rursus, *id est*, secundum signum edidit Jesus, quum venisset ex Judæa in Galilæam.

5 1 POST hæc erat festum Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam.

2 Est autem Hierosolymis ad *portam* pecuariam piscina, quæ nominatur Hebraice Bethesda, quin-
3 que porticus habens. In his autem jacebat multitudo magna ægrotantium, cæcorum, claudorum,
4 aridorum, exspectantium aquæ motum. Angelus enim descendebat præstituto tempore in piscinam, et turbabat aquam: itaque qui primus ingressus erat post aquæ turbationem, sanus fiebat a quocunque detineretur morbo.

5 Erat autem quidam illic tricesimum octavum
6 annum agens in morbo. Hunc quum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset eum jam multum temporis egisse *in morbo*, dicit ei, Cupis sanus fieri?

7 Respondit ei ægrotus, Domine, non habeo qui, quum turbata fuerit aqua, immittat me in piscinam: sed interim dum ego venio, alius ante me descendit.

8 Dicit ei Jesus, Surge, attolle grabatum tuum,
9 et ambula. Et statim sanus factus est homo ille: et sustulit grabatum suum, et ambulabat.

10 Erat autem sabbatum die illo. [10] Judæi ergo dicebant ei qui curatus fuerat, Sabbatum est, non licet tibi attollere grabatum.

11 Respondit eis, Qui me sanum fecit, is mihi dixit, Attolle grabatum tuum, et ambula.

12 Interrogaverunt eum ergo, Quis ille est qui dixit tibi, Attolle grabatum tuum, et ambula?

13 Is autem qui sanatus fuerat nesciebat quis esset: Jesus enim emerserat e turba quæ erat in illo loco.
14 Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit ei, Ecce, sanus factus es: ne pecca amplius, ut nequid deterius tibi fiat.
15 Abiit homo ille, et nunciavit Judæis Jesum esse a quo sanatus fuerat.
16 Ac propterea persequebantur Judæi Jesum, et studebant eum interimere, quod ista fecisset sabbato.
17 Jesus autem respondet eis, Pater meus usque adhuc operatur, et ego operor.
18 Propterea ergo magis studebant eum Judæi interīmere, quod non solum solvisset sabbatum, sed et Deum dixisset patrem suum, parem se faciens Deo.
19 Respondit ergo Jesus, et dixit eis, Amen, amen, dico vobis, Non potest Filius a semetipso operari, *id est*, nisi viderit Patrem operantem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pa-
20 riter facit. Pater enim amat Filium, et omnia monstrat ei quæ ipse facit: et opera illis majora
21 monstrabit ei, ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius
22 quos vult vivificat. Nec enim Pater judicat
23 quenquam, sed omne judicium dedit Filio: ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem: qui non honorat Filium, non honorat Patrem, ut qui miserit eum.
24 Amen, amen, dico vobis, Qui sermonem meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in condemnationem non veniet, sed
25 transivit a morte in vitam. Amen, amen, dico vobis, Adventat tempus, et nunc est, quum mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit

27 et Filio habere vitam in seipso. Et auctoritatem
ei dedit etiam judicium exercendi, quatenus
28 Filius hominis est. Ne hoc miramini; nam veniet
hora, qua omnes qui in monumentis sunt audient
29 vocem ejus; et prodibunt, qui bona fecerint in
resurrectionem vitæ; qui vero mala egerint, in
resurrectionem condemnationis.
30 Non possum ego a meipso facere quicquam:
prout audio, judico: et judicium meum justum est;
quia non quæro voluntatem meam, sed volun-
tatem ejus qui misit me, *id est*, Patris.
31 Si ego testor de meipso, testimonium meum
32 non est firmum. Alius est qui testatur de me,
et scio idoneum esse testimonium quod testatur
33 de me. Vos misistis ad Joannem, et *is* testi-
34 monium dedit veritati. Ego autem ab homine
testimonium non capto: sed hæc dico ut vos
35 servemini. Ille erat lucerna ardens et lucens:
vos autem voluistis ad momentum exsultare in
36 ejus luce. At ego testimonium habeo majus
testimonio Joannis: opera enim quæ dedit mihi
Pater ut ea consummem ipsa, *inquam*, opera
quæ ego facio, testantur de me, quod Pater mi-
37 serit me. Et qui misit me Pater, ipse testatus
est de me: neque vocem ejus unquam audistis,
38 neque speciem ejus vidistis. Et sermonem ejus
non habetis in vobis manentem; quia quem misit
39 ille, huic vos non creditis. Scrutamini scripturas,
quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam
40 habere: et illæ sunt quæ testantur de me. Sed
non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.
41 Gloriam ab hominibus non capto. 42 Sed vos
43 novi charitatem Dei non habere in vobis. Ego veni
nomine Patris mei, nec recipitis me: si venerit
44 alius nomine suo, illum recipietis. Quomodo vos
potestis credere, quum gloriam alii ab aliis ca-

ptetis, et gloriam illam, quæ a solo Deo profi-
45 ciscitur, non quæratis? Ne putate me accusa-
turum vos apud Patrem: est qui accuset vos,
46 Moses, in quo vos speratis. Si enim crederetis
Mosi, crederetis mihi: nam ille de me scripsit.
47 Quod si scriptis illius non creditis, quomodo
verbis meis credetis?

6 POST hæc abiit Jesus trans mare Galilææ,
2 *quod est* Tiberiadis. Et sequebatur eum turba
multa, quia videbant ejus signa *id est* quæ ede-
3 bat in male valentibus. Subiit vero in montem
4 Jesus, et ibi sedit cum discipulis suis. Prope
autem erat Pascha, festum Judæorum.

5 Quum ergo sustulisset oculos Jesus, et con-
spexisset multam turbam ad se venire, dicit Phi-
6 lippo, Unde ememus panes ut edant isti? (Hoc
autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat
quid esset facturus.)

7 Respondit ei Philippus, Ducentorum denario-
rum panes non suffecerint eis, ut singuli eorum
paululum quiddam accipiant.

8 Dicit ei unus ex discipulis ejus, *nempe* Andreas,
9 frater Simonis Petri, est hic puerulus quidam qui
habet quinque panes hordeaceos et duos pisci-
culos; sed hæc quid sunt inter tam multos?

10 Dixit autem Jesus, Facite ut homines discum-
bant.

Erat autem gramen multum in eo loco. Dis-
cubuerunt ergo viri illi numero quasi quinquies
11 mille. Accepit autem panes illos Jesus, et actis
gratiis distribuit discipulis, discipuli vero accum-
bentibus: similiter etiam ex pisciculis illis quan-
tum volebant.

12 Ut autem expleti sunt, dixit *Jesus* discipulis
suis, Congregate quæ superfuerunt fragmenta, ne
13 quid pereat. Congregarunt ergo, et impleverunt

duodecim cophinos fragmentis ex quinque illis panibus hordeaceis, quæ superfuerant iis qui comederant.

14 Illi ergo, quum vidissent signum quod Jesus ediderat, dicebant, Hic est vere Propheta ille qui venturus erat in mundum.

15 Jesus ergo quum nosset venturos, et se abrepturos ut facerent se regem, secessit rursus in montem ipse solus.

16 Ut autem serum *diei* advenit, descenderunt
17 discipuli ejus ad mare. Et ingressi navigium ibant trans mare Capernaum versus; jam autem
18 erant tenebræ, nec venerat ad eos Jesus. Et mare, vento magno flante, insurgebat.

19 Provecti vero quasi stadia vigintiquinque aut triginta, conspiciunt Jesum ambulantem super mare, et appropinquantem navi; et metuerunt.

20 Ille vero dixit eis, Ego sum, ne metuite.
21 Volente igitur animo receperunt eum in navigium; et statim navigium pervenit ad regionem in quam ibant.

22 Postero die, turba quæ substiterat cis mare, quum vidisset illic non fuisse aliud navigiolum nisi unum illud in quod ingressi fuerant discipuli ejus, et Jesum non introisse cum discipulis suis in navigium, sed solos ejus discipulos ab-
23 iisse: (alia vero navigiola Tiberiade venerunt prope locum illum ubi ederant panem, postea-
24 quam gratias egisset Dominus:) quum igitur, *inquam*, vidisset turba Jesum illic non esse, neque discipulos ejus, ingressi sunt et ipsi in navigia, et venerunt Capernaum, quærentes Jesum.

25 Et eo invento trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando huc pervenisti?

26 Respondit eis Jesus, et dixit, Amen, amen, dico vobis, Quæritis me, non quia vidistis signa,

sed quia edistis panes illos, et saturati estis.
27 Operemini non cibo qui perit, sed cibo illi qui
permanet in vitam æternam, quem Filius homi-
nis dabit vobis: hunc enim Pater obsignavit, *id*
est Deus.
28 Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus ut ope-
remur opera Dei?
29 Respondit Jesus, et dixit eis, Hoc illud est
opus Dei, ut credatis in *eum* quem ille misit.
30 Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu signum edis,
ut videamus et credamus tibi? quid operaris?
31 Patres nostri ederunt illud manna in deserto illo:
sicut scriptum est, Panem cœlestem dedit
eis edendum (Ps. 78, 24).
32 Dixit ergo eis Jesus, Amen, amen, dico vobis,
Nequaquam Moses dedit vobis panem illum cœ-
lestem; sed Pater meus dat vobis panem illum
33 cœlestem verum. Panis enim ille Dei is est qui
de cœlo descendit, et dat vitam mundo.
34 Dixerunt ergo ei, Domine, da nobis semper
panem istum.
35 Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis ille
vitæ; qui venit ad me nequaquam esuriet; et qui
36 credit in me non sitiet unquam. Sed dixi vobis,
37 certe et vidistis me, et non creditis. Quicquid
dat mihi Pater, ad me veniet; et eum qui venit
38 ad me nequaquam ejecerim foras: quia descendi
e cœlo, ut exsequar non voluntatem meam, sed
39 voluntatem ejus qui misit me. Hæc est autem
voluntas ejus qui misit me, *id est*, Patris, ut
ex eo omni quod mihi dederit, non perdam
quidquam, sed suscitem illud ultimo illo die.
40 Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, ut
quisquis conspicit Filium, et credit in eum,
habeat vitam æternam: et suscitem ipsum ego
ultimo illo die.

41 Murmurabant ergo Judæi de eo, quia dixerat,
42 Ego sum panis ille qui e cœlo descendit: et dicebant, Nonne iste est ille Jesus, filius ille Josephi, cujus nos novimus patrem et matrem? quomodo ergo dicit iste, E cœlo descendi?
43 Respondit ergo Jesus, et dixit eis, Ne mur-
44 murate inter vos. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: et ego
45 suscitabo ipsum ultimo illo die. Scriptum est in Prophetis, Et erunt omnes docti a Deo (Es. 54, 13). Quisquis ergo audivit a Patre, et
46 didicit, venit a me. Non quod Patrem viderit quisquam, nisi is qui est a Deo; hic vidit Patrem.
47 Amen, amen, dico vobis, Qui credit in me
48 habet vitam æternam. Ego sum panis ille vitæ.
49 Patres vestri ederunt manna in deserto, et mor-
50 tui sunt. Hic est panis ille qui e cœlo descendit,
51 ut qui edit ex eo non moriatur. Ego sum panis ille vivus, ille qui e cœlo descendi. Siquis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.
52 Pugnabant ergo Judæi alii adversus alios, dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem *suam* dare edendam?
53 Dixit ergo eis Jesus, Amen, amen, dico vobis, Nisi ederitis carnem Filii hominis, et biberitis
54 ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui edit carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; et ego suscitabo ipsum
55 ultimo illo die. Caro enim mea vere est cibus,
56 et sanguis meus vere est potus. Qui edit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet,
57 et ego in eo. Sicut misit me vivens ille Pater, et ego vivo per Patrem: *ita* etiam qui ederit
58 me, vivet ipse quoque per me. Hic est panis

ille qui de cœlo descendit: non prout ederunt patres vestri manna, et mortui sunt: qui ederit hunc panem, vivet in æternum.

59 Hæc dixit in synagoga, quum doceret in Capernaum.

60 Multi ergo ex discipulis ejus *his* auditis dixerunt, Durus est hic sermo: quis potest eum audire?

61 Sciens autem Jesus apud se discipulos suos de hoc murmurare, dixit eis, Hoccine vos offendit?

62 *Quid* si igitur spectaveritis Filium hominis ascen-

63 dentem eo ubi erat prius? Spiritus est id quod vivificat; caro non prodest quicquam: verba quæ

64 ego loquor vobis, spiritus sunt et vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim a principio Jesus quinam essent qui non

65 credebant, et quis eum proditurus esset. Et dicebat, Propterea dixi vobis neminem posse venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

66 Ex eo *tempore* multi discipulorum ejus pedem retulerunt, nec amplius cum eo versabantur.

67 Dixit ergo Jesus duodecim illis, Num et vos

68 vultis abire?

Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad

69 quem abibimus? verba vitæ æternæ habes: et nos credidimus, et novimus te esse Christum illum Filium Dei viventis.

70 Respondit eis Jesus, Nonne ego vos duodecim elegi, et *tamen* unus ex vobis est diabolus?

71 Loquebatur autem de Juda Simonis *filio* Iscariota; futurum enim erat ut hic proderet eum, quum esset unus ex illis duodecim.

7 VERSABATUR autem Jesus post hæc in Galilæa: nolebat enim in Judæa versari, quia studebant eum Judæi interimere.

2 Prope autem erat festum Judæorum Sceno-
3 pegia. Dixerunt igitur ad eum fratres ejus, Di-
gredere hinc, et vade in Judæam, ut tui quoque
4 discipuli spectent opera tua quæ facis. Nemo
enim occulte facit aliquid, et quærit ipse cele-
bris esse: si hæc facis, facito teipsum manife-
5 stum mundo. Nam ne fratres quidam ejus cre-
debant in eum.
6 Dicit ergo eis Jesus, Præstitutum illud tempus
meum nondum adest: præstitutum autem tempus
7 illud vestrum semper est paratum. Non potest
mundus vos odisse: me autem odit, quoniam ego
8 testor de eo, opera ejus mala esse. Vos ascen-
dite ad hoc festum, ego nondum ascendo ad fe-
stum, quia præstitutum illud meum tempus non-
dum impletum est.
9 Hæc autem quum eis dixisset, mansit in Gali-
10 læa. Ut ascenderunt autem fratres ejus, tunc et
ipse ascendit ad festum, non manifeste, sed ve-
lut occulte.
11 Judæi ergo quærebant eum in festo, et dice-
12 bant, Ubi est ille? Et mussitatio multa erat in
turba de eo: alii quidem dicebant, Vir bonus
est; alii vero dicebant, Non, sed turbam seducit.
13 Nullus tamen palam loquebatur de eo, propter
metum Judæorum.
14 Festo autem illo jam medio, ascendit Jesus in
15 templum, ac docebat. Et mirabantur Judæi, di-
centes, Quomodo iste literas novit, quum *eas*
non didicerit?
16 Respondit eis Jesus, et dixit, Mea doctrina
17 non est mea, sed ejus qui misit me. Si quis
voluerit quod ille vult facere, cognoscet de doc-
trina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso lo-
18 quar. Quia a semetipso loquitur, gloriam pro-
priam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui

misit ipsum, hic verax est, et injustitia in eo non
19 est. Nonne Moses dedit vobis legem, et *tamen*
nemo ex vobis præstat legem? quid me studetis
interimere?
20 Respondit turba et dixit, Dæmonium habes:
quis te studet interimere?
21 Respondit Jesus et dixit eis, Unum opus feci,
22 et omnes miramini. Attamen Moses dedit vobis
circumcisionem (non quod ex Mose sit, sed *quia*
ex patribus), et sabbato circumciditis hominem.
23 Si circumcisionem accipit homo sabbato, ut ne
solvatur lex Mosis, mihi indignamini quod totum
24 hominem sanum fecerim sabbato? Ne judicate
secundum vultum, sed justum illud judicium
ferte.
25 Dicebat ergo quidam ex Hierosolymitanis,
26 Nonne hic est quem student interimere? At
ecce, palam loquitur, et nihil ei dicunt: numnam
vere cognoverunt primores hunc vere esse Chri-
27 stum illum? Sed novimus unde hic sit: quum
autem venerit ille Christus, nemo cogniturus est
unde sit.
28 Clamabat ergo Jesus in templo, docens ac di-
cens, Et me nostis, et unde sim nostis: et a
meipso non veni, sed est verax qui misit me,
29 quem vos non nostis. Ego vero novi eum, quia
ab ipso sum, et ille me misit.
30 Studebant ergo eum prehendere: sed nemo
injecit in eum manum, quia nondum venerat
31 hora illa ipsius. Multi vero ex turba credide-
runt in eum, et dicebant, Christus, quum vene-
rit, num signa plura edet iis quæ iste edidit?
32 Audierunt Pharisæi turbam ista mussitantem
de eo, et miserunt Pharisæi ac primarii sacer-
dotes ministros ut eum prehenderent.
33 Dixit ergo eis Jesus, Adhuc paulisper ero

vobiscum: deinde abibo ad eum qui me misit.
34 Quæretis me, nec invenietis: et ubi ego ero, eo
vos non potestis venire.
35 Dixerunt ergo Judæi inter sese, Quonam est
iste profecturus, ut nos non inveniamus eum?
num ad eos qui dispersi sunt inter Græcos pro-
36 fecturus est, et Græcos docturus? Quis est hic
sermo quem dixit, Quæretis me, et non invenie-
tis: et ubi ego ero, vos non potestis venire?
37 Ultimo autem die illo magno festi stetit Jesus,
et clamavit, dicens, Si quis sitit, veniat ad me,
38 et bibat. Qui credit in me, sicut dixit scriptura,
39 flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent. (Hoc
autem dixit de Spiritu illo quem accepturi erant
credentes in eum: nondum enim erat Spiritus
Sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus.)
40 Multi ergo e turba, quum audissent hunc ser-
monem, dicebant, Vere hic est Propheta ille.
41 Alii dicebant, Hic est Christus ille. Quidam
autem dicebant, Num enim e Galilæa veniet ille
42 Christus? Nonne scriptura dicit, Ex semine Da-
vidis, et ex *vico* Bethlehema, ubi erat David,
43 venturum illum Christum? Dissidium ergo ortum
44 est in turba propter eum. Quidam autem ex
ipsis volebant eum prehendere: sed nemo injecit
in eum manus.
45 Venerunt ergo ministri ad primarios sacer-
dotes et Pharisæos, qui dixerunt eis, Quare non
adduxistis eum?
46 Responderunt ministri, Nunquam ita locutus
est homo ut homo iste.
47 Responderunt ergo eis Pharisæi, Num et vos
48 seducti estis? num quis ex primoribus credidit
49 in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ
non novit legem, exsecrabilis est.
50 Dicit eis Nicodemus, is qui venerat ad eum

51 nocte, quum unus esset ex illis, num lex nostra
condemnat quempiam, nisi, prius ex ipso audierit,
et cognoverit quid faciat?
52 Responderunt et dixerunt ei, Num et tu Gali-
læus es? scrutare, et vide ex Galilæa prophetam
53 non fuisse suscitatum.
8 Et profectus est unusquisque domum suam.
Jesus autem profectus est in montem Olearum.
2 Et diluculo rursus adfuit in templo; et totus
populus venit ad eum, et sedens docebat eos.
3 Adducunt autem ad eum scribæ et Pharisæi
mulierem in adulterio deprehensam: et quum
4 statuissent eam in medio, dicunt ei, Magister,
hæc mulier deprehensa est in ipso facinore, quum
5 mœcharetur. In lege vero Moses præcepit nobis
6 ut tales lapidentur: tu ergo quid dicis? Hoc
autem dicebant tentantes eum, ut possent eum
accusare.
Jesus autem incurvatus deorsum, digito scribe-
7 bat in terra. Quum autem perseverarent eum
interrogare, sese surrigens dixit ad eos, Qui ve-
8 strum immunis est a peccato, primus in eam ja-
ciat lapidem. Et rursum incurvatus deorsum,
scribebat in terra.
9 Ipsi vero quum *hæc* audivissent, et a consci-
entia redarguerentur, sigillatim alius post alium
exierunt, initio facto a senioribus usque ad ulti-
mos: et derelictus est solus Jesus, et mulier in
medio stans.
10 Jesus autem sese surrigens, et nemine con-
specto præter mulierem illam, dixit ei, Mulier,
ubi sunt illi tui accusatores? nemo te conde-
mnavit?
11 Ipsa vero dixit, Nemo, Domine.
Dixit autem ei Jesus, Nec ego te condemno:
vade, et ne deinceps pecca.

12 RURSUM ergo Jesus eis locutus est, dicens, Ego sum lux illa mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.
13 Pharisæi igitur dixerunt ei, Tu de teipso testaris: testimonium tuum non est firmum.
14 Respondit Jesus, et dixit eis, Etiamsi ego testor de meipso, firmum est testimonium meum; quia scio unde venerim, et quo vadam: vos au-
15 tem nescitis unde venerim, et quo vadam. Vos secundum carnem judicatis: ego non judico quen-
16 quam. Quod si etiam judicarem ego, judicium meum firmum esset: quia solus non sum, sed ego
17 et qui misit me Pater. Sed et in lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium fir-
18 mum esse. Ego *is* sum qui testor de meipso, et testatur de me qui misit me Pater.
19 Dicebant ergo ei, Ubi est tuus ille Pater? Respondit Jesus, Neque me nostis, neque Patrem meum: si me nossetis, Patrem quoque meum nossetis.
20 Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo: et nemo prehendit eum, quia nondum venerat illa ipsius hora.
21 Dixit ergo iterum eis Jesus, Ego vado, et quæretis me, et in hoc peccato vestro moriemini: quo ego vado, vos non potestis venire.
22 Dicebant ergo Judæi, Num interimet seipsum, quia dicat, Quo ego vado, vos non potestis venire?
23 Tunc dixit eis, Vos inferne estis, ego sum superne: vos ex hoc mundo estis, ego non sum
24 ex hoc mundo. Ideo vobis dixi, vos morituros in peccatis vestris: nam nisi credideritis me *eum* esse, moriemini in peccatis vestris.
25 Dixerunt ergo ei, Tu quis es? Tum dixit eis Jesus, *Id* quod a principio dico

26 vobis. Multa habeo quæ de vobis loquar ac judicem; sed qui me misit, verax est; et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor mundo.
27 Non cognoverunt quod de Patre *hæc* ipsis diceret.
28 Dixit ergo eis Jesus, Quum sustuleritis Filium hominis, tunc agnoscetis me eum esse, et a me ipso nihil facere; sed prout docuit me Pater,
29 hæc loqui. Nam qui me misit, mecum est; Pater me solum non relinquit, quia ego quæ placent ipsi facio semper.
30 Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.
31 Dicebat ergo Jesus iis Judæis qui crediderant ipsi, Si vos manseritis in sermone meo, vere
32 discipuli mei eritis. Et cognoscetis veritatem, et veritas vos in libertatem vindicabit.
33 Responderunt ei, Semen Abrahami sumus, neque cuiquam servivimus unquam: quomodo tu dicis, Vos in libertatem vindicabimini?
34 Respondit eis Jesus, Amen, amen, dico vobis, Quisquis operam dat peccato, servus est peccati.
35 Servus autem non manet in domo perpetuo:
36 Filius manet perpetuo. Itaque si vos Filius in
37 libertatem vindicarit, vere liberi eritis. Scio vos semen Abrahami esse, sed studetis me interimere, quia sermo ille meus non habet locum
38 apud vos. Ego loquor quod vidi apud Patrem meum; et vos facitis quod vidistis apud patrem vestrum.
39 Responderunt et dixerunt ei, Pater noster Abrahamus est.
Dicit eis Jesus, Si filii Abrahami essetis, opera
40 Abrahami faceretis. Nunc autem studetis me interimere, hominem qui veritatem vobis locutus
41 sum, quam audivi a Deo: hoc Abrahamus non fecit. Vos facitis opera patris vestri.

Itaque dixerunt ei, Nos ex scortatione non sumus geniti: unum Patrem habemus, *nempe* Deum.

42 Dixit ergo eis Jesus, Si Deus Pater vester esset, diligeretis me; ego enim a Deo prodii et adsum: nec enim a meipso veni, sed ille me
43 misit. Quare loquelam istam meam non agnoscitis? *nempe* quoniam non potestis audire ser-
44 monem meum. Vos ex patre diabolo estis, et cupiditates patris vestri vultis exsequi. Ille fuit homicida a principio, et in veritate non perstitit; non est enim veritas in eo. Quotiescunque loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax
45 est, et pater ille mendacii. *Vos* autem, quia
46 ego veritatem dico, non creditis mihi. Qui ex vobis arguit me de peccato? si veritatem dico,
47 quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48 Responderunt ergo Judæi et dixerunt ei, Nonne bene dicimus te Samaritanum esse, et dæmonium habere?

49 Respondit Jesus, Ego dæmonium non habeo;
sed honoro Patrem meum, et vos contumelia
50 afficitis me. Ego vero non quæro gloriam meam:
51 est qui quærat et judicet. Amen, amen, dico vobis, Siquis sermonem meum observaverit, mortem non conspiciet in æternum.

52 Dixerunt ergo ei Judæi, Nunc agnovimus te dæmonium habere. Abrahamus mortuus est, et prophetæ: et tu dicis, Siquis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.
53 Num tu major es patre illo nostro Abrahamo, qui mortuus est? etiam prophetæ mortui sunt: quem tu teipsum facis?

54 Respondit Jesus, Si ego glorifico meipsum,

gloria mea nihil est: Pater ille meus is est qui
55 glorificat me, quem vos dicitis Deum vestrum
esse. Sed non nostis eum; ego vero ipsum novi:
et si dixero quod ipsum non norim, ero similis
vestri, *id est*, mendax: sed eum novi, et sermo-
56 nem ejus observo. Abrahamus pater ille vester
gestivit videre diem istum meum; et vidit, ac
gavisus est.
57 Dixerunt igitur ei Judæi, Quinquaginta annos
nondum habes, et Abrahamum vidisti?
58 Dixit eis Jesus, Amen, amen, dico vobis,
Priusquam Abrahamus existeret, ego sum.
59 Sustulerunt ergo lapides ut jacerent in eum:
Jesus autem occultavit se, et exivit e templo,
quum transivisset per medios ipsos: et ita pro-
gressus est.
9 PROGRESSUS autem vidit quendam cæcum
a nativitate.
2 Et interrogaverunt eum discipuli ejus, dicen-
tes, Rabbi, quis peccavit, iste, an parentes ejus,
ut cæcus nasceretur?
3 Respondit Jesus, Neque iste peccavit, neque
parentes ejus, *ut cæcus nasceretur;* sed *cæcus*
natus est, ut opera Dei manifesta fiant in eo.
4 Oportet me operam dare operibus ejus qui misit
me, donec dies est: venit nox, quum nemo po-
5 test operari. Quamdiu fuero in mundo, lux sum
mundi.
6 Hoc quum dixisset, spuit humi, et fecit lutum
7 ex sputo, et illevit lutum oculis cæci illius; dixit-
que ei, Vade, ablue *oculos* in piscina Siloam,
quod est, si interpreteris, Missus. Abiit ergo,
et abluit *oculos*, rediitque videns.
8 Vicini ergo, et qui prius conspexerant eum
cæcum esse, dicebant, Nonne hic est qui sede-
9 bat et mendicabat? Alii dicebant, Certe hic est:

alii vero, Certe similis est ei. Ille *vero* dicebat, Certe ego *is* sum.
10 Dixerunt ergo ei, Quomodo aperti sunt tibi
11 oculi? Respondit ille, et dixit, Quidam qui dicitur Jesus lutum fecit, et inunxit oculos meos, et dixit mihi, Vade ad piscinam Siloam, et ablue *oculos:* ut autem abii et *oculos* ablui, vidi.
12 Dixerunt ergo ei, Ubi est ille? Ait, Nescio.
13 Adducunt eum ad Pharisæos, eum, *inquam,*
14 qui olim cæcus fuerat. Erat autem sabbatum, quum lutum faceret Jesus, et aperiret oculos ejus.
15 Rursus ergo interrogarunt eum etiam Pharisæi, quomodo videndi facultatem esset adeptus. Ille vero dixit eis, Lutum imposuit oculis meis, et ablui *oculos,* et video.
16 Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Homo iste non est a Deo; nam sabbatum non observat. Alii dicebant, Quomodo potest quispiam peccator talia signa edere? Et dissidium erat inter eos.
17 Rursus dicunt cæco, Tu quid dicis de ipso, quod aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, Certe propheta est.
18 Non crediderunt ergo Judæi de eo quod cæcus fuisset, et videndi facultatem esset adeptus, usquequo vocarunt ejus parentes, ejus, *inquam,*
19 qui videndi facultatem fuerat adeptus. Et interrogaverunt eos, dicentes, Hiccine est filius ille vester, quem vos dicitis cæcum natum esse? quomodo ergo nunc videt?
20 Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt, Scimus hunc esse filium illum nostrum, et cæcum
21 natum esse: quomodo vero nunc videat, nescimus; aut quis ejus aperuerit oculos, nos nescimus: ipse ætatem habet, ipsum interrogate, ipse
22 de se loquetur. Hæc dixerunt parentes ejus,

quod metuerent Judæos: jam enim constituerant Judæi, ut siquis eum profiteretur esse Christum,
23 synagoga moveretur. Propterea parentes ejus dixerunt, Ætatem habet, ipsum interrogate.
24 Secundo ergo vocarunt hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei, Tribue gloriam Deo: nos hunc hominem scimus peccatorem esse.
25 Respondit igitur ille, et dixit, An peccator sit, nescio: unum scio, me, quum cæcus fuerim, nunc videre.
26 Dixerunt autem ei rursus, Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos?
27 Respondit eis, Jam vobis dixi, et non audivistis: cur iterum vultis audire? num et vos fieri vultis ipsius discipuli?
28 Itaque conviciati sunt ei, et dixerunt, Tu discipulus illius es: nos autem Mosis discipuli su-
29 mus. Nos scimus Deum esse locutum Mosi: hic autem unde sit nescimus.
30 Respondit eis ille, et dixit eis, At enim istud
31 mirum est, quod vos nesciatis unde sit, et *tamen* aperuit meos oculos. Scimus autem quod Deus peccatores non audiat: sed siquis Dei cultor est,
32 et facit quod ille vult, *ille* hunc audit. Ab seculo non est auditum aliquem aperuisse oculos
33 ejus qui cæcus natus fuerit. Nisi esset hic a Deo, non posset *tale* quicquam facere.
34 Responderunt et dixerunt ei, Tu in peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.
35 Audivit Jesus eum ejectum foras; et eum nactus, dixit ei, Tu*ne* credis in Filium Dei?
36 Respondit ille, et dixit, Quis est, Domine, ut credam in eum?
37 Dixit autem ei Jesus, Et vidisti eum, et is est qui loquitur tecum.

38 At ille ait, Credo, Domine. Et adoravit eum.
39 Et dixit Jesus, Ad judicium *exercendum* ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant.
40 Audierunt autem hæc quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant, et dixerunt ei, Num et nos cæci sumus?
41 Dixit eis Jesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, Videmus: itaque peccatum vestrum manet.
10 Amen, amen, dico vobis, Qui non ingreditur per ostium in caulam ovium, sed ascendit ali-
2 unde, ille fur est et latro. Qui vero ingreditur
3 per ostium, pastor est ovium. Huic aperit janitor, et oves vocem ejus audiunt: et suas oves
4 vocat nominatim, et educit eas. Quumque suas oves emiserit, antegreditur eas: et oves eum se-
5 quuntur, quia norunt vocem ejus. Alienum autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo; quia non norunt vocem alienorum.
6 Hanc similitudinem dixit eis Jesus. Illi vero non cognoverunt quænam illa essent quæ loquebatur eis.
7 Jesus ergo rursum dixit eis, Amen, amen, dico
8 vobis, Ego sum ostium illud ovium. Quotquot ante me venerunt, fures sunt et latrones: sed
9 oves non auscultarunt eos. Ego sum illud ostium: per me siquis introierit, servabitur; et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.
10 Fur non venit nisi ut furetur, et mactet ac perdat *oves:* ego veni ut vitam habeant, et abundent.
11 Ego sum pastor ille bonus: bonus pastor animam
12 suam deponit pro ovibus. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, conspicit lupum venientem, et relinquit oves, et fugit: lupus autem eas rapit, et disper-

13 git ovile: mercenarius autem fugit, quia merce-
14 narius est, et non est ipsi cura ovium. Ego sum
pastor ille bonus, et agnosco meas, et agnoscor
a meis. Prout novit me Pater, ita et ego novi
15 Patrem; et animam meam depono pro ovibus.
16 Alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula:
illas quoque oportet me adducere; nam vocem
meam audient: fietque unus grex, *et* unus pastor.
17 Propterea Pater me diligit, quia ego depono
18 animam meam ut eam rursus assumam. Nemo
tollit eam a me, sed ego depono eam per me
ipsum: auctoritatem habeo deponendi eam, et
auctoritatem habeo rursus eam assumendi. Hoc
præceptum accepi a Patre meo.
19 Dissidium igitur rursum ortum est inter Ju-
20 dæos propter istos sermones. Dicebant autem
multi eorum, Dæmonium habet, et insanit: quid
21 eum auditis? Alii dicebant, Hæc verba non sunt
dæmoniaci: num dæmonium potest cæcorum ocu-
los aperire?
22 Facta sunt autem Encænia Hierosolymis, et
23 hiems erat. Et ambulabat Jesus in templo in
porticu Solomonis.
24 Cinxerunt igitur eum Judæi, et dixerunt ei,
Quousque animam nostram suspendis? si tu es
Christus ille, dic nobis aperte.
25 Respondit eis Jesus, Dixi vobis, nec creditis:
opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc
26 testantur de me. Sed vos non creditis: non enim
27 estis ex ovibus illis meis, sicut dixi vobis. Oves
illæ meæ vocem meam audiunt, et ego eas agnosco,
28 et sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis,
nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quis-
29 quam e manu mea. Pater *ille* meus, qui mihi
dedit *eas*, major omnibus est: neque quisquam
30 potest eas rapere e manu Patris mei. Ego et Pater

31 unum sumus. Sustulerunt ergo rursum lapides
Judæi, ut eum lapidarent.
32 Respondit eis Jesus, Multa bona opera ostendi
vobis ex Patre meo: propter quod illorum ope-
rum me lapidatis?
33 Responderunt ei Judæi, dicentes, Ob bonum
opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, id
est, quia tu, homo quum sis, facis teipsum Deum.
34 Respondit eis Jesus, Nonne scriptum est in
lege vestra, Ego dixi, Dii estis (Ps. 82, 6)?
35 Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus
36 est, et non potest solvi scriptura; *mene*, quem
Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dici-
37 tis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum? Si
non facio opera Patris mei, nolite credere mihi:
38 sin vero *illa* facio, etiamsi mihi non credatis,
operibus *tamen* credite; ut cognoscatis et cre-
datis Patrem in me esse, et me in eo.
39 Rursus ergo studebant eum prehendere: sed
40 exivit in eorum manu. Abiitque rursus ad tra-
jectum Jordanis, in eum locum ubi primum fu-
erat Joannes, quum baptizaret, mansitque illic.
41 Multi autem veniebant ad eum, et dicebant, Jo-
annes quidem signum nullum edidit: quæcunque
42 autem de isto dixit, vera erant. Et multi credi-
derunt illic in eum.

11 ERAT autem ægrotus quidam *nomine* Lazarus
a Bethania, ex vico Mariæ et Marthæ sororis
2 ipsius. (Maria autem ea erat quæ unxit Domi-
num unguento, et extersit pedes ejus capillis
3 suis; cujus frater Lazarus ægrotabat.) Miserunt
ergo sorores ejus ad ipsum, dicentes, Domine,
ecce, *is* quem amas, ægrotat.
4 Jesus autem, *hoc* audito, dixit, Hic morbus non
est *immissus* ad mortem, sed pro Dei gloria, ut
per eum *morbum* glorificetur Filius Dei.

5 Diligebat autem Jesus Martham, et sororem
6 ejus, et Lazarum. Ut ergo audivit *illum* ægro-
tare, tum quidem mansit duos dies in eo loco
7 ubi erat. Deinde postea dixit discipulis, Eamus
in Judæam rursus.
8 Dicunt ei discipuli, Rabbi, modo studebant te
Judæi lapidare, et rursum illuc abis?
9 Respondit Jesus, Nonne duodecim sunt horæ
diei? Si quis ambulet interdiu, non offendit,
10 quia lucem hujus mundi videt: si quis autem
ambulet nocte, impingit, quia lux ei non adest.
11 Hæc ait; et postea dixit eis, Lazarus, amicus
ille noster, dormit: sed proficiscor ut a somno
excitem eum.
12 Dixerunt ergo discipuli ejus, Domine, si dor-
13 mit, servabitur. Hoc autem dixerat Jesus de
ipsius morte: at illi putarunt eum de dormitione
somni dicere.
14 Tunc ergo Jesus dixit eis aperte, Lazarus
15 mortuus est: et gaudeo propter vos, (ut credatis,)
quod illic non fuerim: sed eamus ad eum.
16 Dixit autem Thomas, qui dicitur Didymus,
condiscipulis, Eamus et nos, ut moriamur cum eo.
17 VENIT ergo Jesus, et invenit eum quartum jam
18 diem in monumento agere. Erat autem Bethania
prope Hierosolymam fere stadiis quindecim:
19 multique ex Judæis venerant ad Martham et Ma-
20 riam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha
ergo, ut audivit Jesum venire, occurrit ei: Maria
vero domi sedebat.
21 Dixit autem Martha Jesu, Domine, si fuisses
22 hic, frater meus non fuisset mortuus: sed et nunc
scio, fore ut quæcunque petieris a Deo, det tibi.
23 Dicit ei Jesus, Resurget frater tuus.
24 Dicit ei Martha, Scio resurrecturum in resur-
rectione ultimo illo die.

25 Dixit ei Jesus, Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet:
26 et quisquis vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?
27 Ait illi, Etiam, Domine, ego credo te esse Christum *illum* Filium illum Dei, qui in mundum venturus erat.
28 Et quum hæc dixisset, abiit, et clam vocavit Mariam sororem suam, dicens, Magister adest, et
29 te vocat. Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum.
30 (Nondum autem venerat Jesus in vicum; sed
31 erat in eo loco ubi occurrerat ei Martha.) Judæi ergo, qui domi erant cum ea, et consolabantur eam, quum vidissent Mariam cito surrexisse, et exivisse, secuti sunt eam, dicentes, Certe abit ad monumentum, ut illic fleat.
32 Maria vero quum venisset eo ubi erat Jesus, viso eo, accidit ad ejus pedes, dicens ei, Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.
33 Jesus autem, ut vidit eam flentem, et Judæos qui una venerant cum ea flentes, infremuit spi-
34 ritu, et turbavit seipsum; et dixit, Ubi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, veni et vide.
35 Lacrymatus est Jesus.
36 Dixerunt ergo Judæi, Ecce, quomodo amabat
37 eum! Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere ut et iste non moreretur?
38 Jesus ergo rursum fremens apud semetipsum, venit ad monumentum: erat autem spelunca, et lapis erat ei impositus.
39 Ait Jesus, Tollite lapidem.
Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat, Domine, jam olet; quatuor enim dierum est.
40 Dicit ei Jesus, Nonne dixi tibi, fore, si credideris, ut videas gloriam Dei?

41 Abstulerunt ergo lapidem *e loco* ubi mortuus
ille fuerat positus. Jesus autem sustulit sursum
oculos, et dixit, Pater, gratias ago tibi quod me
42 audieris. Ego vero sciebam me semper a te au-
diri: sed propter turbam circumstantem *hoc* dixi,
ut credant me a te missum esse.
43 Et quum hæc dixisset, clamavit voce magna,
Lazare, adesdum foras.
44 Tum qui fuerat mortuus, prodiit pedes et manus
vinctus fasciis; vultus autem ejus sudario erat
obvinctus.
Dicit eis Jesus, Solvite eum, et sinite abire.
45 Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam,
et spectarant quæ fecerat Jesus, crediderunt in
46 eum. Quidam autem ex iis abierunt ad Phari-
sæos, et dixerunt eis quæ fecerat Jesus.
47 COEGERUNT ergo primarii sacerdotes et Phari-
sæi consilium, et dicebant, Quid agemus? nam
48 hic homo multa signa edit. Si omittamus eum
ita, omnes ei credent: venientque Romani, et
delebunt tum locum nostrum, tum gentem.
49 Unus autem ex ipsis, Caiaphas, pontifex maxi-
50 mus anni illius, dixit eis, Vos nihil scitis; nec
cogitatis conducere nobis, ut unus homo moria-
tur pro populo, et tota gens non pereat.
51 Hoc autem ex semetipso non dixit: sed quum
esset pontifex maximus anni illius, prophetavit
52 fore ut Jesus pro gente moreretur: nec tantum
pro eâ gente, sed ut etiam filios Dei dispersos
congregaret in unum.
53 Ab illo ergo die consultabant una ut interimerent
54 eum. Jesus ergo palam amplius non versabatur
inter Judæos: sed abiit illinc in regionem quæ est
prope desertum, in urbem quæ dicitur Ephraim;
et illic commorabatur cum discipulis suis.
55 PROPE autem erat Pascha Judæorum: et

ascenderunt multi Hierosolymam ex illa regione
56 ante Pascha, ut purificarent se. Quærebant ergo
Jesum, et loquebantur alii cum aliis in templo
stantes, Quid videtur vobis? *an* venturus non
57 esse ad festum? Dederant autem primarii sacer-
dotes et Pharisæi præceptum, ut siquis nosset
ubi esset, indicaret, ut prehenderent eum.
12 JESUS ergo sex ante Pascha diebus venit ad
Bethaniam, ubi erat Lazarus ille qui fuerat mor-
2 tuus, quem suscitaverat ex mortuis. Fecerunt
igitur ei cœnam illic et Martha ministrabat: La-
zarus autem unus erat ex iis qui simul accum-
3 bebant cum eo. Maria vero, accepta libra un-
guenti nardi liquidæ multi pretii, unxit pedes
Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis; domus
autem impleta est odore unguenti.
4 Dixit ergo quidam ex discipulis ejus, *nempe*,
Judas Simonis *filius*, Iscariotes, qui erat eum
5 proditurus, Quare hoc unguentum non veniit tre-
6 centis denariis, et datum est pauperibus? Dixit
autem hoc, non quod pauperum ipsi cura esset,
sed quia fur erat, et marsupium habebat, et ea
quæ immittebantur portabat.
7 Dixit ergo Jesus, Omitte eam, in diem funeratio-
8 nis meæ asservavit istud. Pauperes enim semper
habebitis vobiscum, me vero non semper habebitis.
9 Cognovit ergo turba multa ex Judæis eum
illic esse: et venerunt, non propter Jesum tan-
tum, sed etiam ut Lazarum viderent, quem ex-
citarat a mortuis.
10 Consultarunt autem primarii sacerdotes, ut
11 Lazarum etiam interimerent: quia multi ex Judæis
propter eum abibant et credebant in Jesum.
12 Postero die turba multa, quæ venerat ad
festum, quum audissent Jesum venire Hierosoly-
13 mam, acceperunt ramos palmarum, et prodierunt

ei obviam, et clamabant, Hosanna! benedictus
qui venit in nomine Domini, Rex ille Is-
raelis (Ps. 118, 26)!
14 Nactus autem Jesus asellum, insedit ei, sicut
15 scriptum est, Ne metue, filia Sionis: ecce,
Rex ille tuus venit insidens pullo asinæ
(Zach. 9, 9).
16 Hæc autem non cognoverunt discipuli ejus
primo: sed quum glorificatus esset Jesus, tunc
recordati sunt hæc esse scripta de eo, et sese
hæc illi præstitisse.
17 Testabatur vero turba quæ erat cum eo, quod
Lazarum vocasset e monumento, et suscitasset
18 eum ex mortuis. Propterea etiam occurrit ei
turba, quia audierat eum edidisse hoc signum.
19 Pharisæi ergo dixerunt inter se, Videtisne vos
nihil proficere? ecce, mundus eum secutus est.
20 Erant autem quidam Græci ex iis qui ascen-
21 dunt ut adorent in festo. Isti ergo venerunt ad
Philippum, qui *erat* ex *urbe* Galilææ Bethsaida,
et rogarunt eum, dicentes, Domine, velimus Je-
22 sum videre. Venit Philippus, et dicit Andreæ:
Andreas rursum et Philippus dicunt Jesu.
23 Jesus autem respondit eis, dicens, Venit hora
24 illa glorificandi Filii hominis. Amen, amen, dico
vobis, Nisi granum frumenti ceciderit in terram,
et mortuum fuerit, ipsum manet solum: sin vero
25 mortuum fuerit, multum fructum adfert. Qui
amat animam suam, perdet eam: et qui odit
animam suam in hoc mundo, ad vitam æternam
26 custodiet eam. Si quis mihi ministrat, me sequa-
tur; et ubi ego fuero, illic et minister meus erit:
et si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pa-
27 ter. Nunc anima mea turbata est; et quid dicam?
Pater, libera me ab hac hora; sed propterea veni
28 ad hanc horam. Pater, glorifica nomen tuum.

Venit ergo vox e cœlo, *dicens*, Et glorificavi, et rursus glorificabo.

29 Turba ergo quæ adstabat et audierat, dicebat tonitruum esse factum: alii dicebant, Angelus ei locutus est.

30 Respondit Jesus, et dixit, Non propter me hæc
31 vox exstitit, sed propter vos. Nunc judicium adest mundi hujus; nunc princeps ille mundi hujus
32 ejicietur foras. Et ego, si sublatus fuero e terra,
33 omnes traham ad meipsum. (Hoc autem dicebat, significans qua morte futurum erat ut moreretur.)

34 Respondit ei turba, Nos audivimus ex lege, Christum manere in æternum: quomodo igitur tu dicis, oportere tolli Filium hominis? quis est iste Filius hominis?

35 Dixit igitur eis Jesus, Adhuc parvo tempore lux vobiscum est: ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant: nam qui ambulat
36 in tenebris nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis fiatis.

Hæc locutus est Jesus: et quum abiisset, oc-
37 cultavit se ab eis. Quum autem tot signa coram
38 eis edidisset, non credebant in eum: ut sermo Esaiæ prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit sermoni nostro, et brachium Domini cui retectum est (Es. 53, 1)?

39 Propterea non poterant credere, quia iterum
40 dixit Esaias, Excæcavit oculos eorum, et obduravit corda eorum: ne videant oculis, et sint intelligentes corde, et sese
41 convertant, et sanem eos (Es. 6, 9. 10). Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo.

42 Veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos *hoc* non
43 profitebantur, ne synagoga moverentur. Dilexe-

runt enim gloriam hominum potius quam gloriam Dei.

44 Jesus autem clamavit, et dixit, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.
45 Et qui conspicit me, conspicit eum qui misit me.
46 Ego lux in mundum veni, ut quisquis credit in
47 me in tenebris non maneat. Siquis autem audierit verba mea, et non crediderit, ego non condemno ipsum: non enim veni ut condemnem
48 mundum, sed ut servem mundum. Qui dedignatur, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipsum: sermo quem locutus sum, ille condemna-
49 bit eum ultimo illo die. Quia ego ex meipso non sum locutus: sed qui misit me Pater, ipse
50 mihi præcepit quid dicam, et quid loquar. Et scio mandatum ejus vitam æternam esse. Quæ igitur ego loquor, prout dixit mihi Pater, ita loquor.

13 ANTE festum autem diem Paschæ, sciens Jesus venisse horam illam digrediendi ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset suos illos, qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos.
2 Et cœna peracta (quum diabolus jam immisisset in cor Judæ, *filii* Simonis, Iscariotæ, ut proderet
3 eum,) sciens Jesus Patrem omnia dedisse sibi in manus, et se a Deo prodiisse, et ad Deum abire,
4 surgit a cœna, et deponit pallium; acceptoque
5 linteo, præcinxit se. Deinde immisit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus.
6 Venit ergo ad Simonem Petrum, qui dixit ei, Domine, tu mihi lavas pedes?
7 Respondit Jesus, et dixit ei, Quod ego facio, tu nescis nunc, cognosces autem postea.
8 Dicit ei Petrus, Non lavabis meos pedes in æternum.

Respondit ei Jesus, Nisi lavero te, nihil mecum habebis commune.
9 Dicit ei Simon Petrus, Domine, non solum pedes meos, sed etiam manus et caput.
10 Dicit ei Jesus, Ei qui lotus est, non opus est nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: et
11 vos mundi estis, sed non omnes. Norat enim eum a quo ipse prodebatur: propterea dixit, Non omnes estis mundi.
12 Postquam ergo lavisset pedes eorum, et pallium suum recepisset, rursum discubuit, et dixit
13 eis, Nostis*ne* quid fecerim vobis? Vos me vocatis, Magister ac Domine; et bene dicitis: sum
14 enim. Itaque si ego lavi pedes vestros Dominus et magister, vos quoque debetis alii aliorum pe-
15 des lavare. Exemplum enim præbui vobis, ut
16 prout ego feci vobis, *ita* et vos faciatis. Amen, amen, dico vobis, Servus non est major domino suo, neque legatus major eo a quo ipse missus
17 est. Si hæc noveritis, beati eritis si ea feceritis.
18 Non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim: sed *oportet* ut impleatur scriptura, Qui edit mecum panem, sustulit adversum me calcem suum (Ps. 41, 9).
19 Jam nunc dico vobis priusquam fiat, ut quum
20 factum fuerit, credatis me *eum* esse. Amen, amen, dico vobis, Quando aliquem misero, quisquis *eum* recipit, me recipit; qui vero me recipit, recipit eum qui me misit.
21 Quum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu; et testatus est, dixitque, Amen, amen, dico vobis, Unus ex vobis prodet me.
22 Discipuli ergo aspiciebant alii ad alios, incerti
23 de quo diceret. Erat autem quidam ex discipulis Jesu accumbens in sinu ipsius, *nimirum* is
24 quem diligebat Jesus. Innuit ergo huic Simon

Petrus *ut* percontaretur quisnam esset de quo
25 diceret. Ille vero quum sese inclinasset in pectus Jesu, dicit ei, Domine, quis est?
26 Respondit Jesus, Ille est cui ego intinctam offulam dedero.
Et quum intinxisset offulam, dedit Judæ *filio*
27 Simonis Iscariotæ. Et post *sumptam* offulam, tunc ingressus est in illum Satanas. Dicit igitur
28 ei Jesus, Quod facis, mox facito. Hoc autem nemo accumbentium intelligebat quorsum ei di-
29 xisset. Quidam enim putabant, quoniam marsupium habebat Judas, Jesum ei dixisse, Eme quibus opus est nobis ad festum: aut egenis ut
30 aliquid daret. Ille igitur, accepta offula, statim exivit: erat autem nox.
31 Quum ergo exivisset, dicit Jesus, Nunc glorificatus est Filius hominis, et Deus glorificatus
32 est in eo. *Quod* si Deus glorificatus est in eo, Deus quoque glorificabit eum in sese, et statim
33 glorificabit eum. Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum. Quæretis me: sed sicut dixi Judæis, Quo ego vado, vos non potestis venire; *ita* et
34 vobis nunc dico. Præceptum novum do vobis, Ut alii alios diligatis: sicut, *inquam*, dilexi vos,
35 ut vos etiam diligatis alii alios. Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios.
36 Dicit ei Simon Petrus, Domine, quo abis?
Respondit ei Jesus, Quo abeo non potes me nunc sequi: postea vero sequeris me.
37 Dicit ei Petrus, Domine, quare non possum te sequi nunc? animam meam pro te deponam.
38 Respondit ei Jesus, Animam tuam pro me deponeS? Amen, amen, dico tibi, Non emittet vo-
14 cem gallus, donec ter me abnegaveris.
Ne turbator cor vestrum, creditis in Deum;

2 etiam in me credite. In domo Patris mei habi-
tationes multæ sunt; alioqui dixissem vobis.
3 Proficiscor paraturus vobis locum: et quum pro-
fectus fuero, et paravero vobis locum, rursum
veniam, et assumam vos ad meipsum; ut ubi ero
4 ego, et vos sitis. Et quo ego abeam scitis, et
viam scitis.
5 Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quo abeas:
quomodo igitur possumus viam scire?
6 Dicit ei Jesus, Ego sum via illa, et illa veri-
tas, et vita illa: nemo venit ad Patrem nisi per
7 me. Si nossetis me, Patrem etiam meum nosse-
tis: et jam nunc nostis eum, et vidistis eum.
8 Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis Pa-
trem, et sufficit nobis.
9 Dicit ei Jesus, Tantum temporis vobiscum sum,
et non nosti me? Philippe, qui vidit me, vidit
Patrem: quomodo igitur tu dicis, Ostende nobis
10 Patrem? Non credis me in Patre, et Patrem in
me esse? Verba quæ ego loquor vobis, a me-
ipso non loquor: sed Pater qui in me manet,
11 ipse facit opera. Credite mihi me in Patre, et
Patrem in me *esse;* sin minus, propter ipsa
12 opera credite mihi. Amen, amen, dico vobis,
Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse
faciet, et majora istis faciet: nam ego ad Patrem
13 meum proficiscor. Et quicquid petieritis in nomine
meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.
14 Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.
15 Si diligitis me, præcepta mea observate. 16 Ego
vero rogabo Patrem, et alium advocatum dabit
17 vobis ut maneat vobiscum in æternum: *nempe*
Spiritum illum veritatis, quem mundus non po-
test recipere, quia non conspicit eum, nec novit
eum; vos autem nostis eum, quia apud vos ha-
18 bitat, et intra vos erit. Non relinquam vos or-

19 bos; redeo ad vos. Adhuc paululum, et mundus
me non amplius conspiciet; vos autem conspici-
20 etis me; quia ego vivo, vos etiam vivetis. In
illo die vos cognoscetis me esse in Patre meo,
21 et vos in me, et me in vobis. Qui tenet præ-
cepta mea, et observat illa, is est qui diligit me:
qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et
ego diligam eum, et ei conspiciendum exhibebo
meipsum.
22 Dicit ei Judas, non *ille* Iscariotes, Domine,
quid est cur te sis nobis conspiciendum exhibi-
turus, et non mundo?
23 Respondit Jesus, et dixit ei, Si quis diligit
me, sermonem meum servabit, et Pater meus di-
liget eum, et ad eum veniemus, et apud eum
24 habitabimus. Qui non diligit me, sermones meos
non servat; et sermo quem auditis non est meus,
sed ejus qui misit me, *nempe* Patris.
25 Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.
26 Advocatus autem ille, *id est*, Spiritus Sanctus,
quem mittet Pater in nomine meo, ille vos doce-
bit omnia, et suggeret vobis omnia quæ dixi vobis.
27 Pacem relinquo vobis, pacem illam meam do
vobis: non prout mundus dat, ego do vobis. Ne
28 turbator cor vestrum, neque formidato. Audi-
vistis me dixisse vobis, Abeo, et redeo ad vos.
Si diligeretis me, gauderetis utique quod dixerim,
Proficiscor ad Patrem; nam Pater major me est.
29 Et nunc dixi vobis, priusquam fiat; ut quum fa-
ctum fuerit, credatis.
30 Non loquar amplius multa vobiscum: venit
enim princeps mundi hujus, sed in me non habet
31 quicquam. Sed *hæc fiunt* ut norit mundus Pa-
trem a me diligi; et prout præcepit mihi Pater,
ita facio.
Surgite, abeamus hinc.

15 Ego sum vitis illa vera, et Pater meus est
2 agricola ille. Omnem palmitem in me non fe-
rentem fructum, tollit; et omnem qui fert fru-
3 ctum, purgat, ut plus fructus adferat. Jam vos
puri estis propter sermonem quem locutus sum
4 vobis. Manete in me, et ego in vobis *manebo:*
sicut palmes non potest ferre fructum a semet-
ipso, *id est*, nisi manserit in vite; ita nec vos,
5 nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos pal-
mites: is qui manet in me, et in quo ego *maneo*,
hic fert fructum multum; nam seorsim a me ni-
6 hil potestis facere. Nisi quis in me manserit,
abjectus extra *vineam*, statim ut palmes arescet:
deinde colliguntur isti *palmites*, et in ignem ab-
7 jiciuntur, et ardent. Si manseritis in me, et
verba mea in vobis manserint, quicquid volueri-
8 tis, petite, et fiet vobis. In hac re glorificatus
fuerit Pater meus, ut fructum multum adferatis;
et eritis mei discipuli.
9 Prout dilexit me Pater, *ita* et ego dilexi vos:
10 manete in illa mea charitate. Si præcepta mea
observaveritis, manebitis in charitate mea; sicut
ego Patris mei mandata observavi, et maneo in
ejus charitate.
11 Hæc locutus sum vobis, ut gaudium illud meum
in vobis maneat, et gaudium vestrum compleatur.
12 Hoc est præceptum illud meum, ut diligatis alii
13 alios, prout dilexi vos. Majorem charitatem nullus
habet quam istam, ut quispiam animam suam de-
14 ponat pro amicis suis. Vos amici mei eritis, si
15 feceritis quæcunque ego præcipio vobis. Non
amplius dicam vos servos, quia servus nescit quid
faciat dominus ipsius: vos autem dixi amicos, quia
omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis.
16 Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et statui
vos ut abeuntes fructum feratis, et fructus vester

maneat; ut quicquid petieritis a Patre in nomine
17 meo, det vobis. Hæc præcipio vobis, ut diligatis alii alios.
18 Si mundus vos odit, scitis me prius quam vos
19 illi odio habitum. Si ex mundo essetis, mundus quod suum est amaret; quia vero ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea
20 odit vos mundus. Mementote sermonis illius quem ego dixi vobis, Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur: si sermonem meum observaverunt, et
21 vestrum observabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt
22 eum qui misit me. Si non venissem et locutus essem eis, peccatum non haberent; nunc autem
23 non habent quod prætexant peccato suo. Qui
24 me odit, *is* etiam Patrem meum odit. Si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt,
25 et oderunt tum me, tum Patrem meum. Sed *oportet* ut impleatur sermo qui in lege ipsorum scriptus
26 est, Oderunt me immerito (Ps. 69, 4). Quum autem venerit advocatus ille, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus, *inquam*, ille veritatis, qui
27 a Patri emanat, ille testabitur de me. Sed et
16 vos testabimini, quoniam a principio mecum estis.
Hæc locutus sum vobis, ut ne offendamini.
2 Movebunt vos synagogis; imo veniet tempus, ut quisquis vos interemerit putet *se* cultum præstare
3 Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt
4 Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis, ut ubi venerit hora illa, memineritis eorum, *nempe*, quod ego *hæc* dixerim vobis: hæc autem vobis a principio non dixi, quia vobiscum eram.
5 Nunc autem abeo ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, *dicens*, Quo abis?

6 Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia imple-
7 vit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, confert vobis ut ego abeam: nisi enim abiero, advocatus ille non veniet ad vos; sin autem
8 profectus fuero, mittam eum ad vos. Et quum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de
9 justitia, et de judicio: de peccato quidem, eo
10 quod non credunt in me: de justitia vero, eo quod ad Patrem abeam, et amplius non conspi-
11 cietis me: de judicio autem, eo quod princeps hujus mundi condemnatus sit.
12 Adhuc multa habeo quæ vobis dicam; sed
13 nunc non potestis portare. Quum autem venerit ille, *id est*, Spiritus ille veritatis, dux viæ vobis erit in omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audierit loquetur; et
14 quæ ventura sunt renunciabit vobis. Ille me glorificabit; quia de meo accipiet, et renunciabit
15 vobis. Omnia quæ habet Pater, mea sunt; propterea dixi illum de meo accepturum, et renun-
16 ciaturum vobis. Paulisper, et non conspicietis me; et rursum paulisper, et videbitis me, quia ego vado ad Patrem.
17 Dixerunt ergo *quidam* ex discipulis ejus alii ad alios, Quid est hoc quod dicit nobis, Paulisper, et non conspicietis me; et rursus paulisper, et videbitis me, et, Quia ego vado ad Patrem?
18 Dicebant ergo, Quid illud est quod dicit, Paulisper? nescimus quid loquatur.
19 Cognovit autem Jesus eos velle ipsum interrogare, et dixit eis, De hoc quæritis inter vos, quod dixi, Paulisper, et non conspicietis me; et
20 iterum, Paulisper, et videbitis me? Amen, amen, dico vobis, Flebitis vos, et lamentabimini, mundus autem gaudebit: vos vero tristitia afficiemini,
21 sed tristitia vestra evadet in gaudium. Mulier,

quum parit, dolorem habet, quoniam advenit
hora ejus; postquam autem pepererit puerulum,
jam non meminit afflictionis, propter gaudium
22 quod homo sit natus in mundum. Et vos igitur
nunc quidem tristitia tenemini; sed rursum vi-
debo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium
23 vestrum nemo tollet a vobis. Et illo die me
non interrogabitis quicquam.

Amen, amen, dico vobis, Quæcunque petieritis
24 a Patre in nomine meo, dabit vobis. Usque ad-
huc non petiistis quicquam in nomine meo: pe-
tite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.
25 Hæc locutus sum vobis per similitudines: veniet
tempus quum non amplius per similitudines lo-
quar vobis, sed aperte de Patre nuncium affe-
26 ram vobis. Illo die in nomine meo petetis;
et non dico vobis me rogaturum Patrem pro vo-
27 bis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me
28 amastis, et credidistis me a Deo prodiisse. Pro-
dii a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo
mundum, et proficiscor ad Patrem.

29 Dicunt ei discipuli ejus, Ecce, nunc aperte
30 loqueris, nec similitudinem ullam dicis. Nunc
scimus te scire omnia, nec opus esse tibi ut quis
te interroget: per hoc credimus te a Deo pro-
diisse.

31 Respondit eis Jesus, Nunc creditis? 32 Ecce,
veniet tempus, et jam venit, quum dispergemini
unusquisque ad sua, meque solum relinquetis:
sed non sum solus; nam Pater mecum est.

33 Hæc locutus sum vobis ut in me pacem ha-
beatis; in mundo afflictionem habebitis; sed con-
fidite, ego vici mundum.

17 Hæc locutus est Jesus, et sustulit oculos suos
in cœlum, dixitque, Pater, venit hora illa: glori-
fica Filium tuum, ut et Filius tuus glorificet te:

2 sicut dedisti ei auctoritatem *in* omnem carnem,
ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.
3 Hæc est autem vita æterna, ut te cognoscant
esse illum solum verum Deum, et quem misisti
4 Jesum Christum. Ego te glorificavi in terra;
opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem.
5 Nunc igitur glorifica me tu, Pater, apud temet-
ipsum, ea gloria quam habui apud te priusquam
mundus esset.
6 Manifestum feci nomen tuum hominibus quos
dedisti mihi *selectos* e mundo: tui erant, et mihi
eos dedisti; et sermonem tuum observarunt.
7 Nunc noverunt omnia quæ dedisti mihi a te esse;
8 quia verba quæ tradidisti mihi, tradidi eis; et
ipsi receperunt, et vere norunt me a te prodiisse,
et crediderunt me a te missum esse.
9 Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed
10 pro *iis* quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea
omnia tua sunt, et tua mea sunt; et glorificatus
11 sum in eis. Et non sum amplius in mundo, sed
isti sunt in mundo, et ego ad te venio. Pater
sancte, conserva eos per nomen tuum quos de-
12 disti mihi, ut sint unum, prout *et* nos. Quum
essem cum eis in mundo, ego custodiebam eos
per nomen tuum; quos dedisti mihi ego custo-
divi, et nemo ex eis periit, nisi filius ille perdi-
13 tionis; ut scriptura impleretur. Nunc autem ad
te venio, et hæc loquor in mundo, ut habeant
14 gaudium meum plenum apud se. Ego tradidi
eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit,
quia non sunt ex mundo, prout et ego non sum
15 ex mundo. Non rogo ut tollas eos e mundo,
16 sed ut eos a maligno illo conserves. Ex mundo
17 non sunt, prout ego non sum ex mundo. Sancti-
fica eos tua veritate: sermo ille tuus veritas est.
18 Sicut me misisti in mundum, *ita* et ego misi eos

19 in mundum: et eorum causa ego sanctifico me-
ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.
20 Non tantum autem pro istis rogo, sed et pro
iis qui per sermonem eorum credituri sunt in
21 me: ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me,
et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut
22 credat mundus me a te missum esse. Et ego
23 gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint
unum, sicut et nos unum sumus: ego in eis, et
tu in me, ut sint consummati in unum, et ut
cognoscat mundus quod tu me miseris, et eos
diligas, prout me dilexisti.
24 Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum
ego, et illi sint mecum; ut spectent gloriam il-
lam meam quam dedisti mihi; quia dilexisti me
ante jactum mundi fundamentum.
25 Pater juste, mundus te non novit: ego autem
te novi, et hi noverunt me a te missum esse.
26 Et notum ipsis feci nomen tuum, et notum fa-
ciam; ut charitas, qua dilexisti me, sit in eis,
et ego in eis.
18 HÆC quum dixisset Jesus, abiit cum disci-
pulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hor-
tus, in quem introivit ipse et discipuli ejus.
2 Noverat autem eum locum etiam Judas, qui
prodebat eum, quia Jesus frequenter cum disci-
3 pulis suis illuc convenerat. Judas ergo, quum
accepisset cohortem, et a primariis sacerdotibus
ac Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis,
et facibus, et armis.
4 Jesus itaque sciens omnia ipsi superventura,
5 prodiens dixit eis, Quem quæritis? Responderunt
ei, Jesum Nazaræum. Dicit eis Jesus, Ego *is*
sum. Stabat autem cum eis etiam Judas qui
6 prodebat eum. Ut ergo dixit eis, Ego *is* sum,
abierunt retrorsum, et ceciderunt humi.

7 Iterum igitur rogavit eos, Quem quæritis? Illi
8 autem dixerunt, Illum Jesum Nazaræum. Respondit Jesus, Dixi vobis me eum esse; ergo, si
9 me quæritis, sinite hos abire: ut impleretur sermo quem dixerat, Ex iis quos dedisti mihi non perdidi quenquam.
10 Simon autem Petrus, quum gladium haberet, eduxit eum, et feriit servum pontificis maximi, et abscidit auriculam ejus dextram: erat autem
11 nomen servo Malchus. Dicit ergo Jesus Petro, Reconde gladium tuum in vaginam: annon bibam poculum quod dedit mihi Pater?
12 Cohors igitur et tribunus et ministri Judæorum
13 comprehenderunt Jesum, et vinxerunt eum; et abduxerunt primum ad Annam, erat enim socer Caiaphæ, qui erat pontifex maximus anni illius;
is vero misit eum vinctum ad Caiapham ponti-
14 ficem maximum. Erat autem Caiaphas is qui consilium dederat Judæis, expedire ut unus homo moreretur pro populo.
15 Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus vero ille notus erat pontifici maximo, et simul introiit cum Jesu in
16 aulam pontificis maximi. Petrus autem stabat extra ad ostium. Exivit ergo discipulus ille alter qui erat notus pontifici maximo, et locutus est
17 ostiariæ, et introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria, Nonne et tu ex discipulis es ho-
18 minis istius? Dicit ille, Non sum. Adstabant autem servi et ministri, qui prunas congesserant, quia frigus erat, et sese calefaciebant; erat vero cum eis etiam Petrus adstans, et sese calefaciens.
19 PONTIFEX maximus ergo interrogavit Jesum de discipulis ejus, et de doctrina ipsius.
20 Respondit ei Jesus, Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, et in

templo, quo undique Judæi conveniunt, et in oc-
21 culto *loco* locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid sim ipsis locutus; ecce, hi sciunt quæ dixerim ego.
22 Hæc autem quum ipse dixisset, unus ex ministris qui adstabat, bacillo cecidit Jesum, dicens, Ita*ne* respondes pontifici maximo?
23 Respondit ei Jesus, Si male locutus sum, testificare de malo; sin bene, cur me cædis?
24 Miserat igitur eum Annas vinctum ad Caiapham pontificem maximum.
25 Stabat autem Simon Petrus, et *sese* calefaciebat; dixerunt igitur ei, Num et tu ex discipulis
26 ejus es? Negavit ille, et dixit, Non sum. Dicit ei quidam ex servis pontificis maximi, cognatus ejus cujus absciderat Petrus auriculam, Nonne
27 ego te vidi in horto cum eo? Rursus ergo negavit Petrus, et statim gallus vocem emisit.
28 DUCUNT ergo Jesum a Caiapha in prætorium; erat autem mane, et ipsi non introierunt in prætorium, ne polluerentur, sed ut ederent Pascha.
29 Prodiit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit, Quam accusationem adfertis adversus hominem istum?
30 Responderunt et dixerunt ei, Nisi iste esset maleficus, non tradidissemus eum tibi.
31 Dicit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, et secundum legem vestram condemnate eum.
Itaque Judæi dixerunt ei, Nobis non licet
32 interimere quenquam. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixerat, significans qua morte futurum erat ut moreretur.
33 Regressus est ergo in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, dixitque ei, Tu*ne* es rex ille Judæorum?
34 Respondit ei Jesus, A teipso tu hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35 Respondit Pilatus, Nunquid ego Judæus sum? gens tua et primarii sacerdotes tradiderunt te mihi: quid fecisti?

36 Respondit Jesus, Regnum meum non est ex hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certassent ne traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc.

37 Dixit ergo ei Pilatus, Ergo rex es tu?

Respondit Jesus, Tu dicis me regem esse: ego ad hoc genitus sum, et ad hoc veni in mundum, ut dem testimonium veritati. Quisquis est ex veritate audit vocem meam.

38 Dicit ei Pilatus, Quid est veritas?

Et quum hoc dixisset, rursum prodiit ad Judæos, et dixit eis, Ego nullum invenio crimen
39 in eo. Est autem vobis consuetudo, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultisne ergo dimittam vobis regem illlum Judæorum?

40 Clamitarunt autem rursum omnes dicentes, Nequaquam istum, sed Barabbam. Erat autem ille Barabbas latro.

19 Tunc ergo assumpsit Jesum Pilatus, et flagel-
2 lavit. Et milites contexuerunt coronam e spinis, et imposuerunt ipsius capiti, et pallio purpureo
3 induerunt eum. Et dicebant, Ave rex Judæorum! Et bacillis eum cædebant.

4 Prodiit ergo rursum Pilatus foras, et dixit eis, Ecce, adduco vobis eum foras, ut noveritis me
5 nullum in eo crimen invenire. Prodiit ergo Jesus foras, ferens spineam illam coronam, et purpureum illud pallium. Et dixit eis *Pilatus*, Ecce homo.

6 Quum autem intuiti essent eum primarii sacerdotes et *eorum* ministri, clamitarunt, dicentes, Crucifige, crucifige.

Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo crimen.

7 Responderunt ei Judæi, Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.
8 Quum ergo audivisset Pilatus hunc sermonem,
9 magis metuit. Et rursus ingressus est in prætorium, et dixit Jesu, Unde es tu? Jesus autem responsum ei non dedit.
10 Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? nescis me auctoritatem habere crucifigendi te, et auctoritatem habere te dimittendi?
11 Respondit Jesus, Non haberes auctoritatem in me ullam, nisi *hoc* tibi datum esset superne: propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.
12 Ex eo *tempore* studebat Pilatus eum dimittere: Judæi vero clamabant, dicentes, Si hunc dimiseris, non es amicus Cæsaris: quicunque se regem facit, contradicit Cæsari.
13 Pilatus ergo quum audisset hunc sermonem, eduxit foras Jesum; conseditque in tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem
14 Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ, hora vero quasi sexta: tum dicit Judæis, Ecce rex vester.
15 Illi vero clamitarunt, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt primarii sacerdotes, Non habemus regem nisi Cæsarem.
16 Tunc ergo tradidit eum ipsis, ut crucifigeretur. Assumpserunt autem Jesum, et abduxerunt.
17 Et *ipse* portans crucem suam prodiens venit in eum locum qui dicitur Calvariæ, Hebraice autem
18 Golgotha: ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum.
19 Scripsit autem etiam titulum Pilatus, et imposuit cruci. Erat vero scriptum, JESUS NAZARÆUS REX ILLE JUDÆORUM.

20 Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt; quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus erat Jesus: et erat scriptum Hebraice, Græce, *et* Romane.

21 Dixerunt igitur Pilato primarii sacerdotes Judæorum, Ne scribito, Rex ille Judæorum: sed illum dixisse, Rex sum Judæorum.

22 Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.

23 Milites ergo, quum crucifixissent Jesum, acceperunt ejus vestimenta (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) et tunicam: erat autem tunica inconsutilis a summo contexta
24 tota. Dixerunt ergo inter se, Ne findamus eam, sed sortiamur de illa, cujus futura sit: ut Scriptura impleretur, dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, et super veste mea jecerunt sortem (Ps. 22, 18). Milites igitur hæc fecerunt.

25 Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus, et soror matris ejus, Maria Clopæ *uxor*, et Maria
26 Magdalene. Quum vidisset ergo Jesus matrem, ac discipulum adstantem quem diligebat, dicit
27 matri suæ, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora recepit eam discipulus ille domum suam.

28 Postea, quum sciret Jesus *reliqua* omnia jam ad finem perducta esse, ut consummaretur scri-
29 ptura, dixit, Sitio. Vas igitur *illic* erat positum aceto plenum. Illi vero impleverunt spongiam aceto, et hyssopo circumdatam admoverunt ori
30 ejus. Quum autem accepisset Jesus acetum, dixit, Consummatum est: et inclinato capite tradidit spiritum.

31 Judæi ergo, ut non manerent in cruce corpora sabbato, quoniam erat parasceve, (erat enim magnus dies illius sabbati,) rogarunt Pilatum ut

32 confringerentur eorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites, et prioris quidem *latronis* confregerunt crura, et alterius qui crucifixus fu-
33 erat cum eo. Ad Jesum autem quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt
34 ejus crura: sed quidam ex militibus lancea latus ejus fodit: et statim exivit sanguis et aqua.
35 Et qui vidit, testatur; et firmum est testimonium ejus; ille, *inquam*, scit se vera dicere, ut *et*
36 vos credatis. Facta sunt enim hæc ut scriptura impleretur, *dicens*, Non conteretur *ullum*
37 os ipsius (Ex. 12, 46. Ps. 34, 20). Et rursus alia scriptura dicit, Intuebuntur in *eum* quem transfixerunt (Zach. 12, 10).
38 Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph Arimathæensis (ut qui esset discipulus Jesu, sed occultus, propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu: quod permisit Pilatus. Venit ergo,
39 et sustulit corpus Jesu. Venit autem et Nicodemus (is qui venerat ad Jesum nocte primum,) ferens misturæ myrrhæ et aloes libras quasi cen-
40 tum. Acceperunt ergo corpus Jesu, et obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis funerare.
41 In eo autem loco ubi fuerat crucifixus, erat hortus, et in horto monumentum novum, in quo
42 nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo, propter parasceven Judæorum, quod monumentum illud prope esset, posuerunt Jesum.

20 PRIMO vero die hebdomadis, Maria Magdalene venit mane, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et videt lapidem illum sublatum a
2 monumento. Currit ergo et venit ad Simonem Petrum, et ad alterum illum discipulum quem amabat Jesus, et dicit eis, Sustulerunt Dominum e monumento, et nescimus ubi posuerint eum.

3 Exivit ergo Petrus, et alter ille discipulus, et
4 venerunt ad monumentum. Currebant autem duo
simul; sed alter ille discipulus præcurrit citius
5 Petro, venitque prior ad monumentum. Et quum
se incurvasset vidit posita lintea: non tamen
6 introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum,
et introivit in monumentum, et conspexit lintea
7 *ibi* posita; et sudarium quod fuerat super caput
ejus, non cum linteis positum, sed seorsum in-
8 volutum in unum locum. Tunc ergo introivit
etiam alter ille discipulus, qui venerat prior ad
9 monumentum, viditque et credidit. Nondum
enim noverant scripturam, videlicet, quod opor-
teret eum a mortuis resurgere.
10 Redierunt ergo illi discipuli ad suos.
11 Maria vero flens stabat ad monumentum fo-
ris: dum ergo fleret, incurvavit se in monumen-
12 tum. Et conspexit duos angelos albatos, sedentes,
unum ad caput, et alterum ad pedes, *illic* ubi
13 jacuerat corpus Jesu: *qui* etiam dixerunt ei, Mu-
lier, quid fles?

Dicit eis, Sustulerunt Dominum meum, nec
scio ubi posuerint eum.
14 Et quum hæc dixisset, convertit se retrorsum,
conspexitque Jesum adstantem, nec sciebat Jesum
15 esse. Dicit ei Jesus, Mulier, quid fles? quem
quæris?

Illa putans olitorem esse, dicit ei, Domine, si
tu ipsum asportasti, dicito mihi ubi posueris eum,
et ego eum tollam.
16 Dicit ei Jesus, Maria.

Illa se convertens dicit ei, Rabboni, quod di-
citur Magister.
17 Dicit ei Jesus, Ne me tangito; nondum enim
ascendi ad Patrem meum: sed proficiscere ad
fratres meos, et dic eis, Ascendo ad Patrem

meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum.

18 Venit Maria Magdalene renuncians discipulis, quod vidisset Dominum, et *quod* ea sibi dixisset.

19 QUUM ergo vespera esset, die illo primo hebdomadis, et fores essent clausæ, *illic* ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, stetitque in medio *ipsorum*,

20 et dixit eis, Pax vobis. Et quum hæc dixisset, ostendit eis manus ac latus suum. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.

21 Dicit autem eis iterum, Pax vobis: sicut misit

22 me Pater, ita et ego mitto vos. Et quum hæc dixisset, afflavit *eos;* et dixit eis, Accipite Spiri-

23 tum Sanctum. Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; si quorum retinueritis, retenta sunt.

24 THOMAS autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venerat Je-

25 sus. Dixerunt igitur ei alii discipuli, Vidimus Dominum.

Ille vero dixit eis, Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, et immisero digitum meum in vestigium clavorum, et immisero manum meam in latus ejus, nequaquam credam.

26 OCTO vero post diebus rursus erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis; venit Jesus, foribus clausis, et stetit in medio *ipsorum*, et dixit,

27 Pax vobis. Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et profer manum tuam, et immitte in latus meum; et ne esto incredulus, sed credens.

28 Respondit autem Thomas, et dixit ei, Domine mi, et Deus mi.

29 Dicit ei Jesus, Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt.

30 MULTA vero etiam alia signa edidit Jesus in

discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt
31 scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt ut credatis Jesum esse illum Christum Filium illum Dei, et ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.

21 POSTEA sese conspiciendum præbuit rursus Jesus discipulis apud mare Tiberiadis: sic autem
2 sese conspiciendum præbuit. Erant simul Simon Petrus, et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael qui erat ex Cana *urbe* Galilææ, et *filii*
3 Zebedæi, aliique ex discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus, Abeo piscatum. Dicunt ei, Imus et nos tecum. Exierunt, et ascenderunt in navigium statim: et illa nocte nihil prehenderunt.
4 Mane vero jam exorto, stetit Jesus ad litus;
5 nesciebant tamen discipuli Jesum esse. Dicit igitur eis Jesus, Pueri, num quid obsonii habetis?
6 Responderunt ei, Non. At ille dixit eis, Jacite rete in dextram navigii partem, et invenietis. Jecerunt ergo, et nequibant amplius illud trahere præ multitudine piscium.
7 Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro, Dominus est.

Simon ergo Petrus, quum audivisset Dominum esse, amiculum succinxit, (erat enim nudus,) et
8 abjecit se in mare. Alii vero discipuli navigio venerunt (non enim longe aberant a terra, sed circiter cubitis ducentis), trahentes rete *plenum* piscium.
9 Ut autem descenderunt in terram, vident prunas positas, et piscem impositum, et panem.
10 Dicit eis Jesus, Adferte ex piscibus quos modo
11 cepistis. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus: et quum tot essent, non est fissum rete.

12 Dicit eis Jesus, Venite, prandete. Nullus autem discipulorum audebat eum interrogare, Tu
13 quis es? quum scirent Dominum esse. Venit ergo Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter.
14 Ista jam tertia vice conspicuum præbuit sese Jesus discipulis suis postquam suscitatus fuerat ex mortuis.
15 Quum ergo pransi essent, dicit Simoni Petro Jesus, Simon *fili* Jonæ, diligis me plus quam hi?
Dicit ei, Certe, Domine, tu nosti quod amem te.
Dicit ei, Pasce agnos meos.
16 Dicit ei rursum secundo, Simon *fili* Jonæ, diligis me?
Ait illi, Certe, Domine, tu nosti quod amen te.
Dicit ei, Pasce oves meas.
17 Dicit ei tertio, Simon *fili* Jonæ, amas me?
Tristitia fuit affectus Petrus quod tertio dixisset ipsi, Amas me? dixitque ei, Domine, tu omnia nosti; tu nosti quod amem te.
18 Dicit ei Jesus, Pasce oves meas. [18] Amen, amen, dico tibi, Quum esses junior, cingebas te, et ambulabas quo volebas: quum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et transferet quo noles.
19 Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset Deum. Et quum hoc dixisset, dicit ei, Sequere me.
20 Conversus vero Petrus videt illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuerat in cœna illa super pectus ejus, et dixerat,
21 Domine, quis est ille qui te prodit? Hunc ergo quum vidisset Petrus, dicit Jesu, Domine, hic autem quid?
22 Dicit ei Jesus, Si velim eum manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

23 Exiit ergo sermo iste inter fratres, discipulum
illum non moriturum: sed non dixerat ei Jesus,
Non morietur: sed, Si eum velim manere donec
veniam, quid ad te?
24 Hic est discipulus ille qui de his testatur, et hæc
scripsit: et scimus firmum esse testimonium ejus.
25 SUNT autem et alia multa quæ fecit Jesus,
quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem
ipsum opinor capturum eos qui scriberentur
libros. Amen.

ACTA SANCTORUM APOSTOLORUM.

1 PRIMUM quidem librum confeci, Theophile,
de omnibus quæ cœpit Jesus et facere et docere,
2 ad *eum* usque diem, quo, quum præcepta dedis-
set Apostolis, quos per Spiritum Sanctum elege-
3 rat, sursum receptus est. Quibus etiam sese,
postquam passus fuit, exhibuit vivum cum multis
certissimis signis, per dies quadraginta conspe-
ctus ab eis, et dicens quæ ad regnum illud Dei
4 *spectant*. Et cum illis conveniens denunciavit
eis ne abscederent Hierosolymis, sed ut exspe-
ctarent promissionem Patris, quam, *inquit*, au-
5 distis ex me. Nam Joannes quidem baptizavit
aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto
istis non multis post diebus.
6 QUUM igitur ipsi convenissent, interrogarunt
eum, dicentes, Domine, an hoc ipso tempore re-
stitues regnum Israel?
7 Dixit autem ad illos, Non est vestrum nosse
tempora sive opportunitates quas Pater in sua
8 ipsius auctoritate statuit. Sed recipietis virtutem

Spiritus Sancti, postquam supervenerit in vos, eritisque mihi testes et Hierosolymis, et in tota Judæa, et Samaria, et usque ad ultimas terras.
9 Et quum hæc dixisset, aspicientibus ipsis, elevatus est: et nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum.
10 Et quum essent intentis in cœlum oculis, eo proficiscente, ecce, viri duo adstiterunt illis albo
11 vestitu. Qui et dixerunt, Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? hic Jesus qui sursum receptus est *discedens* a vobis in cœlum, ita veniet quemadmodum spectastis eum proficiscentem in cœlum.
12 Tunc reversi sunt Hierosolymam a monte qui vocatur Oliveti, qui est prope Hierosolymam,
13 distans itinere sabbati. Et quum introissent, ascenderunt in cœnaculum, ubi commorabantur et Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus *filius* Alphæi et Simon Zelotes, et Judas Jacobi *frater*.
14 Hi omnes perdurabant concorditer *in* precibus et supplicationibus, cum uxoribus, et Maria matre Jesu, et cum ipsius fratribus.
15 Et per eos dies quum assurrexisset Petrus in medio discipulorum, dixit, (erat autem turba ca-
16 pitum eodem *loci* quasi centum viginti,) Viri fratres, oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Davidis, de Juda, qui fuit viæ dux iis qui comprehenderunt
17 Jesum: annumerabatur enim nobiscum, et sortitus
18 erat sortem ministerii hujus. Is igitur acquisivit agrum ex mercede injustitiæ; et præcipitatus crepuit medius, et effusa sunt omnia viscera ejus.
19 Innotuitque omnibus habitantibus Hierosolymis; adeo ut vocetur ager ille propria ipsorum lingua

20 Aceldama, hoc est, Ager sanguinis. Scriptum
est enim in libro Psalmorum, Fiat commora-
tio ejus deserta, et non sit qui habitet
in ea (Ps. 69, 25). Et, Episcopatum ejus
21 accipiat alius (Ps. 109, 8). Oportet igitur ex
iis viris qui nobiscum convenerunt toto tempore
quo Dominus Jesus versatus est inter nos, exor-
22 sus a baptismo Joannis, ad eum usque diem quo
sursum receptus est a nobis, unum fieri nobiscum
testem resurrectionis ejus.
23 Statuerunt igitur duos, Joseph vocatum Barsa-
ban, qui cognominabatur Justus, et Matthiam.
24 Et orantes dixerunt, Tu, Domine, qui corda om-
nium nosti, ostende utrum elegeris ex his duobus:
25 ut accipiat sortem ministerii hujus et apostolatus,
a quo aberravit Judas, ut abiret in locum suum.
26 Jecerunt igitur sortes eorum; et cecidit sors
super Matthiam, qui communibus calculis allectus
est cum undecim apostolis.

2 ET quum compleretur dies Pentecostes, erant
2 omnes concorditer eodem *loci*. Tum exstitit re-
pente sonitus e cœlo, tanquam ruentis flatus
violenti, qui replevit totam domum ubi erant
3 considentes. Et visæ sunt eis dispertitæ linguæ
instar ignis, *qui* etiam sedit super unumquemque
4 eorum. Repleti sunt autem omnes Spiritu Sancto,
cœperuntque loqui aliis linguis, prout Spiritus
ille dabat eis effari.
5 Erant vero Hierosolymis habitantes Judæi,
viri religiosi, ex omni natione *eorum* qui sub
6 cœlo *sunt*. Orto autem hoc rumore, convenit
multitudo, et conturbata fuit quod audiret unus-
7 quisque *sua* propria lingua ipsos loquentes. Ob-
stupescebant autem omnes ac mirabantur, dicentes
alii ad alios, Nonne, ecce, omnes isti qui loquun-
8 tur Galilæi sunt? Quomodo igitur nos audimus

eos sua quisque lingua, in qua nati sumus?
9 Parthi et Medi, et Elamitæ, et qui incolimus
Mesopotamiam, Judæamque, et Cappadociam,
10 Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam,
Ægyptum et partes Libyæ quæ est secundum
Cyrenen, et advenæ Romani, tum Judæi tum
11 proselyti, Cretes, et Arabes, audimus eos loquen-
tes nostris linguis magnifica Dei *facta*.
12 Obstupescebant igitur omnes, et hæsitabant,
dicentes alius ad alium, Quid hoc *rei* esse pos-
13 sit? Alii vero sannis *eos* excipientes dicebant,
Vino dulci pleni sunt.
14 Consistens autem Petrus cum undecim, extulit
vocem suam, et affatus est eos, dicens, Viri Judæi,
vosque omnes qui habitatis Hierosolymis, hoc
vobis notum esto, et auribus percipite verba mea.
15 Non enim, ut vos præsumitis, isti ebrii sunt, quum
16 sit hora diei tertia: sed hoc illud est quod di-
17 ctum est per prophetam Joelem, Et erit ulti-
mis temporibus (dicit Deus) effundam ex
Spiritu meo in quamvis carnem: et pro-
phetabunt filii vestri et filiæ vestræ, et
juvenes vestri visiones videbunt, et
18 seniores vestri somnia somniabunt. Et
quidem in servos meos et in ancillas
meas in diebus illis effundam ex Spiritu
19 meo, et prophetabunt. Et edam prodigia
in cœlo sursum, et signa in terra deor-
sum, sanguinem, et ignem, et vaporem
20 fumi. Sol convertetur in tenebras, et
luna in sanguinem, priusquam veniat
21 dies ille Domini magnus et illustris. Et
futurum est, ut quicunque invocaverit
nomen Domini, servetur (Joel 2, 28—32).
22 Viri Israelitæ, audite sermones istos: Jesum
illum Nazaræum, virum a Deo approbatum apud

vos præstantibus factis, et prodigiis, et signis
quæ edidit per eum Deus in medio vestri, sicut
23 et ipsi nostis: hunc, *inquam*, definito illo con-
silio et præcognitione Dei deditum, quum acce-
pissetis, manibus sceleratis *cruci* affixum interе-
24 mistis: quem Deus suscitavit, solutis doloribus
mortis, eo quod fieri non poterat ut ipse ab ea
25 retineretur. David enim dicit de eo, Prospi-
ciebam Dominum in conspectu meo sem-
per; quoniam est mihi ad dextram, ne
26 concutiar. Propterea oblectatum est cor
meum, et exsultavit lingua mea: atque
adeo caro mea commorabitur cum spe.
27 Quoniam non deseres animam meam apud
inferos, nec sines Sanctum illum tuum
28 sentire corruptionem. Notas mihi fecisti
vias vitæ; replebis me oblectatione in
tui conspectu (Ps. 16, 8—11).
29 Viri fratres, licet libere dicere apud vos de
patriarcha David, eum et obiisse et sepultum esse,
et monumentum ejus esse apud nos ad hunc usque
30 diem. Propheta igitur quum esset, et sciret Deum
jurejurando sibi jurasse, fore ut ex fructu lumbi
ipsius, quod ad carnem attinet, Christum illum
suscitaret, *quem* collocaret super ejus throno:
31 præscius locutus est de resurrectione Christi,
non derelictam esse apud inferos animam ejus,
32 neque carnem ejus sensisse corruptionem. Hunc
Jesum suscitavit Deus: cujus *rei* omnes nos
33 sumus testes. Itaque dextra Dei sursum sublatus,
et promisso Spiritu Sancto accepto a Patre, effudit
34 hoc quod vos nunc videtis et auditis. Nec enim
David ascendit in cœlos: sed dicit ipse, Dixit
Dominus Domino meo, Sede ad dextram
35 meam, usquedum statuero inimicos tuos
scabellum pedum tuorum (Ps. 110, 1).

36 Certo sciat ergo tota domus Israelis, quod
Deus hunc fecerit Dominum et Christum, hunc
ipsum, *inquam*, Jesum quem vos crucifixistis.
37 Qui vero hæc audierunt compuncti sunt corde,
et dixerunt ad Petrum ac reliquos apostolos,
Quid faciemus, viri fratres?
38 Petrus autem ait ad eos, Resipiscite, et bapti-
zetur unusquisque vestrum in nomen Jesu Christi
in remissionem peccatorum: et accipietis donum
39 Spiritus Sancti. Vobis enim *facta est* promissio,
et liberis vestris, et omnibus longe post *futuris*,
quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus
noster.
40 Aliisque sermonibus plurimis obtestabatur, et
exhortabatur *eos*, dicens, Servamini ex gente ista
prava.
41 Qui ergo libenter receperunt sermonem ejus,
baptizati sunt: et additæ sunt *ecclesiæ* die illo
42 animæ quasi ter mille. Perdurabant autem in
doctrina apostolorum, et communicatione, et fra-
ctione panis, et orationibus.
43 Obortus est autem omnibus metus: multaque
44 prodigia et signa per apostolos fiebant. Omnes
autem qui credebant erant eodem *loci*, et habe-
45 bant omnia communia; et possessiones ac facul-
tates vendebant, et dispertiebant ea omnibus,
46 prout cuique opus erat. Et quotidie perdurantes
concorditer in templo, ac frangentes domatim
panem, capiebant cibum cum exsultatione et sim-
47 plicitate cordis; laudantes Deum, et habentes
gratiam apud totum populum. Dominus autem
addebat quotidie ecclesiæ qui salvi fierent.
3 CETERUM Petrus et Joannes simul ascende-
2 bant in templum sub horam orationis, *nempe*
nonam. Quidam autem vir claudus ab utero ma-
tris suæ portabatur: quem ponebant quotidie

ad portam templi quæ dicitur Speciosa, ut peteret
3 eleemosynam ab ingredientibus in templum. Is,
quum vidisset Petrum ac Joannem ingressuros in
templum, rogavit ut eleemosynam acciperet.
4 Intentis autem in eum oculis Petrus cum Jo-
5 anne, dixit, Aspice ad nos. Ille igitur attende-
bat eos, sperans se aliquid ab eis accepturum.
6 Petrus autem dixit, Argentum et aurum non est
mihi: quod autem habeo, hoc tibi do; In nomine
7 Jesu Christi Nazaræi surge et ambula. Et pre-
hensa manu ejus dextra, erexit *eum:* illico vero
solidatæ sunt plantæ ipsius ac malleoli.
8 Et exsiliens stetit, et ambulavit, et ingressus
est cum eis in templum, ambulans et saliens, et
9 laudans Deum. Viditque eum totus populus am-
10 bulantem et laudantem Deum. Et eum agnove-
runt illum esse qui ad *petendam* eleemosynam
sedebat ad Speciosam portam templi: et impleti
sunt pavore et stupore super eo quod ei contigerat.
11 Quum autem claudus ille, qui sanatus fuerat,
teneret Petrum et Joannem, cucurrit totus popu-
lus ad eos in porticum quæ appellatur Solomo-
nis, expavefactus.
12 Quo viso Petrus respondit populo, Viri Israe-
litæ, quid miramini de hac re? aut quid intentos
oculos in nos habetis, quasi propria potentia vel
13 pietate effecerimus ut hic ambulet? Deus ille
Abrahami, et Isaaci, et Jacobi, Deus, *inquam*,
patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum,
quem vos tradidistis et abnegastis in conspectu
Pilati, quum ille judicasset esse dimittendum.
14 Vos autem Sanctum illum et Justum abnegastis,
15 et postulastis homicidam condonari vobis; Prin-
cipem autem interemistis vitæ, quem Deus susci-
16 tavit ex mortuis; cujus *rei* nos testes sumus. Et
per fidem in nomen ipsius, hunc quem conspici-

tis ac nostis, confirmavit nomen ipsius: fides,
inquam, quæ per ipsum *est*, dedit isti integrita-
tem hanc coram omnibus vobis.
17 Sed nunc, fratres, scio vos per ignorantiam
18 *ista* fecisse, sicut et primores vestros. Deus au-
tem quæ prænunciaverat per os omnium prophe-
tarum suorum, Christum suum perpessurum, ita
19 implevit. Resipiscite, igitur, et convertite vos,
ut deleantur peccata vestra, postquam venerint
præstituta tempora refrigerationis a conspectu
20 Domini. Et miserit prius prædicatum vobis Je-
21 sum Christum: quem oportet quidem cœli capiant
usque ad tempora restitutionis omnium, de qui-
bus locutus est Deus a seculo per os omnium
sanctorum suorum prophetarum.
22 Moses etenim ad patres dixit, Prophetam
suscitabit vobis Dominus Deus vester ex
fratribus vestris, sicut me: audietis eum
in omnibus quæ locutus fuerit vobis.
23 Futurum est autem ut quisquis non au-
scultarit prophetam illum, disperdatur
24 e populo (Deut. 18, 15. 18. 19). Sed et omnes
prophetæ a Samuele et iis qui deinceps *fuerunt*
quotquot locuti sunt, etiam prænunciarunt dies
25 istos. Vos estis filii prophetarum, et pacti quod
pepigit Deus erga patres nostros, dicens ad
Abrahamum, Et in semine tuo benedictio-
26 nem consequentur omnes familiæ terræ
(Gen. 12, 3). Vobis primum Deus suscitatum Fi-
lium suum Jesum misit, qui benediceret vobis,
unoquoque *sese* avertente a pravitatibus vestris.
4 Loquentibus autem ipsis ad populum, super-
venerunt sacerdotes et præfectus templo et Sad-
2 ducæi; moleste ferentes quod docerent populum,
et annunciarent Jesum per resurrectionem ex
3 mortuis. Et injecerunt in eos manus, posuerunt-

que eos custodiendos in posterum diem; nam erat jam vespera.

4 Multi vero eorum qui audierant hunc sermonem, crediderunt: et factus est numerus virorum quasi quinquies mille.

5 FACTUM est autem postero die, ut congregarentur primores eorum et seniores et scribæ
6 Hierosolymis; et Annas pontifex maximus, et Caiaphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot
7 erant ex genere pontificio. Quum igitur statuissent eos in medio, percontati sunt, Qua potestate aut quo nomine vos hoc fecistis?

8 Tunc Petrus repletus Spiritu Sancto dixit eis,
9 Primores populi, et seniores Israelis, quandoquidem de nobis hodie quæstio habetur super beneficio in hominem infirmum *collato*, quomodo
10 *videlicet* iste servatus sit: notum sit omnibus vobis, et toti populo Israelitico, per nomen Jesu Christi Nazaræi, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit ex mortuis, per hoc, *inquam*,
11 istum adstare sanum in vestro conspectu. Hic est lapis ille pro nihilo habitus a vobis ædifican-
12 tibus, qui factus est caput anguli. Nec est in alio quoquam salus; nec enim aliud nomen est sub cœlo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.

13 Conspecta vero Petri in dicendo libertate et Joannis, compertoque homines esse illiteratos et idiotas, admirabantur, et agnoscebant eos cum
14 Jesu fuisse. Et hominem illum, qui sanatus fuerat, videntes stantem cum eis, nihil poterant contradicere.

15 Jussis autem ipsis extra concilium abire, con-
16 ferebant inter se, dicentes, Quid faciemus hominibus istis? nam conspicuum signum editum esse per eos, manifestum est omnibus habitantibus in

17 Hierosolymis, nec *id* possumus negare: sed ne
id amplius serpat in populum, minaciter intermi-
nemur eis, ne posthac ulli hominum loquantur
in nomine isto.
18 Itaque vocatis ipsis denunciarunt ne omnino
19 loquerentur neve docerent in nomine Jesu. Pe-
trus autem et Joannes respondentes dixerunt eis,
An justum sit in conspectu Dei vobis potius
20 auscultare quam Deo, judicate. Non enim pos-
sumus nos, quæ vidimus et audivimus, non loqui.
21 Illi vero, non invenientes quomodo punirent
eos, additis minis eos dimiserunt, propter popu-
lum, quia omnes glorificabant Deum super eo
22 quod factum fuerat. Annorum enim erat amplius
quadraginta homo ille, in quo editum fuerat si-
gnum istud sanationis.
23 Dimissi autem *illi* venerunt ad suos, et renun-
ciarunt quæ primarii sacerdotes et seniores ipsis
dixerant.
24 Qui quum *hæc* audissent, concorditer sustule-
runt vocem ad Deum, dixeruntque, Domine, tu
es Deus ille qui fecisti cœlum ac terram, mare,
25 et omnia quæ in eis sunt; qui Spiritu Sancto per
os Davidis pueri tui dixisti, Cur fremuerunt
gentes, et populi meditati sunt inania?
26 Adstiterunt reges terræ, et principes
congregati sunt simul adversus Domi-
num, et Christum ejus (Ps. 2, 1. 2).
27 Congregati sunt enim in hac civitate vere ad-
versus sanctum Filium tuum Jesum quem unxisti,
28 Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus, et
populis Israeliticis, ut facerent quæcunque manus
tua et consilium tuum prædefiniit ut fierent.
29 Nunc igitur, Domine, despice in minas eorum,
et da servis tuis ut cum omni libertate loquantur
30 sermonem tuum, manu tua a te extensa ad sanan-

dum, signisque et prodigiis editis per nomen sancti Filii tui Jesu.

31 Quum autem precati essent, succussus est locus in quo erant congregati: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et locuti sunt sermonem Dei cum libertate.

32 MULTITUDINIS autem eorum qui crediderant erat cor et anima una: nec quisquam aliquid eorum quæ habebat suum esse dicebat, sed erant
33 eis omnia communia. Et apostoli magna vi reddebant testimonium resurrectionis Domini Jesu:
34 et gratia magna erat super eos omnes. Nullus enim erat egenus inter eos: quotquot enim erant possessores agrorum aut domorum, vendentes ad-
35 ferebant pretia eorum quæ vendita fuerant; et deponebant ad pedes apostolorum: distribuebatur autem *hoc* singulis, prout cuique opus erat.

36 Joseph ergo, qui cognominatus est Barnabas ab apostolis (quod est, si interpreteris, filius con-
37 solationis) Levites, Cyprius genere, quum haberet agrum, vendito *eo* attulit pecuniam, deposuitque ad pedes apostolorum.

5 VIR autem quidam nomine Ananias, cum Sap-
2 phira uxore sua, vendidit possessionem; et intervertit *aliquid* ex pretio, conscia etiam uxore sua, allatamque partem aliquam ad pedes apostolorum deposuit.

3 Dixit autem Petrus, Anania, cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris *in* Spiritum Sanctum, et interverteres ex pretio istius prædii?
4 nonne, si servasses, manebat tibi, et venundatum in tua erat potestate? quid *erat* cur induceres in animum rem istam? non es mentitus hominibus, sed Deo.

5 Audiens autem Ananias hos sermones, cecidit exanimis: et exstitit metus magnus super omnes

6 audientes ista. Surgentes vero juvenes subtraxerunt eum, elatumque sepelierunt.
7 Intercessit autem ferme horarum trium intervallum, quum uxor quoque ipsius, nesciens quod
8 factum fuerat, ingressa est. Dixit autem ei Petrus, Dic mihi, num tanti prædium vendidistis? Ipsa vero dixit, Etiam, tanti.
9 Petrus autem dixit ei, Quid *est* cur convenerit inter vos ut tentaretis Spiritum Domini? ecce, pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium *adsunt*, et efferent te.
10 Illico vero cecidit ad pedes ejus, et exanimata est: ingressi autem juvenes, invenerunt eam mortuam, et elatam sepelierunt juxta virum suum.
11 Et obortus est metus magnus toti ecclesiæ et omnibus qui hæc audiebant.
12 Per manus autem apostolorum edebantur signa et prodigia multa in populo: et erant concordi-
13 ter omnes in porticu Solomonis. Reliquorum autem nemo audebat ipsis adhærere: sed magni-
14 ficabat eos populus. Imo vero adjiciebantur qui crederent Domino, multitudo *videlicet* virorum
15 simul ac mulierum. Adeo ut in plateas efferrent ægrotos et ponerent in lectis ac grabatis; ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem
16 eorum. Conveniebat autem etiam vulgus vicinarum urbium Hierosolymam, adferentes ægrotos ac vexatos a spiritibus impuris, qui sanabantur omnes.
17 CONSURGENS autem pontifex maximus, et omnes qui cum eo erant, quæ est hæresis Sad-
18 ducæorum, repleti sunt invidia: et injecerunt manus in apostolos, posueruntque eos in custodia publica.
19 Sed angelus Domini per noctem aperuit fores
20 carceris, eductisque illis, dixit, Ite, et *vos* sistentes loquimini populo in templo omnia verba vitæ

21 hujus. *Illi* vero, quum *hæc* audissent, introierunt sub diluculum in templum, et docebant.

Adveniens autem pontifex maximus, et qui cum eo *erant*, convocaverunt concilium et universum senatum filiorum Israel; miseruntque in
22 carcerem, ut illi adducerentur. Quum autem venissent ministri, non invenerunt eos in carcere:
23 *quod* reversi renunciaverunt, dicentes, Carcerem quidem invenimus clausum quam tutissime, et custodes extra stantes ante fores: quum aperuissemus autem, neminem intus invenimus.
24 Ut vero audierunt hos sermones et pontifex et præfectus templo, et primarii sacerdotes, hæsitabant super eis, quonam hoc evasurum esset.
25 Adveniens autem quidam renunciavit eis, Ecce, viri quos posueratis in carcere, stant in templo et docent populum.
26 Tunc præfectus abiens cum ministris adduxit eos, non *tamen* per vim (metuebant enim popu-
27 lum, ne lapidarentur). Adductos igitur eos statuerunt in concilio: et interrogavit eos pontifex
28 maximus, dicens, Nonne etiam atque etiam denotavimus vobis ne doceritis nomine isto? et ecce, replevistis Hierosolymam doctrina vestra, et vultis in nos inducere sanguinem hominis istius.
29 Respondens autem Petrus et apostoli dixerunt,
30 Obedire oportet Deo potius quam hominibus. Deus ille patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos
31 interfecistis suspensum in ligno: hunc, *inquam*, Deus dextra sua evectum *constituit* principem ac servatorem, ut det resipiscentiam Israeli, et remis-
32 sionem peccatorum. Et nos sumus ei testes horum quæ dicimus: atque etiam Spiritus ille Sanctus, quem dedit Deus iis qui dicto sunt audientes ipsi.
33 At illi, *his* auditis, frendebant, et consultabant de iis interficiendis.

34 Assurgens autem in concilio quidam Pharisæus,
nomine Gamaliel, legis doctor, quem totus popu-
lus in pretio habebat, jussit ut paulisper abdu-
35 cerent foras apostolos: et dixit eis, Viri Israe-
litæ, attendite vobis ipsis, quod ad istos homines
36 *attinet*, quid facturi sitis. Nam ante hæc tem-
pora exortus est Theudas, dicens se aliquem
esse: cui agglutinatus est numerus virorum cir-
citer quadringentorum: qui interemtus est, et
omnes qui paruerant ei dissoluti sunt, et ad ni-
37 hilum redacti. Post hunc exortus est Judas ille
Galilæus temporibus descriptionis, et avertit po-
pulum non parvum post se: periit et ille, et om-
38 nes qui assensi fuerant ei dispersi sunt. Nunc
itaque dico vobis, Abscedite ab hominibus istis,
et missos ipsos facite; quoniam si est ex homi-
nibus consilium hoc, sive opus istud, dissolvetur:
39 sin ex Deo est, non potestis illud dissolvere: *et*
videte ne etiam cum Deo pugnare comperiamini.
40 Assensi sunt autem ei: et quum advocassent
apostolos, cæsis mandarunt ne loquerentur in no-
mine Jesu: et dimiserunt eos.
41 Ipsi ergo gaudentes profecti sunt a conspectu
consilii, quod digni habiti essent qui pro nomine
42 Jesu contumelia afficerentur. Et quotidie in
templo et domatim non cessabant docere et
evangelizare Jesum Christum.

6 CETERUM per eos dies quum multiplicarentur discipuli, ortum est murmur Græcorum adversus Hebræos, quod ipsorum viduæ despicerentur in ministerio quotidiano.

2 Itaque duodecim illi, advocata multitudine di-
scipulorum, dixerunt, Non est æquum nos, dere-
3 licto sermone Dei, ministrare mensis. Deligite
ergo *o* fratres, ex vobis viros septem, idoneo te-
stimonio ornatos, plenos Spiritu Sancto et sapi-

4 entia, quos huic usui præficiamus. Nos vero in
oratione et administratione sermonis perdurabimus.
5 Placuit autem hic sermo toti præsenti multi-
tudini: et elegerunt Stephanum, virum plenum
fide ac Spiritu Sancto, et Philippum, et Procho-
rum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam,
6 et Nicolaum proselytum Antiochensem: quos sta-
tuerunt in conspectu apostolorum: qui adhibitis
precibus imposuerunt eis manus.
7 Itaque sermo Dei crescebat, et valde multi-
plicabatur numerus discipulorum Hierosolymis:
multaque turba sacerdotum auscultabat fidei.
8 STEPHANUS vero, plenus fide ac potentia,
9 edebat prodigia et signa magna in populo. Ex-
orti sunt autem e synagoga quæ dicitur Liberti-
norum quidam, et Cyrenæorum, et Alexandrino-
rum, et eorum qui sunt ex Cilicia et Asia,
10 altercantes cum Stephano. Sed nequiverunt ob-
sistere sapientiæ et spiritui per quem loquebatur.
11 Tunc subjecerunt quosdam qui dicerent se au-
divisse eum loquentem verba blasphema in Mosen
12 et Deum. Commoveruntque plebem et seniores
et scribas: et eum adorti, correptum adduxerunt
13 in concilium. Stiteruntque falsos testes qui di-
cerent, Homo iste non cessat loqui verba bla-
sphema adversus locum hunc sanctum et legem;
14 audivimus enim eum quum diceret, Jesum istum
Nazaræum destructurum hunc locum, et mutatu-
rum ritus quos tradidit nobis Moses.
15 Tunc intentis in eum oculis, omnes qui sede-
bant in concilio, viderunt faciem ejus quasi fa-
ciem angeli.

7 Dixit autem pontifex maximus, Num igitur
hæc ita habent?
2 Ipse vero dixit, Viri, fratres et patres, audite;
Deus ille gloriæ visus est patri nostro Abrahamo,

quum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret
3 Charris: et dixit ei, Exi ex terra tua, et ex cognatione tua, et veni in terram quamcun-
4 que ostendero tibi (Gen. 12, 1). Tunc exiit e terra Chaldæorum, et habitavit Charris: et illinc, postquam pater ejus mortuus est, transtulit eum *Deus* in terram hanc, in qua nunc vos habitatis.
5 Nec dedit ei hæreditatem in eo, ne vestigium quidem pedis; quamvis pollicitus esset se illam daturum ei obtinendam, et semini ejus post eum,
6 quum non haberet prolem. Locutus autem est ita Deus, Erit, *inquit*, semen tuum inquilinum in terra aliena, ubi servituti subjicietur, et male accipietur annis quadringentis.
7 Sed gentem cui servierint puniam ego, dicit Deus: et post hæc exibunt (Gen. 15, 13. 14), et *ipsum* colent in loco isto (Ex. 3, 12).
8 Deditque ei pactum circumcisionis: et ita *Abrahamus* genuit Isaacum, et circumcidit eum die octavo; Isaacus autem *genuit* Jacobum, et Jacobus duodecim illos patriarchas.
9 Patriarchæ vero invidia moti, Josephum venderunt *abducendum* in Ægyptum: sed erat
10 Deus cum eo. Et eruit eum ex omnibus ipsius afflictionibus, deditque ei gratiam et sapientiam coram Pharaone rege Ægypti, qui constituit eum ductorem Ægypto, et toti domui suæ.
11 Venit autem fames in universam terram Ægypti
12 et Chanaan, et afflictio magna: et non inveniebant cibos patres nostri. Quum audisset autem Jacobus
13 esse triticum in Ægypto, misit patres nostros primum. Et in secunda *profectione* agnitus est Josephus a fratribus suis, et innotuit Pharaoni genus
14 Josephi. Missis autem *nunciis*, Josephus accersivit patrem suum Jacobum, omnemque cognationem
15 suam, capitum septuaginta quinque. Descendit

ergo Jacobus in Ægyptum, obiitque ipse, et
16 patres nostri. Et translati sunt Sichemam, et
positi in monumento quod emerat Abrahamus
pretio argenti a filiis Emmoris *patris* Sichemi.
17 Quum autem appropinquaret tempus promissi-
onis quam Deus jurarat Abrahamo, crevit popu-
18 lus, et multiplicatus est in Ægypto; usquequo
exortus est alius rex, qui non noverat Josephum.
19 Hic adversus genus nostrum ingeniosus, male
accepit patres nostros, *adeo* ut exponerent in-
20 fantes suos, ne sobolescerent. Quo tempore na-
tus est Moses, qui fuit divinitus venustus, et
nutritus fuit tres menses in domo patris sui.
21 Expositum autem illum sustulit filia Pharaonis,
et nutrivit eum sibi pro filio.
22 Et eruditus fuit Moses omni sapientia Ægy-
23 ptiorum; eratque potens dictis et factis. Ut vero
expletum est ei quadraginta annorum tempus,
venit ipsi in mentem invisere fratres suos filios
24 Israelis. Et quum vidisset quendam *ex iis* affici
injuria, tutatus est *eum*, et eum ultus qui oppri-
25 mebatur, percusso Ægyptio. Existimabat autem
fratres suos intelligere, Deum per manum ipsius
26 dare ipsis salutem: at illi non intellexerunt. Sub-
sequente vero die visus est ipsis pugnantibus, et
compulit eos in pacem, dicens, Viri, fratres estis
27 vos: cur alii alios injuria afficitis? Is autem qui
injuria afficiebat proximum, repulit eum, dicens,
Quis te nobis constituit principem et ju-
28 dicem? num tu me vis interimere, quem-
admodum interemisti heri Ægyptium
29 illum (Ex. 2, 14)? Ad hunc autem sermonem
Moses fugit, et factus est advena in regione
Madiam, ubi genuit duos filios.
30 Expletis vero annis quadraginta, visus est ei
in deserto montis Sina angelus Domini in flam-

31 meo igne rubi. Moses autem ut *hoc* conspexit,
admiratus est visum: et quum accederet ad *hoc*
considerandum, exstitit ad eum vox Domini, *di-*
32 *centis*, Ego *sum* Deus ille patrum tuorum, Deus
Abrahami, et Deus Isaaci, et Deus Jacobi. Tre-
mefactus autem Moses non audebat *illud* consi-
33 derare. Dixit autem ei Dominus, Solve soleas
pedum tuorum: locus enim in quo stas
34 terra sancta est. Vidi, vidi vexationem
populi mei qui *est* in Ægypto, et suspiria
ipsorum audivi, et descendi ut eruam
eos: nunc ergo adesdum, mittam te in
Ægyptum (Ex. 3, 5—10).

35 Hunc *ergo* Mosen, quem abnegaverant, dicentes,
Quis te constituit principem et judicem? hunc, *in-*
quam, Deus misit principem et liberatorem *futu-*
36 *rum*, ductu angeli qui visus fuerat ei in rubo. Hic
eduxit illos editis prodigiis et signis in regione Ægy-
pti, et in rubro mari, et in deserto, annis quadraginta.

37 Hic est Moses ille qui dixit filiis Israel, Pro-
phetam suscitabit vobis Dominus Deus
vester e fratribus vestris sicut me: ipsum
38 audietis (Deut. 18, 15). Hic ille est, qui, con-
veniente *populo* in deserto, fuit cum angelo ipsum
alloquente in monte Sina, et cum patribus nostris,
quique excepit viva eloquia quæ nobis traderet.
39 Cui noluerunt auscultare patres nostri, sed repu-
lerunt *eum*, et aversi sunt cordibus suis in Ægy-
40 ptum: dicentes Aaroni, Fac nobis deos qui
præeant nobis; Mosi enim isti, qui eduxit
nos ex regione Ægypti, nescimus quid
41 factum sit (Ex. 32, 1). Et vitulum fecerunt per
illos dies, obtuleruntque sacrificium idolo, et
42 oblectarunt sese operibus manuum suarum. Vertit
autem *sese* Deus, et tradidit eos ad colendum exer-
citum cœli: sicut scriptum est in libro prophetarum,

Num victimas et oblationes obtulistis
mihi annis quadraginta in deserto, domus
43 Israelis? Imo bajulastis tabernaculum
Molochi, et sidus Dei vestri Remphanis,
quas figuras fecistis, ut eas adoraretis:
itaque transferam vos ad Babylonis fines
(Amos. 5, 25–27).
44 Tabernaculum testimonii fuit patribus nostris in
deserto, prout edixerat is qui dixerat Mosi, ut face-
ret illud secundum exemplar quod viderat (Ex. 25, 40.
45 26, 30). Quod etiam exceptum introduxerunt patres
nostri cum Jesu in ipsa occupatione gentium, quas
expulit Deus a conspectu patrum nostrorum, usque
46 ad dies David; qui invenit gratiam in conspectu Dei,
petiitque ut nanciscerétur tabernaculum Deo Jacob.
47 Solomon autem ædificavit ei ædem. 48 Sed Excelsis-
simus ille in manufactis templis non habitat, sicut
49 propheta dicit, Cœlum mihi thronus est; terra
autem scabellum pedum meorum. Quam
ædem ædificabitis mihi? (dicit Dominus:)
50 aut quis est locus requietis meæ? Nonne
manus mea fecit hæc omnia (Es. 66, 1. 2)?
51 Duri cervice, et incircumcisi corde et auribus,
vos semper Spiritui illi Sancto obnitimini: quales
52 *fuerunt* patres vestri, tales et vos *estis*. Quem
prophetarum non sunt persecuti patres vestri?
occiderunt, inquam, eos qui prænunciarunt ad-
ventum Justi illius, cujus nunc vos proditores et
53 interfectores facti estis; qui accepistis legem per
dispositionem angelorum, et non *eam* observastis.
54 Audientes autem hæc findebantur cordibus suis,
55 et stridebant dentibus in eum. Quum autem esset
plenus Spiritu Sancto, intentis in cœlum oculis
vidit gloriam Dei, et Jesum adstantem ad dex-
56 tram Dei; et ait, Ecce, conspicio cœlos apertos, et
Filium illum hominis adstantem ad dextram Dei.

57 Clamantes autem *illi* voce magna, continuerunt
58 aures suas, et irruerunt concorditer in eum. Et ejectum eum extra urbem, lapidarunt: testes autem deposuerunt pallia sua ad pedes adolescentis
59 qui vocabatur Saulus. Lapidarunt igitur Stephanum, invocantem, et dicentem, Domine Jesu, recipe spiritum meum.
60 Positis autem genibus, clamavit voce magna, Domine, ne statuas eis hoc peccatum. Et quum hoc dixisset, obdormivit.
8 Saulus autem ultro consenserat ipsius cædi.
Orta est vero illo die persecutio magna adversus ecclesiam quæ *erat* Hierosolymis; et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter apostolos.
2 Extulerunt autem una Stephanum viri religiosi, et planctum magnum ediderunt super eum.
3 Saulus vero vastabat ecclesiam, iens domatim: et tractos viros ac mulieres tradebat in custo-
4 diam *conjiciendos*. At qui dispersi fuerant peragrabant *regionem*, evangelizantes sermonem *Dei*.
5 PHILIPPUS vero, quum devenisset in urbem
6 Samariæ, prædicabat eis Christum. Attendebat autem turba concorditer iis quæ a Philippo dicebantur, audientes et videntes signa quæ edebat.
7 Spiritus enim impuri ex multis qui *iis* tenebantur, exibant, vociferantes voce magna: multique para-
8 lytici et claudi sanati sunt. Et gaudium magnum exstitit in illa urbe.
9 Vir autem quidam, nomine Simon, antea in urbe illa exercuerat artem magicam, et gentem
10 Samariæ obstupefecerat, dicens se esse quempiam magnum. Cui attendebant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes, Iste est potentia illa Dei
11 magna. Attendebant autem ei, propterea quod a non parvo tempore magicis artibus eos demen-

12 tarat. Quum vero credidissent Philippo evange-
lizanti quæ ad regnum Dei et nomen Jesu Christi
pertinent, baptizabantur tum viri tum mulieres.
13 Simon vero et ipse credidit; et baptizatus per-
durabat apud Philippum: et conspiciens signa et
virtutes magnas edi, obstupefiebat.
14 Quum autem audissent apostoli qui erant Hie-
rosolymis, Samariam recepisse sermonem Dei,
15 miserunt ad eos Petrum ac Joannem. Qui quum
descendissent, orarunt pro eis, ut acciperent Spi-
16 ritum Sanctum. (Nondum enim in quenquam il-
lorum illapsus fuerat, sed baptizati tantum fuerant
17 in nomen Jesu.) Deinde imposuerunt eis manus,
et receperunt *illi* Spiritum Sanctum.
18 Quum autem conspexisset Simon per imposi-
tionem manuum apostolorum dari Spiritum San-
19 ctum, obtulit eis pecunias: dicens, Date etiam
mihi potestatem hanc, ut cuicunque posuero ma-
nus, recipiat Spiritum Sanctum.
20 Petrus autem dixit ei, Pecunia tua tecum pe-
reat, qui donum Dei existimaris pecuniis acquiri.
21 Non est tibi pars neque sors in hoc negotio; cor
enim tuum non est rectum in Dei conspectu.
22 Resipisce igitur ab ista malitia tua, et deprecare
Deum, si forte remittetur tibi machinatio cordis
23 tui. Video enim te in felle amarissimo et nexu
injustitiæ positum.
24 Respondens autem Simon dixit, Deprecamini
vos pro me apud Dominum, nequid superveniat
mihi *istorum* quæ dixistis.
25 Illi igitur etiam atque etiam testificati et locuti
sermonem Dei, reversi sunt Hierosolymam, et
multis vicis Samaritanorum evangelizarunt.
26 ANGELUS autem Domini locutus est Philippo,
dicens, Surge, et vade meridiem versus, ad viam
quæ Hierosolymis descendit Gazam, quæ *via* est

27 deserta. Is igitur surgens profectus est; et ecce,
quidam Æthiops eunuchus, dynastes Candaces
reginæ Æthiopum, qui præerat universæ illius
28 gazæ, venerat Hierosolymam adoraturus: et re-
vertebatur sedens in curru suo, legebatque Esai-
am prophetam.
29 Dixit autem Spiritus Philippo, Accede, et pro-
30 xime adhæreto currui isti. Accurrens igitur Phi-
lippus audivit eum legentem Esaiam prophetam;
31 et dixit, Nempe intelligis quæ legis? At ille ait,
Quinam enim possim, nisi mihi quispiam dux viæ
fuerit? Et precatus est Philippum ut ascenderet,
sederetque secum.
32 Locus autem scripturæ quem legebat hic erat,
Ut ovis ad mactationem ductus est: et
ut agnus coram suo tonsore mutus, ita
33 non aperuit os suum: in ipsius depressi-
one judicium ejus sublatum est: seculum
autem ejus quis enarrabit? quoniam tol-
litur e terra vita ejus (Es. 53, 7. 8).
34 Respondens autem eunuchus Philippo dixit,
Rogo te, de quo istud dicit propheta? de seipso,
an de alio quopiam?
35 Tum Philippus aperuit os suum; et exorsus a
scriptura ista, evangelizavit ei Jesum.
36 Quum vero pergerent in via, venerunt ad quan-
dam aquam: tum ait eunuchus, En aquam: quid
37 prohibet me baptizari? Dixit vero Philippus, Si
credis ex toto corde, licet. Respondens autem
ille dixit, Credo Jesum Christum esse Filium
38 illum Dei. Jussitque sisti currum: ac descende-
runt ambo in illam aquam, Philippus simul et
39 eunuchus; et *ille* baptizavit eum. Quum autem
ascendissent ex aqua, Spiritus Domini rapuit
Philippum, nec amplius vidit eum eunuchus:
40 perrexit igitur in via sua, gaudens. Philippus

autem inventus est Azoti: et peragrans *regionem*, evangelizavit omnibus urbibus, usquedum veniret Cæsaream.

9 SAULUS autem adhuc spirans minas ac cædem adversus discipulos Domini, adiit pontificem
2 maximum; et petiit ab eo epistolas *perferendas* Damascum ad synagogas; ut si quos invenisset hujus sectæ, tum viros tum mulieres, vinctos abduceret Hierosolymam.

3 Quum autem iter faceret, factum est ut appropinquaret Damasco: et repente circumfudit eum
4 ut fulgur, lux e cœlo. Et quum cecidisset in terram, audivit vocem dicentem sibi, Saul, Saul, quid me persequeris?

5 Dixit autem, Quis es, Domine?

Dominus autem dixit, Ego sum Jesus quem tu persequeris: durum *fuerit* tibi contra stimulos calcitrare.

6 *Saul vero* tremens et pavens dixit, Domine, quid me vis facere?

Tum Dominus ad eum, Surge, et ingredere urbem, et dicetur tibi quid te oporteat facere.

7 Viri autem illi, qui cum Saulo iter faciebant, constiterunt muti, audientes quidem *ejus* vocem,
8 neminem autem conspicientes. Surrexit autem Saulus e terra; apertisque oculis suis, neminem videbat: manu vero ductum eum introduxerunt
9 Damascum. Fuitque tribus diebus non videns, et non edit, neque bibit.

10 Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias; ad quem dixit per visionem Dominus, Anania. Et ille ait, Ecce, ego *adsum*,
11 Domine. Tum Dominus ad eum, Surge, et proficiscere in vicum qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum *quendam* nomine, Tar-
12 sensem; ecce enim, orat: et vidit per visionem

virum, Ananiam nomine, introeuntem et imponentem sibi manum, ut visum reciperet.
13 Respondit autem Ananias, Domine, audivi ex multis de viro isto, quot malis affecerit sanctos
14 tuos Hierosolymis. Quinetiam hoc loco habet potestatem a primariis sacerdotibus vinciendi omnes qui invocant nomen tuum.
15 Dixit autem ad eum Dominus, Proficiscere: nam instrumentum electum est mihi iste, ut portet nomen meum in conspectum gentium, et re-
16 gum, et filiorum Israel: ego enim ei præmonstrabo quam multa oporteat ipsum pro nomine meo pati.
17 Abiit igitur Ananias, et introivit domum illam, et impositis ipsi manibus, dixit, Saul frater, Dominus misit me, (Jesus, *inquam*, qui visus est tibi in via qua veniebas,) ut visum recipias et implearis Spiritu Sancto.
18 Statim autem deciderunt ab oculis ejus quasi squamæ, et visum recepit illico: ac surgens ba-
19 ptizatus est. Quumque cepisset cibum, corroboratus est.

FUIT autem Saulus cum discipulis qui erant
20 Damasci, per dies aliquot. Et statim in synagogis prædicavit Christum, *nempe* eum esse Fi-
21 lium illum Dei. Obstupescebant autem omnes qui eum audiebant, et dicebant, Nonne hic est qui perdidit Hierosolymis eos qui invocabant nomen istud; et huc idcirco venit, ut vinctos eos
22 adduceret ad primarios sacerdotes? Saulus autem magis sese corroborabat, et confundebat Judæos qui habitabant Damasci, collatis testimoniis demonstrans eum esse Christum illum.
23 Expletis autem multis diebus, ceperunt simul
24 Judæi consilium illum interimendi. Sed intellectæ sunt Saulo insidiæ eorum: adservabant autem

25 portas die ac nocte, ut eum interimerent. Acceptum igitur eum discipuli nocte, per murum demiserunt, fune submissum in sporta.
26 Quum vero Saulus advenisset Hierosolymam, tentabat se propius adjungere discipulis; sed omnes metuebant eum, non credentes eum esse di-
27 scipulum. Barnabas autem acceptum eum duxit ad apostolos, et *ipse* narravit eis quomodo in via vidisset Dominum, et quod locutus esset ei, et quomodo Damasci libere locutus esset in nomine Jesu.
28 Versabatur ergo cum eis Hierosolymis. [29] Et libere in nomine Domini Jesu loquebatur, et disceptabat adversus Græcos: illi vero conabantur
30 eum interimere. Quod quum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, et emiserunt Tarsum.
31 Ecclesiæ igitur per totam Judæam et Galilæam et Samariam habentes pacem, ædificabantur; et pergentes *in* timore Domini, *et* consolatione Sancti Spiritus, multiplicabantur.
32 FACTUM est autem ut Petrus, per omnes pertransiens, deveniret etiam ad sanctos qui ha-
33 bitabant Lyddæ. Reperit autem illic quendam nomine Æneam, ab annis jam octo decumbentem
34 in grabato, qui erat paralyticus: et dixit ei Petrus, Ænea, sanat te Jesus Christus: surge, et
35 sterne tibi ipsi. *Is* autem statim surrexit. Et viderunt eum omnes qui incolebant Lyddam et Sarona, qui converterunt *se* ad Dominum.
36 Joppæ vero fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ, si interpreteris, dicitur Caprea: hæc erat dives operum bonorum et eleemosynarum
37 quas præstabat. Factum est autem per illos dies, ut illa ex infirmitate moreretur: quam, quum la-
38 vissent, posuerunt in cœnaculo. Quum autem

Lydda esset prope Joppen, discipuli, audito Petrum illic esse, duos viros miserunt ad eum, rogantes ne cunctaretur usque ad ipsos transire.
39 Exsurgens igitur Petrus venit cum eis: quem, quum advenisset, adduxerunt in cœnaculum: et adstiterunt ei omnes viduæ, flentes, et ostendentes tunicas et vestimenta quæ Dorcas faciebat,
40 quum una cum ipsis esset. Ejectis autem omnibus foras, Petrus, positis genibus, oravit: et conversus ad corpus, dixit, Tabitha, surge. Illa vero
41 aperuit oculos suos, et viso Petro resedit. Data autem ei manu *Petrus* erexit eam; et vocatis sanctis ac viduis eam vivam repræsentavit.
42 Id autem innotuit per totam Joppen, et multi
43 crediderunt in Dominum. Factumque est ut dies non paucos maneret *Petrus* Joppæ, apud Simonem quendam coriarium.
10 PORRO quidam erat Cæsareæ, nomine Cornelius, centurio ex legione quæ vocatur Italica,
2 pius ac timens Deum, cum tota domo sua, et præstans eleemosynas multas populo.
3 Qui quum assidue deprecaretur Deum, vidit per visionem manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem et dicentem ipsi, Cor-
4 neli: at ille, intentis oculis in eum et expavefactus, dixit, Quid est, Domine? Dixit autem ei, Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt
5 in memoriam in Dei conspectu. Nunc igitur mitte aliquos Joppam, et accerse Simonem qui
6 cognominatur Petrus. Is diversatur apud Simonem quendam coriarium, cui est domus apud mare: is dicet tibi quid te oporteat facere.
7 Ut autem discessit angelus qui loquebatur Cor-
8 nelio, vocavit duos ex famulis suis, et militem pium ex iis qui cum ipso erant assidui: et quum eis exposuisset omnia, misit eos Joppam.

9 Postridie vero illis iter facientibus et appro-
pinquantibus urbi, ascendit Petrus in solarium ut
10 oraret, circa horam sextam. Factum est autem
ut valde esuriret, voluitque capere cibum: paran-
tibus igitur illis, incidit in eum mentis excessus.
11 Conspexitque cœlum apertum, ac descendens ad
se vas quoddam ut linteum magnum, quatuor ex-
tremis devinctum, quod demittebatur in terram;
12 in quo erant quævis quadrupedia terræ, et feræ,
13 et reptilia, et volucres cœli. Et exstitit vox ad
14 eum, Surge, Petre, macta et ede. Ait autem
Petrus, Nequaquam, Domine: nunquam enim edi
15 quicquam pollutum vel impurum. Tum vox rur-
sus ad eum secundo, Quæ Deus purificavit, tu ne
16 polluito. Hoc autem factum est ter: et rursum
receptum est vas in cœlum.

17 Quum autem apud se Petrus hæsitaret, *cogi-
tans* quodnam esset visum illud quod viderat, tum
ecce, viri qui missi fuerant a Cornelio, percon-
tati de domo Simonis, supervenerunt ad vestibu-
18 lum; et evocato *quopiam*, percontati sunt an
Simon, qui cognominaretur Petrus, illic diversa-
retur?

19 Petro vero cogitante de visione, dixit ei Spi-
20 ritus, Ecce, tres viri quærunt te. Surgens itaque
descende, et nihil addubitans proficiscere cum
eis: nam ego eos misi.

21 Quum descendisset ergo Petrus ad viros illos
qui ad ipsum missi fuerant a Cornelio, dixit,
Ecce, ego *is* sum quem quæritis: quæ causa est
propter quam adestis?

22 Ipsi vero dixerunt, Cornelius centurio, vir ju-
stus et timens Deum, et ornatus testimonio totius
gentis Judæorum, divinitus admonitus est ab an-
gelo sancto, ut accerseret te domum suam, et
abs te quædam audiret.

23 Intro vocatos igitur eos accepit hospitio. Postridie vero Petrus abiit cum eis, et quidam ex
24 fratribus Joppensibus comitati sunt eum. Et altero post die introierunt Cæsaream. Cornelius autem exspectabat eos, convocatis cognatis suis et necessariis amicis.
25 Ut autem factum est ut introiret Petrus, occurrens ei Cornelius et accidens ad ejus pedes, adoravit.
26 Petrus vero erexit eum, dicens, Surge: et ego ipse homo sum.
27 Et colloquens cum eo, ingressus est, invenit-
28 que multos qui convenerant: dixitque eis, Vos scitis Judæo nefas esse propius adjungere se aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, ne quem pollutum vel impurum hominem dice-
29 rem. Quapropter etiam nihil oblocutus veni accersitus. Percontor, igitur, qua ratione me accersiveritis?
30 Tum Cornelius ait, Nudiusquartus usque ad hanc horam eram jejunus, et hora nona orabam domi meæ; et ecce, quidam stetit ob oculos
31 meos, veste splendida: dixitque, Corneli, exauditæ sunt orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ in
32 memoriam venerunt in conspectu Dei. Mitte ergo Joppam, et accerse Simonem qui cognominatur Petrus: hic diversatur in ædibus Simonis coriarii, apud mare: qui, quum advenerit, loque-
33 tur tibi. Eodem igitur *momento* misi ad te: et tu bene fecisti qui adveneris. Nunc ergo omnes nos in conspectu Dei adsumus, ut audiamus omnia quæ tibi præcepta sunt a Deo.
34 Petrus autem, ore aperto, dixit, Vere depre-
35 hendo Deum non respicere ad personam: sed in quavis gente acceptum ei esse quemvis qui eum
36 timeat, et operam det justitiæ. Quem sermonem

significavit filiis Israelis, evangelizans pacem per
37 Jesum Christum, qui est omnium Dominus. Vos
nostis quod gestum est in tota Judæa, initio fa-
cto a Galilæa, post baptisma quod prædicavit
38 Joannes: ut Jesum illum a Nazaretha unxerit
Deus Spiritu Sancto et potentia, qui obambula-
vit beneficiis afficiens, et sanans omnes sub dia-
boli potestatem redactos, quoniam Deus erat
39 cum eo. Et nos sumus testes omnium quæ in
regione Judæorum et Hierosolymis fecit; quem
40 interemerunt suspensum in ligno. Hunc Deus
excitavit tertio die, fecitque ut conspicuus fieret;
41 non toti populo, sed testibus quos ipse prius
designaverat, *nimirum* nobis qui comedimus ac
bibimus una cum eo, posteaquam resurrexit a
42 mortuis. Mandavit autem nobis ut prædicemus
populo, ac etiam atque etiam testificemur eum
esse qui definitus sit a Deo judex vivorum ac
43 mortuorum. Huic etiam omnes prophetæ testi-
monium dant, remissionem peccatorum accepturum
per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum.
44 Adhuc loquente Petro verba ista, illapsus est
Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant hunc
45 sermonem. Et fideles qui *erant* ex circumcisi-
one, et venerant cum Petro, obstupuerunt, quod
etiam in gentes effusum esset donum Spiritus
46 Sancti: audiebant enim eos loquentes linguis, ac
magnificantes Deum.
47 Tunc respondit Petrus, [47] Num quis aquam pro-
hibere potest, quominus *videlicet* baptizentur isti
qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos?
48 Et præcepit eos baptizari in nomen Domini. Tunc
rogaverunt eum ut *ibi* permaneret ad dies aliquot.
11 Audierunt autem apostoli et fratres qui erant
in Judæa, gentes etiam recepisse sermonem Dei.
2 Quum igitur ascendisset Petrus Hierosolymam,

disceptarunt adversus eum qui *erant* ex circum-
3 cisione, dicentes, Ad viros præputium habentes
introisti, et una edisti cum eis.
4 Exorsus autem Petrus, *omnia* exposuit eis or-
5 dine, dicens, Ego eram in civitate Joppa orans:
et visum in mentis excessu vidi, *nempe* descen-
dens vas quoddam, ceu linteum magnum, quod
quatuor extremis demittebatur e cœlo, et ad me
6 usque venit. In quod quum intendissem oculos,
animadverti, et vidi quadrupedia terræ, et feras,
7 et reptilia, et volucres cœli. Audivi autem vo-
cem dicentem mihi, Surge, Petre, macta et ede.
8 Dixi vero, Nequaquam, Domine: nam nihil com-
mune aut impurum unquam introivit in os meum.
9 Respondit autem mihi vox secundo e cœlo, Quæ
10 Deus purificavit, tu ne polluito. Idque ter factum
est, et rursus omnia sursum retracta sunt in cœ-
11 lum. Tum, ecce, eodem momento tres viri super-
venerunt in ædes in quibus eram, Cæsarea missi
12 ad me. Dixit vero mihi Spiritus, ut irem cum
eis, nihil addubitans. Venerunt autem mecum
etiam sex isti fratres, et ingressi sumus domum
13 viri illius: qui renunciavit nobis quomodo vidis-
set angelum domi suæ, qui adstitisset ac dixisset
ipsi, Mitte aliquos Joppam, et accerse Simonem
14 qui cognominatur Petrus: qui tibi ea dicturus est,
15 per quæ tu serveris et tota domus tua. Quum
autem cœpissem loqui, illapsus est Spiritus San-
ctus in eos, quemadmodum et in nos in principio.
16 Recordatus sum vero illius dicti Domini, quum
diceret, Joannes quidem baptizavit aqua, vos
17 vero baptizabimini Spiritu Sancto. Postquam igi-
tur par illud donum dedit eis Deus, ut et nobis,
quum crediderunt in Dominum Jesum Christum,
quis eram ego qui Deum possem inhibere?
18 His autem auditis quieverunt, et glorificaverunt

Deum, dicentes, Nempe etiam gentibus Deus resipiscentiam dedit ad vitam.

19 CETERUM qui dispersi fuerant ex afflictione orta ob Stephanum, transierunt usque in Phœniciam, et Cyprum, et Antiochiam, nemini loquen-
20 tes sermonem *Dei*, nisi solis Judæis. Erant autem quidam Cyprii et Cyrenenses, qui ingressi Antiochiam, locuti sunt Græcis, evangelizantes
21 Dominum Jesum. Fuit autem manus Domini cum eis: multusque numerus, fide ipsis habita, conversus est ad Dominum.

22 Pervenit autem hic rumor ad aures ecclesiæ quæ erat Hierosolymis: miserunt igitur Barnabam
23 ut pergeret Antiochiam usque. Qui quum advenisset et vidisset gratiam Dei, gavisus est, et hortatus est omnes ut proposito cordis permane-
24 rent cum Domino: nam erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto et fide: et adjuncta est non parva turba Domino.

25 Abiit autem Barnabas Tarsum, ut requireret
26 Saulum: et eum inventum duxit Antiochiam. Factumque est ut annum totum congregarentur in ecclesia, docerentque turbam non parvam: et discipuli nominarentur primum Antiochiæ Christiani.

27 Per id tempus autem descenderunt Hierosoly-
28 mis prophetæ Antiochiam. Et unus eorum surgens, nomine Agabus, significavit per Spiritum, famem magnam futuram in toto terrarum orbe:
29 quæ etiam fuit sub Claudio Cæsare. Singuli vero discipulorum, prout cuique suppetebat, decreverunt subministrationis causa mittere *aliquid* fra-
30 tribus habitantibus in Judæa. Quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manum Barnabæ et Sauli.

12 CETERUM per id tempus injectis rex Herodes manibus, male accepit nonnullos ex ecclesia.

2 Interemit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.
3 Et quum vidisset *hoc* placere Judæis, perrexit comprehendere etiam Petrum: (erant autem dies
4 azymorum:) quem etiam prehensum, conjecit in carcerem, traditum quatuor quaternionibus militum, ut eum custodirent: volens eum post Pascha
5 producere populo. Petrus igitur asservabatur in carcere: orationes autem assiduæ fiebant ab ecclesia ad Deum pro ipso.
6 Quum vero producturus esset eum Herodes, nocte illa dormiebat Petrus inter duos milites, vinctus catenis duabus, et custodes ante ostium
7 observabant carcerem. Et ecce, angelus Domini supervenit, et lux splenduit in carcere: et pulsato latere Petri, excitavit eum, dicens, Surge
8 cito. Et exciderunt ei catenæ ex manibus. Dixitque ei angelus, Præcinge *te*, et subliga sandalia tua. Fecit autem ita. Tum *ille* dixit ei, Amici-
9 tor pallio tuo, et sequere me. Itaque egressus *Petrus* sequebatur eum, nec sciebat verum esse quod fiebat per angelum, sed putabat *se* visum
10 *aliquod* cernere. Quum autem transivissent primam ac secundam custodiam, venerunt ad portam Ferream, quæ ducit in civitatem, quæ sua sponte aperta est eis: et egressi progressi sunt per vicum unum; et statim abscessit angelus ab eo.
11 Tum Petrus ad se reversus dixit, Nunc vere agnosco Dominum emisisse angelum suum, et eruisse me e manu Herodis, et ex omni exspectatione populi Judæorum.
12 Et *re* apud se considerata, venit domum Mariæ matris Joannis, qui cognominabatur Marcus, ubi
13 erant non pauci congregati et orantes. Quum pulsasset autem Petrus ostium vestibuli, prodiit
14 puella ut subauscultaret, nomine Rhode. Quæ agnita voce Petri, præ gaudio non aperuit vesti-

bulum, sed intro currens renunciavit adstare
15 Petrum ante vestibulum. Illi vero dixerunt ei,
Insanis. Illa autem asseverabat ita se *rem* habere.
16 At illi dicebant, Angelus ejus est. Petrus vero
ibi perseverabat pulsare: quum autem aperuissent,
17 viderunt eum, et perculsi fuerunt. *Ipse* vero
manu postulato ab ipsis silentio, narravit eis
quomodo Dominus se eduxisset e carcere: dixit-
que, Renunciate ista Jacobo et fratribus. Et
egressus, profectus est in alium locum.
18 Orto autem die fuit tumultus non parvus inter
19 milites quidnam factum esset Petro. Herodes
vero, quum eum requisivisset, et non invenisset,
quæstione de custodibus habita, jussit *eos* ad
supplicium rapi; et quum descendisset a Judæa
Cæsaream, *ibi* commoratus est.
20 Herodes autem infenso animo erat in Tyrios
et Sidonios: et illi concorditer venerunt ad eum,
et persuaso Blasto, qui præerat cubiculo regis,
petebant pacem; eo quod aleretur regio ipsorum
21 ex regis *ditione*. Statuto autem die, Herodes,
indutus veste regia, et considens pro tribunali,
22 concionabatur ad eos. Populus vero acclamabat,
23 Vox Dei, et non hominis. Illico vero percussit
eum angelus Domini, eo quod non tribuisset glo-
riam Deo: et erosus a vermibus, exanimatus est.
24 Sermo vero Domini crescebat ac multiplica-
25 batur. Barnabas autem et Saulus reversi sunt
Hierosolymis, expleto ministerio, simul assumpto
etiam Joanne qui cognominabatur Marcus.
13 Erant autem Antiochiæ in ecclesia quæ *illic*
erat, quidam prophetæ et doctores, Barnabas, et
Simeon qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenæus,
et Manahen qui fuerat una cum Herode tetrarcha
2 educatus, et Saulus. Illis autem sacram suam
functionem obeuntibus Domino et jejunantibus,

dixit Spiritus Sanctus, Separate mihi Barnabam
3 et Saulum ad opus ad quod eos advocavi. Quum
ergo jejunassent, et orassent et imposuissent eis
manus, dimiserunt *eos*.
4 Ipsi igitur emissi a Spiritu Sancto, descende-
runt Seleuciam; et illinc abnavigarunt Cyprum.
5 Quumque pervenissent Salamina, annunciarunt
sermonem Dei in synagogis Judæorum: habebant
autem etiam Joannem subservientem *ipsis*.
6 Peragrata vero insula Paphum usque, inve-
nerunt quendam magum pseudoprophetam Judæum,
7 cui nomen *erat* Barjesu: qui erat cum propræ-
tore Sergio Paulo, viro intelligente. Hic, advo-
catis Barnaba et Saulo, expetivit audire sermonem
8 Dei. Obsistebat autem eis Elymas, *id est* magus
(ita enim explicatur nomen ejus), studens aver-
tere proprætorem a fide.
9 Saulus autem (qui et Paulus) repletus Spiritu
10 Sancto, intentis in eum oculis, dixit, O plene
omni dolo, et ad quodvis scelus propensione, fili
diaboli, hostis omnis justitiæ, non cessabis per-
11 vertere vias Domini rectas? Nunc igitur, ecce,
manus Domini adversum te; erisque cæcus, non
videns solem ad tempus constitutum.
Illico vero incidit in eum caligo ac tenebræ:
et circumiens, quærebat qui se manu prehensum
12 ducerent. Tunc proprætor, quum vidisset quod
factum fuerat, credidit, perculsus super doctrina
Domini.
13 Provecti vero Papho Paulus et qui cum eo
erant, venerunt Pergen Pamphyliæ *urbem:* Jo-
annes vero abscedens ab eis, reversus est Hiero-
solymam.
14 AT ipsi progressi Perga, venerunt Antiochiam
urbem Pisidiæ, et ingressi synagogam die sab-
15 bati, consederunt. Post lectionem autem legis

et prophetarum, miserunt præfecti synagogæ ad eos, dicentes, Viri fratres, siquis est in vobis sermo exhortationis ad populum, dicite.

16 Assurgens igitur Paulus, manu silentio postulato, dixit, Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, audite.

17 Deus ille populi hujus Israelis elegit patres nostros, et populum sursum evexit, quum commorarentur in terra Ægypti, et ex ea eduxit eos

18 elato brachio. Et circiter quadraginta annorum

19 tempus mores eorum pertulit in deserto. Et quum delevisset septem gentes in terra Chanaan,

20 sorte distribuit eis terram earum. Et postea annis circiter quadringentis quinquaginta dedit

21 judices, usque ad Samuelem prophetam. Et exinde petierunt regem: deditque eis Deus Saulem filium Cis, virum ex tribu Benjamin, annis qua-

22 draginta. Et amoto illo, excitavit eis Davidem in regem, cui etiam testimonio dato dixit, Inveni Davidem *filium* Jesse, virum secundum cor meum, qui exsequetur omnes voluntates meas (1 Reg. 13, 14).

23 Hujus e semine Deus secundum promissionem

24 excitavit Israeli Servatorem Jesum; quum ante prædicasset Joannes præiens ipsius ingressui, ba-

25 ptismum resipiscentiæ toti populo Israelis. Quum autem expleret Joannes cursum, dixit, Quem me suspicamini esse? non *is* sum ego; sed ecce, venit post me, cujus pedum soleam non sum dignus qui solvam.

26 Viri fratres, filii generis Abrahami, et qui inter vos timetis Deum, vobis sermo salutis hujus

27 missus est. Qui enim habitabant Hierosolymis, et primores eorum, quum hunc ignorarent, tum voces prophetarum, quæ per omne sabbatum le-

28 guntur, eo damnato, impleverunt. Tum nulla causa mortis inventa, petierunt a Pilato ut interi-

29 meretur. Quum vero perfecissent omnia quæ de
eo scripta sunt, detractum e ligno posuerunt in
30 monumento. Deus autem suscitavit eum ex mor-
31 tuis. Qui conspectus est per dies multos iis qui
simul ascenderant cum eo a Galilæa Hierosoly-
32 mam, suntque testes ejus apud populum. Et nos
vobis evangelizamus eam promissionem quæ pa-
tribus facta est, Deum videlicet eam implevisse
33 filiis illorum, *id est* nobis, suscitato Jesu: ut etiam
in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus
es tu, ego hodie genui te (Ps. 2. 7).
34 Quod autem suscitaverit eum ex mortuis, non
amplius reversurum in sepulcrum, ita dixit, Dabo
vobis firmas illas Davidis beneficentias
35 (Es. 55, 3). Ideo et alias dicit, Non sines San-
ctum illum tuum sentire corruptionem
36 (Ps. 16, 10). Nam David quidem, postquam ætate
sua inservivit Dei consilio, obdormivit, et appositus
37 est patribus suis, sensitque corruptionem. At is
quem Deus excitavit, non sensit corruptionem.
38 Notum igitur sit vobis, fratres, annunciari vo-
39 bis remissionem peccatorum per istum: et ab
omnibus a quibus non potuistis per legem Mosis
justificari, quemvis credentem per hunc justificari.
40 Videte ergo ne vobis superveniat quod dictum est
41 in prophetis, Videte, o contemptores, et ad-
miramini, et disparete; quia opus operor
ego diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis (Es. 29, 14).
42 Egressis autem *eis* e synagoga Judæorum, ro-
garunt gentes ut intra proxime sequens sabbatum
43 exponerentur sibi hæc verba. Solutoque con-
ventu, secuti sunt multi ex Judæis et religiosis
proselytis Paulum ac Barnabam: qui alloquentes
eos, persuaserunt eis ut permanerent in gratia Dei.
44 Sequente vero sabbato urbs prope tota con-

45 gregata fuit ad audiendum sermonem Dei. Visa
autem turba, Judæi repleti sunt invidia: et con-
tradicebant iis quæ a Paulo dicebantur, contra-
dicentes ac blasphemantes.
46 Tunc loquendi libertate usi Paulus ac Barna-
bas, dixerunt, Vobis necesse fuit primum exponi
sermonem Dei: postquam autem illum repellitis,
et indignos vos ipsos decernitis æterna vita, ecce,
47 convertimus nos ad gentes. Ita enim nobis præ-
cepit Dominus, *dicens*, Constitui te ut sis
lux gentium, ut sis saluti usque ad ulti-
mas terras (Es. 49, 6).
48 Gentes autem hæc audientes, gavisæ sunt, et
laudibus extulerunt sermonem Domini: et credi-
derunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.
49 Perferebatur autem sermo Domini per totam
50 illam regionem. Judæi vero exstimularunt muli-
eres religiosas et honoratas, et primos urbis, et
excitarunt persecutionem in Paulum ac Barnabam,
51 ejeceruntque eos e finibus suis. At illi, excusso
pulvere pedum suorum in eos, venerunt Iconium.
52 Discipuli vero replebantur gaudio et Spiritu
Sancto.
14 FACTUM est autem itidem Iconii, ut introirent
synagogam Judæorum, et ita loquerentur, ut cre-
derent Judæorum simul et Græcorum magna mul-
2 titudo. Judæi vero, qui non obedierunt *sermoni*,
incitarunt et male affectos reddiderunt animos
3 gentium adversus fratres. Aliquantum igitur tem-
pus *ibi* commorati sunt, libere loquentes, freti
Domino, qui testimonium dabat sermoni gratiæ
suæ, dabatque ut signa et prodigia ederentur per
manus eorum.
4 Scissa est autem multitudo urbis: et alii qui-
5 dem erant a Judæis, alii vero ab apostolis. Quum
autem factus esset impetus gentium ac Judæorum,

una cum suis primoribus, ad eos contumeliis af-
6 ficiendos et lapidandos, re inter se animadversa,
perfugerunt in civitates Lycaoniæ, Lystram et
7 Derben, et circumjacentem regionem: et illic
evangelizaverunt.
8 Quidam autem vir Lystris captus pedibus
sedebat, claudus ab utero matris suæ, qui nun-
9 quam ambulaverat: hic audivit Paulum loquen-
tem: qui quum intendisset in eum oculos, et vi-
10 disset quod fidem haberet *se* liberatum iri, dixit
voce magna, Surge in pedes tuos rectus. At *ille*
et exsiliit et ambulavit.
11 Turba vero quum vidisset quod fecerat Paulus,
sustulerunt vocem suam, Lycaonice dicentes, Dii
12 assimilati hominibus descenderunt ad nos. Voca-
bantque Barnabam, Jovem; Paulum vero Mercu-
rium, quoniam is præibat in loquendo.
13 Sacerdos autem Jovis collocati ante illorum
urbem, quum tauros vittatos ad vestibula addu-
14 xisset, volebat cum turba sacrificare. Quod quum
audissent apostoli Barnabas et Paulus, diruptis
15 palliis suis insilierunt in turbam, clamantes, ac
dicentes, Viri, cur ista facitis? nos quoque sumus
homines iisdem quibus vos affectionibus obnoxii,
annunciantes, ut a vanis istis rebus convertatis
vos ad Deum illum vivum, qui fecit cœlum, et
16 terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt: qui-
que præteritis ætatibus sivit omnes gentes suis
17 ipsarum viis incedere. Quanquam non passus est
se *esse* expertem testimonii, bona tribuendo, dans
nobis cœlitus pluvias ac præstituta tempora fru-
ctibus perferendis apta, implens cibo et oblecta-
tione corda nostra.
18 Et hæc dicentes, vix compescuerunt turbam,
ne ipsis sacrificaret.
19 Supervenerunt autem quidam Judæi Antio-

chia et Iconio, qui, persuasa turba, Paulum lapidatum traxerunt extra urbem, existimantes eum
20 mortuum esse. Quum autem circumstetissent eum discipuli, surrexit, et ingressus est urbem; et postridie egressus venit Derben cum Barnaba.
21 Quumque evangelizassent urbi illi, et discipulos multos adjunxissent, reversi sunt Lystram, et Ico-
22 nium, et Antiochiam: confirmantes animos discipulorum, hortantes ut permanerent in fide, et *dicentes* oportere per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.
23 Quumque ipsis per suffragia creassent per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejuniis, commendarunt eos Domino, in quem crediderant.
24 Peragrataque Pisidia, venerunt in Pamphyliam.
25 Ac Pergæ locuti *Domini* sermonem, descende-
26 runt Attaliam. Et illinc enavigarunt Antiochiam, unde fuerant commendati gratiæ Dei ad opus quod expleverant.
27 Quum autem venissent et congregassent ecclesiam, retulerunt quanta Deus per ipsos effecisset,
28 et eum aperuisse gentibus ostium fidei. Et commorati sunt illic non parvum tempus cum discipulis.

15 PORRO quidam qui descenderant a Judæa, docebant fratres, *et dicebant*, Nisi circumcida-
2 mini ritu Mosis, non potestis servari. Orta igitur repugnantia et disceptatione non parva a Paulo ac Barnaba adversus illos, constitutum fuit ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex illis, ad apostolos ac presbyteros Hiero-
3 solymam, super hac quæstione. Illi ergo deducti ab ecclesia, peragrarunt Phœnicem et Samariam, narrantes conversionem gentium: et gaudio magno affecerunt omnes fratres.

4 Quum autem pervenissent Hierosolymam, excepti sunt ab ecclesia et ab apostolis ac presbyteris, et retulerunt quanta Deus per ipsos effecisset.
5 Sed *(aiebant)* quidam surrexerunt ex hæresi Pharisæorum qui crediderunt, dicentes, quod oporteat ipsos circumcidere et *eis* mandare ut observent legem Mosis.
6 Congregati sunt igitur apostoli et presbyteri
7 ut dispicerent de hac re. Quum autem multa disceptatio fuisset, surgens Petrus dixit eis, Viri fratres, vos scitis Deum jampridem inter nos elegisse *me*, ut per os meum audirent gentes sermonem evangelii, et crederent. Et ille cordium
8 cognitor Deus præbuit eis testimonium, dato ipsis
9 Spiritu Sancto, sicut et nobis: nihilque discrevit inter nos et illos, fide *ab ipso* purificatis cordibus
10 eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, ad imponendum jugum cervici discipulorum, quod neque
11 patres nostri neque nos portare valuimus? Imo per gratiam Domini Jesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum et illi.
12 Tacuit autem tota multitudo, et audiebant Barnabam et Paulum exponentes quanta Deus edidisset signa et prodigia per ipsos inter gentes.
13 Postquam autem ipsi conticuissent, respondit
14 Jacobus dicens, Viri fratres, audite me: Simeon exposuit quomodo primum Deus respexerit *gen-*
15 *tes*, ut sumeret ex ipsis populum nomini suo. Et huic *rei* consonant verba prophetarum, sicut scri-
16 ptum est: Post hæc revertar, et restaurabo tabernaculum Davidis collapsum, et ruinas ejus restaurabo et rursus eri-
17 gam illud: ut requirant reliqui homines Dominum, et omnes gentes super quas invocatum fuerit nomen meum, dicit Dominus qui facit hæc omnia (Amos. 9, 11. 12).

18 Nota sunt Deo ab *omni* ævo omnia opera sua.
19 Quamobrem ego censeo non esse obturbandos
20 eos qui ex gentibus ad Deum se convertunt: sed ad eos scribendum, ut abstineant a pollutis per simulacra, et scortatione, et suffocatis rebus, et
21 sanguine. Moses enim ab ætatibus antiquis oppidatim habet qui ipsum prædicent, quum in synagogis per singula sabbata legatur.
22 Tunc visum est apostolis et presbyteris, cum tota ecclesia, delectos ex sese viros mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba; *nempe*, Judam qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros
23 primarios inter fratres: istis per eorum manum scriptis:

Apostoli et presbyteri et fratres, iis qui sunt Antiochiæ et in Syria et in Cilicia fratribus, qui
24 *sunt* ex gentibus, salutem. Quoniam quosdam e nobis egressos audivimus vos turbasse verbis, labefactantes animas vestras, dicentes, *Oportere vos* circumcidi, et servare legem; quibus *hoc* non
25 edixeramus: visum est nobis concorditer coactis delectos viros mittere ad vos cum dilectis nostris
26 Barnaba et Paulo, hominibus qui exposuerunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.
27 Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi *vobis*
28 eadem verbis renunciarent. Visum est enim Spiritui Sancto ac nobis, ne quid amplius impo-
29 neremus vobis onus præter necessaria ista; *videlicet*, ut abstineatis ab iis quæ sunt immolata simulacris, et sanguine, et suffocato, et scortatione: a quibus si vobis caveritis, bene agetis. Valete.
30 Illi igitur dimissi venerunt Antiochiam, et con-
31 gregata multitudine reddiderunt epistolam: quam quum legissent, gavisi sunt super ea exhortatione.
32 Judas quoque et Silas, quum essent et ipsi prophetæ, multo sermone adhortati sunt, et confir-

33 marunt fratres. Quum autem egissent *illic* aliquamdiu, dimissi sunt cum pace a fratribus ad
34 apostolos. Silæ tamen visum est ibi manere.
35 Paulus autem et Barnabas commorati sunt Antiochiæ, docentes et evangelizantes, cum aliis etiam multis, sermonem Domini.
36 POST aliquot autem dies dixit Barnabæ Paulus, Reversi invisamus fratres nostros oppidatim in quibus annunciavimus sermonem Domini, *cognituri* quomodo *se* habeant.
37 Barnabæ vero consilium erat assumere secum
38 Joannem, qui vocabatur Marcus. Paulus autem æquum censebat eum non simul assumere, qui abscessisset ab ipsis ex Pamphylia, nec eorum
39 comes in illo opere fuisset. Orta igitur fuit exacerbatio, adeo ut alter ab altero abscesserint: et Barnabas, assumpto Marco, navigarit in Cy-
40 prum: Paulus vero, allecto Sila, abiit, commen-
41 datus gratiæ Dei a fratribus: peragravitque Syriam ac Ciliciam, confirmans ecclesias.
16 DEVENIT autem Derben et Lystram: et ecce, discipulus quidam erat illic nomine Timotheus, filius mulieris cujusdam Judææ fidelis, patris au-
2 tem Græci: huic dabant testimonium fratres qui
3 Lystris erant et Iconii. Eum *itaque* voluit Paulus secum proficisci: et assumptum eum circumcidit, propter Judæos qui in illis locis erant: sciebant enim omnes patrem ejus Græcum esse.
4 Prout autem pertransibant urbes, tradebant eis observanda placita illa quæ decreta fuerant ab apostolis et presbyteris qui Hierosolymis erant.
5 Itaque ecclesiæ confirmabantur fide, et exuberabant numero quotidie.
6 Phrygia autem peragrata et Galatica regione, prohibiti a Spiritu Sancto loqui sermonem *Dei*
7 in Asia. Quum venissent in Mysiam, tentabant

ire versus Bithyniam: sed non sivit eos *ire* Spi-
8 ritus Jesu. Præterita igitur Mysia, descenderunt
Troada.
9 ET visum per noctem conspectum est Paulo:
vir Macedo quidam adstabat precans eum, et di-
cens, Transiens in Macedoniam, succurre nobis.
10 Ut autem hoc visum vidit, statim studuimus ab-
ire in Macedoniam, collatis argumentis colligentes
quod advocasset nos Dominus ut eis evangeliza-
11 remus. Provecti igitur Troade, rectum cursum
tenuimus Samothracem, et sequenti die Neapolin;
12 et illinc Philippos, quæ est prima hujus partis
Macedoniæ urbs, colonia.
Commorati sumus autem in ea urbe aliquot
13 dies. Et die sabbati egressi sumus ex urbe ad
flumen, ubi solebat esse oratio: et quum consedis-
semus, allocuti sumus mulieres quæ convenerant.
14 Quædam autem mulier nomine Lydia, quæ pur-
puram vendebat ex urbe Thyatirorum, Deum co-
lens, *nos* audivit: cujus Dominus adaperuit cor,
15 ut attenderet iis quæ dicebantur a Paulo. Quum
autem baptizata esset, et domus ejus, rogavit
nos, dicens, Si judicastis me fidelem esse Domino,
ingressi domum meam, manete. Et adegit nos.
16 Factum est autem proficiscentibus nobis ad
orationem, ut ancillula quædam, habens spiritum
Pythonis, occurreret nobis, quæ quæstum magnum
17 præbebat dominis suis vaticinando: hæc subse-
cuta Paulum ac nos, clamabat, dicens, Isti homi-
nes servi sunt Dei illius altissimi, qui annunciant
18 vobis viam salutis. Hoc autem fecit ad multos
dies: sed moleste ferens Paulus, et sese conver-
tens, spiritui illi dixit, Mando tibi per nomen
Jesu Christi ut exeas ab ea. Exiit igitur eodem
illo momento.
19 Videntes autem illius *ancillulæ* domini abiisse

spem quæstus sui, prehensum Paulum et Silam
20 traxerunt in forum ad magistratus. Et quum per-
traxissent eos ad prætores, dixerunt, Homines
isti conturbant civitatem nostram, quum sint Ju-
21 dæi: et annunciant ritus quos non licet nobis
recipere, neque usurpare, quum simus Romani.
22 Una vero insurrexit turba adversus eos: et
prætores diruptis eorum vestibus jusserunt *eos*
23 virgis cædi. Et quum multas plagas eis imposu-
issent, conjecerunt *eos* in carcerem, additis man-
24 datis commentariensi ut tuto eos asservaret: qui
tali accepto mandato, conjecit eos in intimum
carcerem, et pedes eorum adstrinxit numella.
25 Media autem nocte orantes Paulus et Silas
hymnos canebant Deo: et qui vincti erant exau-
26 diebant eos. Repente vero terræ motus magnus
exstitit, ita ut quaterentur fundamenta carceris:
et illico apertæ sunt omnes fores, et omnium
vincula laxata.
27 Expergefactus autem commentariensis, quum
videret fores carceris apertas, stricto gladio erat
28 seipsum interfecturus, existimans vinctos effu-
gisse. Clamavit vero Paulus voce magna, dicens,
Nequid feceris tibi ipsi mali; omnes enim hic
sumus.
29 Is autem petito lumine irrupit, et tremefactus
30 accidit Paulo et Silæ *ad pedes*. Et productis
ipsis foras, ait, Domini, quid me oportet facere
ut server?
31 At illi dixerunt, Crede in Dominum Jesum
32 Christum, et servaberis tu, ac domus tua. Et
locuti sunt ei sermonem Domini, et omnibus qui
erant domi ipsius.
33 *Ipse* vero illis assumptis ea ipsa hora noctis,
lavit *eorum* plagas: et baptizatus est ipse, et
34 omnes *domestici* illius illico. Et ipsis deductis

domum suam, apposuit mensam: et exsultavit quod cum universa domo sua credidisset Deo.

35 Die autem exorto, prætores miserunt viatores,
36 qui dicerent, Dimitte homines illos. Renunciavit autem commentariensis hos sermones Paulo: Miserunt, *inquit*, præfecti ut dimittamini: nunc
37 igitur egressi, ite in pace. Paulus autem dixit eis, Cæsos nos publice, indicta causa, quum simus Romani, conjecerunt in carcerem: et nunc clam nos ejiciunt? non profecto; sed veniant ipsi, et nos educant.

38 Renunciarunt autem prætoribus viatores verba
39 ista: metueruntque audito eos Romanos esse. Et venientes precati sunt eos, et eductos roga-
40 runt ut egrederentur ex urbe. Egressi autem e carcere introierunt ad Lydiam: et visis fratribus, consolati sunt eos, et egressi sunt *ex urbe*.

17 ITINERE autem facto per Amphipolin et Apol-
loniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat syna-
2 goga quædam Judæorum. Paulus vero, sicut consueverat, introivit ad eos, et per sabbata tria
3 disseruit *cum* eis ex scripturis, explicans et ob oculos ponens oportuisse Christum pati, et resurgere ex mortuis; et hunc Jesum, quem ego, *in-*
4 *quit*, annuncio vobis, esse Christum illum. Nonnulli igitur eorum assensi sunt, et consociati sunt Paulo et Silæ, et religiosorum Græcorum multitudo magna, et ex mulieribus primariis non paucæ.

5 Sed invidia commoti Judæi qui *sermoni* non paruerunt, assumptis quibusdam circumforaneis viris malis, ac turba coacta, fecerunt ut civitas tumultuaretur; et adorti domum Jasonis, stude-
6 bant eos adducere ad populum. Et quum non invenissent eos, traxerunt Jasonem et quosdam fratres ad civitatis magistratus, vociferantes, Isti qui orbis terrarum statum subverterunt, etiam hic

7 adsunt: quos excepit Jason: qui omnes contra
edicta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse,
nempe Jesum.
8 Commoverunt autem turbam et civitatis magi-
9 stratus hæc audientes. *Qui* tamen, quum satis
accepissent ab Jasone et reliquis, dimiserunt eos.
10 Fratres vero statim per noctem Paulum simul
et Silam emiserunt Berœam; qui quum advenis-
11 sent, ierunt in synagogam Judæorum. Iis autem
Judæis qui erant Thessalonicæ fuerunt isti gene-
rosiores; ut qui receperint sermonem cum omni
alacritate, quotidie examinantes scripturas an hæc
12 ita se haberent. Multi igitur crediderunt ex eis,
et Græcarum mulierum honoratarum et virorum
non pauci.
13 Ut autem cognoverunt Thessalonicenses Judæi,
Berœæ quoque annunciatum esse a Paulo sermo-
nem Dei, venerunt etiam illuc, concitantes tur-
14 bam. Sed tunc statim Paulum emiserunt fratres,
ut iret velut ad mare: Silas autem et Timotheus
15 remanserunt illic. Qui vero Paulum susceperant
tuto loco constituendum, deduxerunt eum Athe-
nas usque: et accepto præcepto ad Silam ac Ti-
motheum, ut quam citissime ad ipsum venirent,
abierunt.
16 PAULO vero Athenis illos exspectante, irrita-
batur spiritus ejus in ipso, quum conspiceret ur-
17 bem idolis refertam. Disserebat igitur in syna-
goga cum Judæis et religiosis, et in foro quoti-
die cum quibusvis obviis.
18 Quidam autem ex Epicureis et Stoicis philoso-
phis conflictabantur cum eo: et quidam dicebant,
Quid vult garrulus iste dicere? alii vero, Pere-
grinorum deorum videtur annunciator esse: quo-
niam Jesum et resurrectionem ipsis annunciabat.
19 Et prehensum eum duxerunt in Areopagum,

dicentes, Possumus*ne* scire quæ sit ista nova, de
20 qua tu loqueris, doctrina? Peregrina enim quæ-
dam infers auribus nostris: volumus ergo scire
21 quidnam ista sibi velint. (Ceterum Athenienses
omnes et inquilini peregrini nulli alii rei vaca-
bant, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid
novi.)
22 Quum autem constitisset Paulus in medio Areo-
pago, dixit, Viri Athenienses, omnino conspicio
23 vos quasi religiosiores. Pertransiens enim et
contemplans sacra vestra, inveni etiam aram, cui
inscriptum erat, IGNOTO DEO. Quem ergo igno-
rantes colitis, hunc ego vobis annuncio.
24 Deus ille qui fecit mundum et omnia quæ in eo
sunt, quum sit cœli et terræ Dominus, in manu-
25 factis templis non habitat: nec manibus hominum
colitur, alicujus rei egens, quum ipse det omnibus
26 vitam, et halitum, et omnia; fecitque ex uno san-
guine totam gentem hominum, ut habitaret super
universa superficie terræ, definitis præstitutis tem-
poribus, et positis terminis habitationis eorum:
27 ut quærerent Dominum, si forte palpando eum
invenirent; quanquam profecto non longe abest
28 ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, et
movemur, et sumus: sicut et quidam vestratium
poetarum dixerunt, Nam hujus progenies etiam
29 sumus. Progenies ergo Dei quum simus, non
debemus existimare auro et argento, aut lapidi,
sculpturæ artificii et excogitationis hominum, nu-
men esse simile.
30 Deus igitur, temporibus istius ignorantiæ conni-
vendo dissimulatis, nunc denunciat omnibus ubi-
31 que hominibus ut resipiscant: eo quod statuit diem
quo juste judicaturus est orbem terrarum, per
eum virum quem definiit, fide *ejus rei* palam
facta omnibus, quum illum ex mortuis suscitaret.

32 Quum audissent autem resurrectionem mortuorum, alii quidem sannis *eum* excipiebant, alii
vero dicebant, Audiemus te rursus de hac re.
33 Et ita Paulus exivit e medio eorum. 34 Quidam vero ei sese adjunxerunt et crediderunt: in
quibus *fuit* et Dionysius Areopagita, et mulier
nomine Damaris, et alii cum eis.
18 POSTEA Paulus, quum discessisset Athenis,
2 venit Corinthum: et reperto quodam Judæo, nomine Aquila, Pontico natione, qui nuper venerat
ex Italia, et Priscilla uxore ejus (eo quod edixisset Claudius, ut omnes Judæi Roma excederent)
3 venit ad eos. Et quia ejusdem erat artificii, habitavit apud eos, et operabatur; erat enim ars il-
4 lorum conficere tabernacula. Disserebat autem in synagoga omnibus sabbatis, et in suam sententiam adducebat tum Judæos, tum Græcos.
5 Ut autem advenerunt e Macedonia Silas et Timotheus, constringebatur spiritu Paulus, etiam
atque etiam testificans Judæis Jesum *esse* Chri-
6 stum illum. Ipsis autem obsistentibus et blasphemantibus, excussis vestibus dixit eis, Sanguis vester *esto* super caput vestrum: mundus ego ab
7 hoc tempore ad gentes proficiscar. Et digressus illinc, introiit domum cujusdam nomine Justi, colentis Deum, cujus domus erat confinis synagogæ.
8 Crispus autem præfectus synagogæ credidit Domino cum tota domo sua: multique Corinthiorum
audientes credebant et baptizabantur.
9 Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo,
10 Ne metue, sed loquere, et ne tacueris: nam ego sum tecum, et nemo te invadet ut male te accipiat: quoniam populus est mihi multus in hac
11 urbe. Commoratus est itaque *illic* annum et sex menses, docens apud eos sermonem Dei.
12 Quum autem Gallio esset proconsul Achaiæ,

insurrexerunt concorditer Judæi in Paulum, et
13 adduxerunt eum ad tribunal, dicentes, Iste persuadet hominibus colere Deum contra legem.
14 Paulo veros os aperturo, dixit Gallio Judæis, Si quid injuste factum esset, aut facinus sceleratum, o Judæi, quatenus ferret ratio vos sufferrem: sin vero quæstio est de sermone et nomi-
15 nibus, et lege vestrate, ipsi videritis: judex enim
16 ego istarum rerum esse nolo. Et abegit eos a
17 tribunali. Prehensum autem omnes Græci Sosthenem præfectum synagogæ cædebant ante tribunal: neque quicquam eorum Gallioni curæ erat.
18 Paulus vero quum adhuc *illic* permansisset dies *satis* multos, valedicto fratribus, enavigavit in Syriam, et cum eo Priscilla et Aquila, quum totondisset caput Cenchreis: habebat enim votum.
19 Devenit autem Ephesum, et eos ibi dereliquit: ipse vero ingressus synagogam, disseruit cum Judæis.
20 Rogantibus autem ipsis ut diutius apud ipsos
21 maneret, non annuit: sed valedixit eis, dicens, Oportet omnino me diem festum qui instat agere Hierosolymis: sed iterum revertar ad vos, Deo
22 volente. Et provectus est Epheso. Quumque descendisset Cæsaream, ascendissetque *Hierosolymam*, et salutasset ecclesiam, descendit Antio-
23 chiam. Et quum egisset *illic* aliquandiu temporis abiit, pertransiens ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos.
24 Judæus autem quidam, Apollos nomine, Alexandrinus natione, vir eloquens, pervenit Ephe-
25 sum, potens in scripturis. Hic erat initiatus via Domini; et fervens spiritu, loquebatur et docebat diligenter ea quæ sunt Domini, sciens tantum
26 baptisma Joannis: cœpitque libere loqui in synagoga: quem auditum Aquila et Priscilla assumpserunt, et penitius ei exposuerunt viam Dei.

27 Quum autem vellet transire in Achaiam, fratres
eum adhortati, scripserunt discipulis ut exciperent eum: qui quum advenisset, multum contulit
28 iis qui crediderant per gratiam: magna enim contentione Judæos magis ac magis redarguebat publice, ostendens per scripturas Jesum esse Christum illum.

19 FACTUM est autem interim, dum Apollos esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum: ubi quum discipulos quos-
2 dam invenisset, dixit eis, Num Spiritum Sanctum accepistis posteaquam credidistis? Illi vero dixerunt ei, Imo sitne Spiritus Sanctus, ne audi-
3 vimus quidem. Tunc dixit eis, In quid ergo baptizati estis? Ipsi vero dixerunt, In Joannis ba-
4 ptisma. Dixit autem Paulus, Joannes quidem baptizavit baptismo resipiscentiæ, dicens populo, ut in eum qui venturus erat post ipsum crede-
5 rent, hoc est, in Christum Jesum. Qui vero *illum* audierunt, baptizati sunt in nomen Domini
6 Jesu. Et quum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus in eos, et loquebantur
7 linguis, et prophetabant. Erant autem omnes isti viri circiter duodecim.

8 *Ipse* porro ingressus synagogam, libere loquebatur ad tres menses disserens et suadens quæ
9 ad regnum Dei *pertinent*. Quum autem quidam indurarentur, et obedire nollent *sermoni*, male loquentes de via illa *Dei* in conspectu multitudinis, abscedens ab illis, separavit discipulos, quotidie disserens in schola Tyranni cujusdam.
10 Hoc autem factum est per biennium: *ita* ut omnes qui habitabant in Asia, tum Judæi tum Græci,
11 audierint sermonem Domini Jesu. Virtutesque
12 non vulgares edebat Deus per manus Pauli, *ita* ut etiam ad ægrotantes deferrentur a corpore

ejus sudaria seu semicinctia, et discederent ab eis morbi, et spiritus mali ab eis exirent.

13 Aggressi sunt vero quidam ex circulatoribus Judæis exorcistis nominare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes, Adjuramus vos per Jesum quem Paulus prædicat.
14 Erant autem quidam filii Scevæ Judæi primarii
15 sacerdotis septem, qui hoc faciebant. Respondens vero spiritus malus dixit, Jesum novi, et
16 Paulum scio; vos autem qui estis? Et insiliit in eos homo in quo erat spiritus ille improbus, et superatis illis, invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent ex domo illa.

17 Id vero innotuit omnibus tum Judæis tum Græcis qui habitabant Ephesi: et incidit metus in eos omnes, et magnificabatur nomen Domini
18 Jesu. Et multi eorum qui crediderant, veniebant
19 confitentes et indicantes facta sua. Non pauci vero ex iis qui curiosa ista exercuerant, comportatos libros exusserunt in omnium conspectu: quorum supputatis pretiis, repererunt denariorum
20 quinquaginta millia. Ita fortiter crescebat sermo Domini, et invalescebat.

21 HIS autem impletis, induxit in animum Paulus, peragrata Macedonia et Achaia, proficisci Hierosolymam, dicens, Postquam illic fuero,
22 oportet me Romam etiam videre. Missis vero in Macedoniam duobus ex iis qui subserviebant ei, *videlicet* Timotheo et Erasto, ipse substitit ad tempus in Asia.

23 Ortus est autem illo tempore tumultus non
24 parvus super via *Dei*. Nam quidam, nomine Demetrius, signator argenti, qui faciebat templa Dianæ argentea, præbebat artificibus non par-
25 vum quæstum: quibus ille congregatis, et istiusmodi rerum opificibus, dixit, Viri, scitis ex hoc

26 quæstu nostras esse copias: et spectatis et auditis
Paulum istum non solum Ephesinam, sed prope
totius Asiæ non parvam turbam persuadendo
avertisse, dicentem deos illos non esse qui ma-
27 nibus fiant. Non solum autem periculum est,
ne istud quod nobis est peculiare, nobis probro-
sum evadat, sed etiam ne magnæ deæ Dianæ
templum pro nihilo reputetur, futurumque sit ut
etiam destruatur majestas ejus, quam Asia tota
et orbis terrarum colit.
28 *His* autem auditis, pleni excandescentia, cla-
maverunt, dicentes, Magna *est* Diana Ephe-
29 siorum! Et impleta est civitas tota confusione:
et irruerunt concorditer in theatrum, correpto
Gaio et Aristarcho Macedonibus, sociis pere-
30 grinationis Pauli. Paulo vero volente prodire
ad populum, non siverunt eum *prodire* discipuli.
31 Sed et quidam ex Asiarchis, quum essent ei
amici, *nunciis* ad eum missis, rogarunt ne se
32 daret in theatrum. Alii igitur aliud clamitabant:
erat enim concio conturbata, et plerique ne-
33 sciebant cujus *rei* causa convenissent. Ex turba
vero *quidam* produxerunt Alexandrum, pro-
pellentibus eum Judæis. Alexander autem, manu
silentio postulato, volebat defensione uti apud
34 populum. Quem ut agnoverunt Judæum esse,
vox exstitit una ab omnibus *profecta*, quasi ad
horas duas clamitantibus, Magna est Diana Ephe-
siorum!
35 Tum scriba, quum sedasset turbam, dixit,
Viri Ephesii, quisnam est hominum qui nesciat
Ephesiorum urbem ædituam esse magnæ deæ
36 Dianæ, et a Jove delapsi *simulacri*? Quum
igitur istis non possit contradici, oportet vos
sedatos esse, nec quicquam præceps facere.
37 Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos,

38 neque blasphemantes deam vestram. Quod si
Demetrius, et qui cum eo sunt artifices, negotium habent cum aliquo, agitur forum, et pro-
39 consules adsunt; alii alios postulanto. Siquid
autem de rebus aliis requiritis, in legitima con-
40 cione explicabitur. Nam periculum est ne postulemur seditionis propter *diem* hodiernum, quum nulla subsit causa ob quam possimus reddere rationem concursus istius.

Et quum hæc dixisset, dimisit concionem.

20 POSTQUAM vero cessavit tumultus, quum advocasset Paulus discipulos, et complexus esset,
2 abiit profecturus in Macedoniam. Quum autem
illas partes peragrasset, et hortatus illos fuisset
3 multo sermone, venit in Græciam. Et *ibi* peractis
mensibus tribus, quum ei in Syriam navigaturo factæ fuissent a Judæis insidiæ, sententia fuit
4 reverti per Macedoniam. Comitatus autem eum
usque in Asiam Sopater Bercœensis: ex Thessalonicensibus vero, Aristarchus, et Secundus, et
5 Gaius Derbæus, et Timotheus: Asiani vero,
Tychicus et Trophimus, qui quum præivissent,
6 exspectarunt nos Troade. Nos vero enavigavimus
Philippis post dies Azymorum, et venimus ad eos Troadem intra dies quinque; ubi commorati sumus dies septem.

7 Primo autem die hebdomadis congregatis discipulis ad frangendum panem, Paulus disserebat, abiturus postridie, produxitque sermonem usque
8 in mediam noctem. Erant vero lucernæ non
9 paucæ in cœnaculo ubi erant congregati. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus in fenestra, obrutus somno profundo, quum diutius dissereret Paulus, præ somno deturbatus, decidit ex tertia contignatione deorsum: et sub-
10 latus est mortuus. Quum descendisset autem

Paulus prolapsus est in eum; et *eum* complexus
dicit, Ne tumultuamini: anima enim ejus in ipso
11 est. Quum igitur ascendisset, fregissetque panem
et cibum sumpsisset, aliquandiu collocutus usque
12 ad diluculum, ita *demum* digressus est. Ad-
duxerunt autem puerum viventem, et solatium
acceperunt non mediocre.
13 Nos vero progressi ad navem, provecti sumus
Assum, illinc recepturi Paulum: sic enim edixerat,
14 pedibus ipse iter facturus. Ut autem conjunxit
sese nobiscum apud Assum, recepto eo, veni-
15 mus Mitylenen. Et quum illinc enavigassemus,
sequenti die devenimus e regione Chii; postridie
vero appulimus Samum; et quum diversati esse-
mus apud Trogyllium, sequenti die venimus Mi-
16 letum. Decreverat enim Paulus præternavigare
Ephesum, ne ipsi contingeret tempus terere in
Asia: festinabat enim, ut, si fieri posset, die
Pentecostes esset Hierosolymis.
17 Missis autem Mileto *nunciis* Ephesum, acces-
18 sivit presbyteros ecclesiæ: qui quum ad ipsum
venissent, dixit eis, Vos scitis quomodo a primo
die quo ingressus sum Asiam, vobiscum per id
19 omne tempus fuerim, serviens Domino cum
omni animi submissione, et multis lacrymis, ac
tentationibus, quæ mihi evenerunt in Judæorum
20 insidiis: uti nihil subterfugerim eorum quæ *vobis*
conducerent, quominus *ea* vobis annunciarem, et
21 docerem vos publice et domatim; etiam atque
etiam testificans Judæis simul et Græcis conver-
sionem ad Deum, et fidem quæ est in Dominum
22 nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce, ego
vinctus Spiritu proficiscor Hierosolymam, ingno-
23 rans quæ in ea mihi occurrent: nisi quod Spiri-
tus Sanctus oppidatim etiam atque etiam testi-
ficatur, dicens, vincula et afflictiones me ma-

24 nere. Sed nullius rei habeo rationem, neque
vita mea mihi ipsi cara est, ut consummem cur-
sum meum cum gaudio, et ministerium quod
accepi a Domino Jesu, ad etiam atque etiam
testificandum evangelium gratiæ Dei.
25 Et nunc ecce, ego scio non amplius visuros
faciem meam ullos ex vobis omnibus, per quos
26 transivi prædicans regnum Dei. Ideo testor
vobis hodierno die, me purum esse a sanguine
27 omnium. Non enim subterfugi quominus annun-
28 ciarem vobis omne Dei consilium. Attendite
igitur *animum* ad vos ipsos, et totum gregrem,
in quo vos Spiritus ille Sanctus constituit epi-
scopos, ad pascendam ecclesiam Dei, quam suo
29 illo proprio sanguine acquisivit. Ego enim istud
scio, lupos graves, non parcentes gregi, ingres-
30 suros esse ad vos post discessum meum. Et ex
vobisipsis exorituros qui loquantur perversa, ut
31 discipulos post se abstrahant. Ideo vigilate,
memores me per triennium nocte et die non
cessasse cum lacrymis admonere unumquemque.
32 Et nunc quoque, fratres, commendo vos Deo
et sermoni gratiæ ipsius; qui *quidem Deus* po-
test *vos* superstruere, et dare vobis quod hære-
ditatis jure possideatis cum sanctificatis omnibus.
33 Argentum vel aurum aut vestem nullius concu-
34 pivi. Imo ipsi nostis, usibus meis et iis qui
35 mecum sunt, manus istas ministrasse. In omnibus
ostendi vobis oportere sic laborando suscipere
infirmos, et meminisse verborum Domini Jesu,
ipsum *videlicet* dixisse, Beatum est dare potius
quam accipere.
36 Et quum hæc dixisset, positis genibus suis,
37 oravit cum illis omnibus. Non parvus autem
fletus omnium ortus est; et ruentes in collum
38 Pauli deosculabantur eum. Cruciati maxime ob

sermonem quem dixerat, ipsos non esse amplius faciem ejus conspecturos: et deduxerunt eum ad navim.

21 Ut autem provecti sumus, avulsi ab eis, recto cursu venimus Coum, et sequenti die Rhodum, et 2 illinc Patara: et nacti navem trajicientem in 3 Phœniciam, *ea* conscensa, provecti sumus. Quum autem cœpisset *nobis* apparere Cyprus, et eam ad sinistram reliquissemus, navigavimus in Syriam, et devecti sumus Tyrum: illic enim navis erat 4 suum onus expositura. Permansimus autem ibidem dies septem, inventis discipulis; qui Paulo dicebant per Spiritum, ne ascenderet Hierosolymam.

5 Sed peractis illis diebus, abiimus, omnibus deducentibus nos, cum uxoribus et liberis, extra urbem usque: et positis genibus in litore ora- 6 vimus. Et alii alios complexi, conscendimus navim: illi autem reversi sunt domum suam. 7 Nos vero navigatione perfecta devenimus Tyro Ptolemaida; et salutatis fratribus, mansimus diem unum apud eos.

8 Postridie vero egressi Paulus et nos qui cum eo eramus, venimus Cæsaream: et ingressi domum Philippi Evangelistæ (qui erat unus ex illis 9 septem), mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.

10 Et quum *illic* permansissemus dies complures, descendit ex Judæa quidam propheta nomine 11 Agabus; qui quum venisset ad nos, et sumpsisset zonam Pauli, vinctis sibi manibus ac pedibus, dixit, Hæc dicit Spiritus Sanctus, Virum cujus est hæc zona ita vincient Hierosolymis Judæi, tradentque in manus gentium.

12 Ut vero ista audivimus, rogabamus et nos et ejus loci incolæ, ne ascenderet Hierosolymam.

13 Sed respondit Paulus, Quid facitis, flentes et emol-
lientes cor meum? Nam ego non solum vinciri,
sed et mori paratus sum Hierosolymis pro no-
14 mine Domini Jesu. Quum igitur non assentiretur,
acquievimus, dicentes, Fiat Domini voluntas.
15 Porro post dies istos collectis sarcinis ascen-
16 dimus Hierosolymam. Venerunt autem simul
etiam *aliqui* ex discipulis Cæsarea nobiscum,
adducentes, apud quem diversaremur, Mnasonem
quendam Cyprium, antiquum discipulum.
17 QUUM igitur pervenissemus Hierosolymam,
18 libenter exceperunt nos fratres. Sequente vero
die introiit Paulus nobiscum ad Jacobum, et
19 omnes presbyteri adfuerunt. Quos complexus,
exposuit ordine singula quæ Deus fecerat inter
gentes per ipsius ministerium.
20 At illi, *his* auditis, glorificaverunt Dominum;
et dixerunt ei, Vides, frater, quot sint millia
Judæorum qui crediderunt; suntque omnes accensi
21 zelo legis. Audierunt autem de te ex aliorum
sermone, te defectionem a Mose docere omnes
qui inter gentes sunt Judæos, et dicere eos non
debere circumcidere filios, neque *secundum* ritus
22 ambulare. Quid est ergo? omnino oportet con-
venire multitudinem: audient enim te venisse.
23 Hoc igitur fac quod tibi dicimus: Sunt nobis
24 viri quatuor qui voto sese obstrinxerunt: his
assumptis, sanctificator cum eis, et adde ad eo-
rum sumptus, ut radant capita, et norint omnes
nihil esse eorum quæ de te auditione accepe-
runt; sed te quoque ita incedere ut legem ob-
25 serves. De iis autem qui crediderunt ex genti-
bus, nos scripsimus, et decrevimus nequid hujus-
modi observent, nisi ut caveant ab iis quæ sunt
immolata simulacris, et a sanguine, et rebus
suffocatis, et scortatione.

26 Tum Paulus, assumptis viris illis, sequente die
cum eis sanctificatus ingressus est in templum,
denuncians expletionem dierum sanctificationis,
usquedum oblata fuit pro unoquoque eorum
oblatio.

27 Quum autem septeni illi dies jam essent
finiendi, qui ex Asia *advenerant* Judæi ipsum
conspicati in templo, concitarunt totam turbam,
28 et injecerunt manus in eum, clamantes, Viri Is-
raelitæ, succurrite: hic ille homo est qui adver-
sus populum et legem et locum hunc omnes ubi-
que docet; atque adeo Græcos introduxit in
29 templum, et polluit sanctum locum istum. (Vide-
rant enim antea Trophimum Ephesium in urbe
cum eo, quem existimabant fuisse a Paulo intro-
ductum in templum.)

30 Commota est igitur urbs tota, et factus est
concursus populi: et prehensum Paulum traxe-
31 runt e templo: statimque clausæ sunt fores. Stu-
dentibus autem ipsis eum interficere, pervenit
rumor ad tribunum cohortis, totam Hierosolymam
32 conturbatam esse: qui eo ipso *momento*, acce-
ptis militibus ac centurionibus, decurrit ad illos.
At illi, quum vidissent tribunum et milites, ces-
sarunt cædere Paulum.

33 Tunc appropinquans tribunus prehendit eum,
et jussit vinciri catenis duabus: et percontatus
34 est quisnam esset et quid fecisset. Alii autem
aliud vociferabantur in turba: et quum non posset
certum rescire propter tumultum, jussit eum duci
35 in castra. Quum igitur pervenisset ad gradus,
evenit ut portaretur a militibus propter violen-
36 tiam turbæ. Sequebatur enim multitudo populi
clamans, Tolle ipsum.

37 Paulus autem, quum esset introducendus in
castra, dicit tribuno, Licetne mihi aliquid tibi

38 dicere? Qui dixit, Græce nosti? Nonne tu es
Ægyptius ille, qui ante hosce dies concitasti et
eduxisti in desertum quator millia sicariorum?
39 Dixit autem Paulus, Ego quidem sum Judæus
Tarsensis, urbis in Cilicia non obscuræ civis;
ceterum rogo te, permitte mihi ut alloquar po-
pulum.
40 Quum igitur ille permisisset, Paulus stans
in gradibus, manu silentium postulavit a plebe;
et magno silentio facto, locutus est lingua He-
bræa, dicens,
22 Viri fratres et patres, audite meam, qua nunc
2 apud vos utor, defensionem. (Quum audissent
autem eum Hebræa lingua ipsos alloqui, magis
præbuerunt se quietos; *ipse* vero dixit *eis*,)
3 Ego quidem sum Judæus, natus Tarsi, *urbe*
Ciliciæ, nutritus vero in hac ipsa urbe apud pedes
Gamalielis, eruditus ad exquisitam formam patriæ
legis, zelo Dei accensus, sicut et vos omnes
4 estis hodie. Qui hanc sectam sum persecutus
usque ad mortem, vinciens ac tradens in car-
5 ceres tum viros tum mulieres: ut et pontifex
maximus mihi testis est, et totus seniorum ordo;
a quibus etiam acceptis ad fratres epistolis,
Damascum proficiscebar, adducturus etiam eos,
qui illic essent, vinctos Hierosolymam, ut puni-
rentur.
6 Factum est autem mihi iter facienti, et appro-
pinquanti Damasco circiter meridiem, ut repente
e cœlo circumfulserit me lux ingens tanquam
7 fulgur. Cecidique in solum, et audivi vocem
dicentem mihi, Saul, Saul, quid me persequeris?
8 Ego vero respondi, Quis es, Domine? Dixitque
mihi, Ego sum Jesus ille Nazaræus, quem tu perse-
9 queris. Porro qui mecum erant lucem quidem
conspexerunt, et expavefacti sunt: vocem autem

10 non audierunt ejus qui loquebatur mecum. Dixi
vero, Quid faciam, Domine? Dominus autem
dixit mihi, Surge, ac proficiscere Damascum: et
illic tibi dicetur de omnibus quæ constitutum est
11 tibi ut facias. Quum vero non viderem præ glo-
ria lucis illius, manu deductus ab iis qui mecum
erant, veni Damascum.
12 Ananias autem quidam, vir pius secundum
legem, testimonio ornatus omnium *illic* habitan-
13 tium Judæorum, veniens ad me, et adstans dixit
mihi, Saul frater, recipe visum. Et ego, eodem
14 illo momento visu recepto, illum vidi. Ipse
autem dixit, Deus patrum nostrorum designavit
te qui cognosceres ipsius voluntatem, et videres
Justum illum, et audires vocem ex ore ipsius.
15 Nam eris ei testis apud omnes homines *eorum*
16 quæ vidisti et audisti. Et nunc quid cunctaris?
surgens baptizator, et abluitor a peccatis tuis,
invocato nomine Domini.
17 Et factum est mihi reverso Hierosolymam, quum
18 orarem in templo, ut raperer extra me. Et vi-
derem eum dicentem mihi, Festina, et exi cito
Hierosolymis, quoniam non excipient testimonium
19 tuum de me. Et ego dixi, Domine, ipsi sciunt
me pertraxisse in carcerem, et verberibus affe-
cisse per singulas synagogas eos qui credebant
20 in te. Et quum effunderetur sanguis Stephani
martyris tui, ego quoque adstabam, et una assen-
tiebar cædi ipsius, et custodiebam pallia eorum
21 qui interimebant eum. Tum *is* dixit mihi, Pro-
ficiscere: nam ego te longe ad gentes mittam.
22 AUDIEBANT autem eum ad hunc usque sermo
nem: tum *vero* sustulerunt vocem suam, dicentes,
Tolle e terra *hominem* istiusmodi: non enim
23 convenit eum vivere. Clamitantibus autem eis, et
projicientibus pallia, et pulverem jactantibus in

24 aerem, jussit tribunus eum duci in castra, edicto ut in eum flagris inquireretur; ut resciret propter quod crimen sic clamarent adversus eum.

25 Quum autem eum distendissent loris *cædendum*, dixit adstanti centurioni Paulus, Num hominem Romanum, et *quidem* indicta causa, licet vobis fla-
26 gellare? *Hoc* autem quum audisset centurio, adiit tribunum, et *hoc* renunciavit ei, dicens, Vide quid facturus sis; homo enim iste Romanus est.

27 Accedens autem tribunus, dixit ei, Dic mihi,
28 num tu Romanus es? At ille dixit, Etiam. Et respondit tribunus, Ego multa summa civitatem istam acquisivi. Paulus autem ait, Ego vero etiam natus sum *civis*.

29 Statim igitur abscesserunt ab eo qui fuerant in eum inquisituri: sed et tribunus quoque metuit, cognito quod Romanus esset, et quoniam eum vinxerat.

30 Postridie vero, volens certum rescire, nempe cujus *rei* accusaretur a Judæis, solvit eum e vinculis, et jussit primarios sacerdotes venire, totumque ipsorum consessum: ac deductum Paulum statuit coram eis.

23 Intentis autem in consessum oculis, Paulus ait, Viri fratres, ego omni conscientia bona me
2 gessi apud Deum ad hunc usque diem.

Ananias autem pontifex maximus imperavit
3 adstantibus, ut os ejus cæderent. Tum Paulus dixit ei, Futurum est ut percutiat te Deus, paries dealbate: et tu sedes judicans me secundum legem, et legem transgrediens jubes me cædi?
4 Tum qui adstabant dixerunt, Pontifici illi Dei maximo convitiaris?

5 Dixit autem Paulus, Nesciebam, fratres, pontificem esse maximum: scriptum est enim, Principi populi tui non maledices (Ex. 22, 28).

6 Quum vero nosset Paulus unam quidem partem *illorum* esse Sadducæorum, alteram vero Pharisæorum, clamavit in consessu, Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi: de spe et resurrectione mortuorum ego in judicium vocor.
7 Quum autem hoc esset locutus, orta est seditio inter Pharisæos ac Sadducæos; et fissa est
8 multitudo. Nam Sadducæi quidem dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiri-
9 tum; Pharisæi autem utrumque profitentur. Ortus est igitur clamor magnus: et quum surrexissent scribæ ex partibus Pharisæorum, depugnabant, dicentes, Nihil mali invenimus in homine isto: quod si spiritus locutus est ei, seu ange-
10 lus, ne repugnemus Deo. Magna autem orta seditione, veritus tribunus, ne Paulus ab ipsis discerperetur, jussit militum manum descendere, et eum raptum e medio ipsorum, ducere in castra.
11 Sequente vero nocte superveniens ei Dominus, dixit, Confide, Paule; ut enim etiam atque etiam testificatus es quæ ad me spectant Hierosolymis, sic te oportet etiam Romæ testificari.
12 ORTO autem die, quidam ex Judæis facta coitione devoverunt sese, dicentes neque esuros se, neque bibituros, usquequo interemissent Pau-
13 lum. Erant vero plures quam quadraginta *viri*,
14 qui hanc conjurationem fecerant: qui adierunt primarios sacerdotes et seniores, et dixerunt, Devotione devovimus nosipsos, nihil gustaturos
15 usquequo interemerimus Paulum. Nunc ergo vos comparete apud tribunum ex consessus voluntate, ut eum cras ad vos deducat, veluti exquisitius percognituros de iis quæ ad eum *spectant:* nos vero, priusquam appropinquet, parati sumus ipsum interimere.

16 Quum autem filius sororis Pauli audivisset
istas insidias, venit, et ingressus in castra, re-
17 nunciavit *eas* Paulo. Paulus autem, advocato
quodam ex centurionibus, ait, Adolescentem hunc
abduc ad tribunum; habet enim quod renunciet
18 ei. Ille igitur assumptum eum, duxit ad tribu-
num, et dixit, Vinctus ille Paulus advocatum
me rogavit ut hunc adolescentem ducerem ad
te, qui aliquid habeat quod tibi loquatur.
19 Tribunus autem, prehensa ejus manu, quum
secessisset seorsum, percontatus est. Quid est
quod habes mihi renunciandum?
20 *Ille* vero dixit, Judæi constituerunt te rogare,
ut cras Paulum deducas in consessum, quasi ali-
21 quid exquisitius percontaturi sint de eo. Tu
vero ne ipsis assentitor; insidiantur enim ei ex
istis viri plures quadraginta, qui seipsos devo-
verunt neque esuros neque bibituros usquequo
interemerint eum: et nunc parati sunt, exspectantes
quid a te renuncietur.
22 Tribunus igitur dimisit adolescentem, addito
mandato *ut* nulli effutiret quod hæc indicasset.
23 Et advocatis duobus quibusdam ex centurioni-
bus, *dixit* eis, Parate milites ducentos, qui pro-
ficiscantur Cæsaream usque, et equites septua-
ginta, et stipatores ducentos, a tertia hora noctis:
24 et ut jumenta præbeant, et impositum Paulum
25 salvum perducant ad Felicem præsidem: scripta
epistola quæ hanc summam contineret:
26 Claudius Lysias potentissimo præsidi Felici
27 salutem. Virum hunc comprehensum a Judæis,
quum jam futurum esset ut ab eis interimeretur,
superveniens cum militum manu, erui, edoctus
28 Romanum esse. Et volens rescire crimen, cu-
jus eum postularent, deduxi eum in ipsorum con-
29 sessum. Quem comperi accusari de quæstionibus

legis ipsorum, nullius vero criminis reum quod
30 sit dignum morte aut vinculis. Indicatis autem
mihi insidiis adversus hunc virum eventuris a
Judæis, eo ipso momento misi *eum* ad te, et
mandavi quoque accusatoribus, ut quæ habent
adversus eum dicant apud te: Vale.
31 Milites igitur, sicut ipsis edictum fuit, rece-
32 ptum Paulum duxerunt nocte Antipatrida. Postero
autem die reversi sunt in castra, relictis equiti-
33 bus qui cum eo proficiscerentur. Qui quum
venissent Cæsaream, et reddidissent epistolam
34 præsidi, stiterunt coram eo etiam Paulum. Quum
legisset autem *literas* præses, et interrogasset
ex qua provincia esset, ac cognovisset esse ex
35 Cilicia, audiam te, inquit, quum accusatores quo-
que tui adfuerint. Jussitque in prætorio Hero-
dis ipsum custodiri.
24 QUINQUE autem post diebus descendit pon-
tifex maximus Ananias cum senioribus, et Ter-
tullo quodam oratore; qui comparuerunt coram
præside contra Paulum.
2 Citato igitur eo, cœpit accusare Tertullus, di-
3 cens, Multa *nos* pace potiri per te, et ea quæ
recte ac feliciter in hac gente providentia tua
gesta sunt, prorsus et ubique agnoscimus, poten-
4 tissime Felix, cum omni gratiarum actione. Ne
vero te diutius interpellem, precor ut audias nos
5 paucis pro tua æquitate. Comperimus enim vi-
rum hunc *esse* pestem, et qui moveat seditio-
nem omnibus Judæis per orbem terrarum, et
6 principem hæresis Nazaræorum: qui templum
quoque tentavit profanare: in quem etiam pre-
hensum voluimus secundum legem nostram ju-
7 dicium ferre; sed interveniens tribunus Lysias,
cum magna vi abduxit eum e manibus nostris:
8 jussis ipsius accusatoribus ad te venire: ex quo

poteris ipse, inquisitione habita, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos eum accusamus.
9 Consenserunt autem etiam Judæi, aientes hæc ita se habere.
10 Respondit autem Paulus, quum innuisset ei præses ut loqueretur, Quia te a multis annis huic genti præfuisse scio, eo alacriore animo quæ ad me attinent pro mei defensione dicam.
11 Quum tu possis certior fieri, non plures *exactos* esse dies quam duodecim, ex quo ascendi Hierosolymam adoraturus. Neque vero me in templo
12 invenerunt cum aliquo disserentem, aut coitionem turbæ facientem, neque in synagogis, ne-
13 que in urbe: neque probare possunt ea, de qui-
14 bus nunc me accusant. Hoc vero tibi fateor, me secundum viam illam, quam hæresin dicunt, ita colere patrium Deum ut qui credam omni-
15 bus quæ in lege et in prophetis scripta sunt: ac spem habeam in Deo, fore, quam etiam ii ipsi exspectant, resurrectionem mortuorum, tum justo-
16 rum tum injustorum. Interea vero ipse *me* exerceo, ad conscientiam omni tempore habendam
17 sine offensa apud Deum et apud homines. Pluribus autem annis interjectis, veni eleemosynas
18 præstiturus genti meæ, et oblationes. Inter quæ invenerunt me sanctificatum in templo, non *tamen* cum turba, neque cum tumultu, quidam ex
19 Asia Judæi; quos oportuit apud te adesse, et
20 accusare, siquid haberent adversum me. Aut hi ipsi dicant si quod invenerunt in me injuste
21 factum, quum ego starem in consessu: nisi de hac una voce, qua clamavi, quum inter eos starem, De resurrectione mortuorum ego in judicium vocor hodie a vobis.
22 Auditis autem his, Felix ampliavit eos, Postquam exquisitius pernovero quæ ad viam istam

pertinent, inquiens, Quum tribunus Lysias de-
23 scenderit, pernoscam vestrum negotium. Edicens etiam centurioni ut servaretur Paulus, ac relaxaretur, et nequis prohiberetur ex ipsius familiaribus ei ministrare, aut eum adire.
24 ALIQUOT autem post diebus, quum advenisset Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, accersivit Paulum, et audivit eum de fide quæ
25 est in Christum. Disserente autem ipso de justitia, et continentia, et judicio futuro, expavefactus Felix, respondit, Ut nunc se res habent, abi: opportunitatem autem nactus accersam te.
26 Simul et illud sperans, fore ut pecunia ipsi daretur a Paulo, ut eum *vinculis* exsolveret: quamobrem etiam frequentius eum accersens,
27 colloquebatur cum eo. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Porcium Festum: et volens gratiam inire a Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.
25 FESTUS ergo ingressus provinciam, triduo
2 post ascendit Cæsarea Hierosolymam. Comparuerunt autem coram eo pontifex maximus et primarii ex Judæis contra Paulum, et eum pre-
3 cati sunt, petentes gratiam adversus eum, ut accerseret eum Hierosolymam; factis insidiis, ut
4 *eum* in via interimerent. Festus autem respondit, ut asservaretur Paulus Cæsareæ: se vero cito
5 *illuc* profecturum. Qui ergo inter vos, inquit, *istud* poterunt, una descendant, et siquid est in hoc viro improbum, accusent eum.
6 Sumptis autem apud eos diebus non pluribus quam decem, quum descendisset Cæsaream, postero die sedit in tribunali, jussitque Paulum ad-
7 duci. Qui quum adfuisset, circumsteterunt *eum* qui Hierosolymis descenderant Judæi, multas et graves criminationes adferentes adversus Paulum,

8 quas nequibant demonstrare: ipso pro sui defensione dicente, Neque in legem Judæorum, neque
in templum, neque in Cæsarem quicquam peccavi.
9 Sed Festus volens gratiam inire a Judæis, respondens Paulo dixit, Vis Hierosolymam ascendere, et illic de his judicium subire apud me?
10 Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet judicium subire: Judæos nulla in
re injuria affeci, sicut et tu pulchre agnoscis.
11 Nam si sum nocens et dignum morte feci quippiam, non recuso mori: sin vero nihil est *ex iis* quorum isti me accusant, nullus me potest iis donare: Cæsarem appello.
12 Tunc Festus cum concilio collocutus, respondit, Cæsarem appellasti? ad Cæsarem proficisceris.
13 DIEBUS autem aliquot exactis, Agrippa rex et Bernice venerunt Cæsaream, salutaturi Festum.
14 Et quum dies complures illic consumpsissent, Festus regi exposuit illi de Paulo, dicens, Vir
15 quidam est relictus a Felice in vinculis: de quo, quum venissem ego Hierosolyma, comparentes me interpellarunt primarii sacerdotes et seniores Judæorum, petentes damnationem adversus eum.
16 Quibus respondi, non esse Romanis morem, quempiam perdendum concedere, priusquam is qui accusatur in conspectu habeat accusatores, et locum
17 defensionis accipiat super criminatione. Quum ergo huc convenissent, absque ulla dilatione, consequenti die sedens in tribunali, jussi adduci ho-
18 minem. Cujus accusatores quum adstarent, nullum crimen objiciebant eorum quæ ego suspicabar;
19 sed quæstiones quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, et de quodam Jesu de-
20 functo, quem aiebat Paulus vivere. Incertus autem ego super ejusmodi quæstione, dixi num

vellet proficisci Hierosolymam, et illic judicium
21 subire super istis. Quum vero Paulus provocasset
ut asservaretur Augusti cognitioni, jussi eum as-
servari quousque mitterem eum ad Cæsarem.
22 Agrippa vero dixit Festo, Velim et ipse ho-
minem audire.
At ille, Cras, inquit, eum audies.
23 Postero igitur die quum venisset Agrippa et
Bernice cum multa ostentatione, et introissent in
auditorium cum tribunis et eminentibus ejus ur-
bis civibus, jubente Festo, adductus est Paulus.
24 Tum Festus, Agrippa rex, inquit, et omnes
qui simul adestis nobiscum, videtis istum, de quo
omnis multitudo Judæorum compellavit me, et
Hierosolymis et hic, vociferantes non oportere
25 ipsum vivere amplius. Ego vero quum compe-
rissem eum nihil dignum morte fecisse, et is ipse
26 appellasset Augustum, decrevi eum mittere. De
quo quid certi scribam domino, non habeo: qua-
propter eum ad vos produxi, et maxime ad te,
rex Agrippa, ut habita quæstione, habeam quod
27 scribam. Nam præter rationem mihi videtur,
quum mittam vinctum, non etiam crimina in eum
collata significare.
26 Agrippa vero Paulo dixit, Permittitur tibi pro
teipso dicere.
Tunc Paulus extensa manu, hac defensione
2 usus est: Super omnibus de quibus postulor a
Judæis, rex Agrippa, beatum me duco quod sim
3 hodie defensione apud te usurus: maxime quod
te gnarum esse sciam omnium qui apud Judæos
sunt rituum et quæstionum. Ideo rogo te ut me
patiente animo audias.
4 Vitam itaque meam actam a juventute, quæque
a principio fuit in gente mea Hierosolymis, sciunt
5 omnes Judæi; ut qui antea noverint, me jam inde

a majoribus (si velint testari,) secundum exquisitissimam illam hæresin nostri religiosi cultus,
6 vixisse Pharisæum. Nunc vero ob spem promissionis factæ patribus nostris a Deo, sto in judi-
7 cium vocatus: ad quam *promissionem* duodecim tribus nostræ, Deum nocte et die assidue colentes, sperant se occursuras: de qua spe postulor,
8 rex Agrippa, a Judæis. Quid? incredibile judicatur apud vos, quod Deus mortuos suscitet?
9 Equidem statueram apud me adversus nomen *illius* Jesu Nazaræi multa oportere *me* contraria
10 facere: quod etiam feci Hierosolymis: et multos sanctorum ego carceribus inclusi, a primariis sacerdotibus auctoritate accepta; et quum *ab eis* interi-
11 merentur, tuli suffragium: ac per omnes synagogas sæpe ipsos puniens, coegi ad blasphemandum: et supra modum furens adversus eos, persecutus sum *ipsos* etiam in exteras usque civitates.
12 Inter quæ etiam proficiscens Damascum cum potestate et mandato a primariis sacerdotibus,
13 die medio, rex, in via vidi cœlitus lucem, quæ splendorem solis superans, circumfudit me suo
14 fulgore, et eos qui mecum iter faciebant: quum autem omnes nos decidissemus in terram, audivi vocem alloquentem me, ac dicentem Hebraica lingua, Saul, Saul, quid me persequeris? durum
15 est tibi contra stimulos calcitrare. Ego autem dixi, Quis es, Domine? At ille dixit, Ego sum
16 Jesus ille quem tu persequeris, Sed exsurge, et insiste pedibus tuis: idcirco enim apparui tibi, ut designarem te ministrum ac testem tum eorum quæ vidisti, tum eorum *in* quibus apparebo tibi;
17 eruens te ex hoc populo, et gentibus, ad quos
18 nunc te mitto; ut aperias oculos eorum, et convertas *eos* a tenebris ad lucem, et *a* potestate Satanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum et

sortem inter sanctificatos accipiant per fidem quæ
est in me.
19 Unde, rex Agrippa, non fui rebellis cœlesti
20 illi apparitioni; sed iis qui sunt Damasci primum,
et Hierosolymis, et in omni regione Judææ, *de-*
inde et gentibus annunciavi ut resipiscerent, et
converterent se ad Deum, opera facientes con-
21 venientia resipiscentiæ. Horum causa Judæi me
in templo comprehensum tentarunt manibus *suis*
22 interficere. Sed auxilium, quod *est* a Deo, na-
ctus, perstiti in hunc usque diem, testificans *ista*
tum parvis tum magnis, nec quicquam dicens ex-
tra ea quæ prophetæ ac Moses futura prædixe-
23 runt: *nempe* Christum fuisse passurum, ac primum
ex resurrectione mortuorum, lucem annunciaturum
huic populo et gentibus.
24 Hæc autem ipso pro sui defensione excipiente,
Festus magna voce ait, Insanis, Paule, multæ li-
teræ te ad insaniam propellunt.
25 Tum ille, Non insanio, inquit, potentissime
Feste, sed vera ac sanæ mentis verba eloquor.
26 Scit enim ista rex, apud quem etiam libere lo-
quor; nam eum latere quicquam horum mihi non
persuadeo, neque enim id in angulo gestum est.
27 Credis, rex Agrippa, prophetis? scio te cre-
dere.
28 Agrippa vero dixit Paulo, Prepemodum per-
suades mihi ut fiam Christianus.
29 Paulus autem dixit, Optarim a Deo, ut et pro-
pemodum et admodum, non tu modo, sed omnes
etiam qui me audiunt hodie, facti essetis tales
qualis ego sum, exceptis istis vinculis.
30 Et quum hæc dixisset, surrexit rex, ac præses,
31 et Bernice, et qui consederant cum eis. Et quum
secessissent, loquebantur alii ad alios, dicentes,
Certe nihil morte aut vinculis dignum facit homo

32 iste. Agrippa vero Festo dixit, Dimitti poterat homo iste, nisi appellasset Cæsarem.

27 UT autem decretum fuit ut nos navigaremus in Italiam, tradiderunt tum Paulum tum quosdam alios vinctos centurioni, nomine Julio, cohortis 2 Augustæ. Conscenso igitur navigio Adramytteno, navigaturi secundum Asiæ regiones provecti sumus, et nobiscum erat Aristarchus Macedo Thessaloni- 3 censis. Altera autem die devecti sumus Sidonem: et Julius, humaniter tractato Paulo, permisit ut ad amicos profectus, ab illis refocillaretur.

4 Illinc vero provecti sublegimus Cyprum, quod 5 venti essent adversi. Et pelagus quod est secundum Ciliciam et Pamphyliam emensi, deveni- 6 mus Myra *urbem* Lyciæ. Et illic nactus centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, im- 7 posuit nos in eam. Quumque non paucis diebus tarde navigaremus, vixque pervenissemus secundum Gnidum, non permittente nobis vento, sub- 8 legimus Cretam secundum Salmonen: et illam vix præterlegentes, pervenimus in locum quendam quem vocant Pulchros Portus, cui propinqua erat civitas Lasæa.

9 Non parvo autem tempore peracto, et quum jam esset periculosa navigatio, quod jam etiam 10 jejunium præteriisset, admonebat *eos* Paulus, dicens eis, Viri, video cum injuria multoque damno, non solum oneris et navis, sed etiam capitum 11 nostrorum, futuram navigationem. Centurio vero gubernatori et nauclero potius assentiebatur, quam 12 iis quæ a Paulo dicebantur. Et quum appositus portus non esset ad hibernandum, plerique consulti decreverunt solvere etiam illinc, *experturi* siquo modo possent ad Phœnica devenire, et illic hibernare; qui portus est Cretæ, respiciens ad Africum et Chorum.

13 Quum autem aspirasset Notus, visi sibi *sui*
propositi facti compotes, quum solvissent, pro-
14 pius præterlegebant Cretam. Verum haud multo
post impegit in eam ventus turbulentus, qui vo-
15 catur Euroclydon. Quumque abreptum esset na-
vigium, nec posset obniti vento, dato *ventis na-*
16 *vigio* ferebamur. Et quum infra parvam quan-
dam insulam, quæ Clauda vocatur, cursu delati
essemus, vix valuimus scaphæ compotes fieri.
17 Qua subducta, adjumentis utebantur, succincta
navi: metuentesque ne in syrtin exciderent, de-
18 missis velis, ita ferebantur. Quum autem vehe-
menti tempestate jactaremur, sequente *die* jactu-
19 ram fecerunt: ac tertio die ipsi nostris manibus
20 armamenta navis abjecimus. Quum autem neque
sol neque sidera apparerent ad complures dies,
et tempestas non parva incumberet, ablata in
posterum spes omnis erat salutis nostræ.
21 Et quum multa jam fuisset inedia, tunc stans
Paulus in medio eorum dixit, Oportebat quidem,
o viri, mihi ab initio obediendo non provehi a
22 Creta, et vitare injuriam hanc et damnum. Sed
nunc adhortor vos ut bono animo sitis: amissio
enim nulla erit cujusquam ex vobis, sed tantum
23 navis. Adstitit enim mihi hac nocte angelus
24 Dei, cujus sum ego, et quem etiam colo, dicens,
Ne metue, Paule; oportet te Cæsari sisti: et
ecce, gratificatus est tibi Deus omnes qui tecum
25 navigant. Propterea bono animo estote, viri:
credo enim Deo, ita fore quemadmodum locutus
26 est mihi. In insulam autem quandam excidere
nos oportet.
27 Ceterum quum quartadecima nox advenisset,
et jactaremur in Adria, nautæ circa medium no-
ctis suspicati sunt appropinquare sibi aliquam re-
28 gionem. Et demissa bolide invenerunt passus

viginti: et paululum inde progressi, rursum de-
29 missa bolide, invenerunt passus quindecim. Et metuentes ne quo modo in aspera loca excide-rent, jactis e puppi anchoris quatuor, optabant diem oriri.
30 Quum vero nautæ studerent fugere e navi, et demisissent scapham in mare, sub prætextu velut
31 e prora anchoras extensuri, dixit Paulus centu-rioni et militibus, Nisi isti in navi manserint,
32 vos servari non potestis. Tunc absciderunt mili-tes funes scaphæ, et siverunt eam excidere.
33 Interim autem dum oriretur dies, hortabatur Paulus omnes ut caperent cibum, dicens, Dies hic est decimusquartus, ex quo exspectantes je-
34 juni permanetis, nullo cibo sumpto. Ideo vos hortor ut sumatis cibum: hoc enim ad salutem vestram spectat: nullius enim vestrum capillus
35 ex capite cadet. Et quum hæc dixisset, et acce-pisset panem, gratias egit Deo in conspectu om-
36 nium: et quum fregisset, cœpit edere. Omnes vero quum jam animum recepissent, sumpserunt
37 et ipsi cibum. Eramus autem universa capita in
38 navigio ducenta septuaginta sex. Ceterum satiati cibo, allevabant navim, projicientes frumentum in mare.
39 Quum autem dies ortus esset, terram illam non agnoscebant: sinum vero quendam animad-verterunt habentem litus, in quem decreverant,
40 si possent, extrudere navim. Anchoris igitur undique ablatis, permiserunt *eam* mari, simul la-xatis vinculis gubernaculorum: et sublato arte-
41 mone ad venti flatum, tendebant ad litus. Sed quum incidissent in locum bimarem, impegerunt navem: ac prora quidem infixa manebat immota, puppis vero solvebatur præ undarum violentia.
42 Militum autem consilium erat, ut vinctos interi-

43 merent, ne quis, quum enatasset, effugeret. Sed centurio volens conservare Paulum, prohibuit eos ab hac deliberatione; jussitque ut qui possent natare, abjicerent *se* primos, et in terram evade-
44 rent: reliqui vero partim in tabulis, partim quibusdam navis *fragmentis:* et ita factum est, ut
28 omnes salvi evaderent in terram.

ET quum salvi evasissent, tunc cognoverunt
2 insulam illam vocari Melitam. Barbari vero præstabant nobis non vulgarem humanitatem: accensa enim pyra acceperunt nos omnes, propter imbrem urgentem, et propter frigus.
3 Quum autem convertisset Paulus nonnihil sarmentorum, et imposuisset in pyram, vipera e ca-
4 lore prodiens arripuit ejus manum. Ut vero barbari viderunt pendentem bestiam e manu ejus, alii aliis dicebant, Omnino homicida est homo iste, quem, postquam salvus evasit e mari, ultio
5 non sivit vivere. At ille, excussa bestia in
6 ignem, nihil mali passus est. Illi vero exspectabant dum intumesceret, aut concideret repente mortuus: sed quum multum *tempus* exspectassent, et viderent nihil incommodi illi accidere, mutati, dicebant eum esse deum.
7 Ceterum circa locum illum erant prædia primario insulæ illius, nomine Publio, qui nos ex-
8 ceptos, triduo peramice hospitio excepit. Factum est autem ut pater Publii febribus ac dysenteria detentus, decumberet: ad quem Paulus ingressus, et precatus, impositis ei manibus, sanavit eum.
9 Hoc igitur facto, reliqui etiam qui infirmitatibus
10 tenebantur in illa insula, accedebant, et sanabantur: qui etiam multis honoribus nos honorarunt; et quum proveheremur, imposuerunt quæ usui *nobis* erant.
11 TRIBUS itaque post mensibus provecti sumus

navi Alexandrina, quæ in ea insula hiemaverat,
12 cui erat insigne Castor et Pollux. Et devecti
13 Syracusas, *illic* mansimus triduum. Unde circumlegentes devenimus Rhegium: et altero post die quum supervenisset Auster, secundo die venimus
14 Puteolos: ubi repertis fratribus, rogati sumus ut permaneremus apud eos diebus septem: et ita contendimus Romam. Unde quum audissent fratres de rebus nostris, prodierunt nobis in occursum usque ad Appii Forum et Tres Tabernas: quos quum vidisset Paulus, gratiis actis Deo, sumpsit fiduciam.
16 Quum vero venissemus Romam, centurio tradidit vinctos præfecto exercituum: sed permissum est Paulo ut habitaret seorsim, cum milite qui ipsum custodiret.
17 FACTUM est autem ut tertio post die convocaret Paulus Judæorum primos: qui ubi convenissent, dixit eis, Ego, viri fratres, quum nihil fecerim adversus populum aut ritus patrios, vinctus traditus sum Hierosolymis in manus Roma-
18 norum. Qui, quæstione de me habita, volebant me dimittere, quod nulla sit in me causa mortis.
19 Sed contradicentibus Judæis, coactus sum appellare Cæsarem: non *tamen* quasi habeam de quo
20 gentem meam accusem. Ob hanc igitur causam vos advocavi, quos viderem et alloquerer; nam propter spem Israelis circumdatus sum hac catena.
21 Illi vero dixerunt ei, Nos neque literas accepimus de te ex Judæa; neque adveniens quisquam fratrum annunciavit aut locutus est aliquid de
22 te mali. Velimus autem ex te audire quæ sentias: nam de ista hæresi notum est nobis ubique *ei* contradici.
23 Quum igitur constituissent ei diem, venerunt ad eum in hospitium complures; quibus cum attestatione exponebat regnum Dei, suadens eis

quæ de Jesu Christo sunt, ex lege Mosis et prophetis, a mane usque ad vesperam.
24 Et alii quidem assentiebantur iis quæ dicebantur; quidam vero non credebant.
25 Quum autem inter se discordes essent, digressi sunt postquam Paulus hoc verbum dixisset, Recte sane Spiritus Sanctus locutus est per Esaiam
26 prophetam patribus nostris, dicens, Vade ad populum istum, et dic, Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis,
27 et non cernetis. Pinguefactum enim est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculis suis conniverunt: ne cernant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertant sese, et sanem eos (Es. 6, 9. 10).
28 Notum ergo sit vobis, missam esse gentibus hanc Dei salutem, et ipsos audituros.
29 Quum ergo hæc dixisset, exierunt Judæi, multam habentes inter se altercationem.
30 Mansit autem Paulus biennium totum in proprio conducto; et excipiebat omnes qui ad ipsum
31 ingrediebantur; prædicans regnum Dei, ac docens quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni dicendi libertate, nemine prohibente.

EPISTOLA PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

1 PAULUS, servus Jesu Christi, ex vocatione apostolus, separatus ad *prædicandum* evange-
2 lium Dei, (quod ante promiserat per prophetas
3 suos in scripturis sanctis,) de Filio suo, (facto ex
4 semine Davidis, secundum carnem, declarato

Filio Dei potenter secundum Spiritum sanctitatis,
per resurrectionem ex mortuis,) *nempe* Jesu Chri-
5 sto Domino nostro: (per quem accepimus gratiam
et apostolatum ad obedientiam fidei, inter omnes
6 gentes, pro ipsius nomine: inter quas estis etiam
7 vos, vocati a Jesu Christo:) omnibus qui Romæ
estis, dilectis Dei, *ex Dei* vocatione sanctis; gratia
sit vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino
Jesu Christo.
8 PRIMUM quidem gratias ago Deo meo per
Jesum Christum super omnibus vobis, quod fides
9 vestra annunciatur in toto mundo. Testis enim
mihi est Deus, quem colo spiritu meo in evan-
gelio Filii ipsius, me sine intermissione mentio-
10 nem facere vestri; semper in orationibus meis ro-
gantem, si quo modo tandem aliquando prosperum
iter mihi detur ex voluntate Dei, ut veniam ad
11 vos. Expeto enim videre vos, ut aliquod im-
pertiar vobis donum spirituale, ut vos stabilia-
12 mini: hoc est, ad communem exhortationem
percipiendam apud vos, per mutuam fidem, ve-
stram simul et meam.
13 Nolim autem vos ignorare, fratres, me sæpe
proposuisse venire ad vos, (sed prohibitus fui
usque adhuc,) ut fructum aliquem haberem inter
14 vos quoque, sicut et inter reliquas gentes. Et
Græcis et barbaris, tum sapientibus tum insipi-
15 entibus, debitor sum. Itaque quicquid in me si-
tum est, promptum est ad vobis etiam qui Romæ
estis, evangelizandum.
16 Non enim me pudet evangelii Christi: poten-
tia siquidem est Dei ad salutem cuivis credenti;
17 Judæo primum, tum etiam Græco. Justitia enim
Dei per illud detegitur ex fide in fidem: sicut
scriptum est, Qui vero ex fide justus est,
vivet (Habac. 2, 4).

18 Patet enim ira Dei e cœlo adversus omnem
impietatem et injustitiam hominum, ut qui veri-
19 tatem injuste detineant. Quoniam id quod de
Deo cognosci potest, manifestum est intra ipsos;
20 Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim in-
visibilia jam inde a creatione mundi ex iis quæ
fecit animadversa pervidentur, æterna *videlicet*
ejus tum potentia tum divinitas: ad hoc ut sint
21 inexcusabiles. Propterea quod quum Deum co-
gnoverint, *tamen* ut Deum non glorificaverunt,
neque gratias ei egerunt: sed vani facti sunt in
ratiocinationibus suis, et obtenebratum est desi-
22 piens cor eorum. Quum se dictitent sapientes,
23 stulti facti sunt. Mutarunt enim gloriam incor-
ruptibilis Dei in simulacrum imaginis corrupti-
bilis hominis, et volucrium, et quadrupedum, et
reptilium.
24 Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupidita-
tibus cordium ipsorum ad impuritatem, ut fœda-
25 rent corpora sua in semetipsis. Ut qui Dei veri-
tatem transmutarint in falsitatem, et venerati sint
et coluerint res conditas, præterito Creatore, qui
est benedictus in secula. Amen.
26 Propterea, *inquam*, tradidit eos Deus fœdis
affectibus: nam et feminæ illorum transmutarunt
naturalem usum in eum qui est præter naturam:
27 similiterque etiam masculi, relicto naturali usu
feminæ, exarserunt sua libidine alius in alium,
masculi in masculis fœda perpetrantes, et com-
pensationem (quum oportuit) erroris sui in sese
recipientes.
28 Et sicut non visum est eis Deum in agnitione
retinere, *ita* tradidit eos Deus in mentem omnis
judicii expertem, ut facerent quæ minime con-
29 veniebat: oppleti omni injustitia, malitia, scorta-
tione, improbitate, avaritia; pleni invidia, cæde,

30 contentione, dolo, malignitate: susurrones, oblo-
cutores, Dei osores, injuriosi, superbi, gloriosi,
inventores malorum, parentibus non obedientes,
31 intelligentia carentes, fœdifragi, charitatis exper-
32 tes, implacabiles, immisericordes: qui Dei jure
agnito, (*nempe* eos qui talia faciunt dignos esse
morte,) *tamen* non solum ea faciunt, sed etiam
cum iis qui ea faciunt consentiunt.

2 QUAPROPTER inexcusabilis es, o homo,
quisquis *alterum* damnas: nam hoc ipso quod
damnas alterum, teipsum condemnas: eadem enim
agis *tu* qui *alium* damnas.

2 Scimus vero judicium Dei esse secundum veri-
3 tatem adversus eos qui talia agunt. Cogitas
autem hoc, o homo, qui damnas eos qui talia
faciunt, et facis ea, fore ut effugias judicium Dei?
4 An divitias benignitatis ejus et tolerantiæ ac
tarditatis ad iram contemnis, ignorans te beni-
5 gnitate Dei ad resipiscentiam deduci? Sed pro
duritia tua et corde quod resipiscere nescit, the-
saurizas tibi ipsi iram in diem iræ et patefactionis
6 justi judicii Dei; qui reddet unicuique secundum
7 opera ipsius; iis quidem, qui secundum patientem
exspectationem quærunt boni operis gloriam, et
honorem, et immortalitatem, vitam æternam:
8 litigiosis vero et veritati quidem non obedienti-
bus, obedientibus autem injustitiæ, *erit* excande-
9 scentia et ira. Afflictio, *inquam*, *erit* et angustia
adversus omnem animam hominis perpetrantis
malum, tum Judæi in primis, tum etiam Græci:
10 gloria vero, et honor, et pax *erit* cuivis operanti
bonum, tum Judæo in primis, tum et Græco:
11 non enim est personarum acceptio apud Deum.
12 Quicunque enim absque lege peccaverunt, absque
lege quoque peribunt: et quicunque cum lege
13 peccaverunt, per legem damnabuntur: (non enim

qui audiunt legem justi sunt apud Deum; sed
14 qui legem præstant, justificabuntur. Nam quum
gentes quæ legem non habent, natura quæ legis
sunt faciant, isti legem non habentes, sibi ipsis
15 sunt lex: ut qui ostendant opus legis scriptum
in cordibus suis, una testimonium reddente ipso-
rum conscientia, et cogitationibus sese mutuo
16 accusantibus, aut etiam excusantibus:) in die quo
judicabit Dominus de occultis hominum, ex evan-
gelio meo, per Jesum Christum.
17 Ecce, tu cognominaris Judæus, et acquiescis
18 in lege, et gloriaris in Deo; et nosti *ejus* volun-
tatem, et exploras quæ discrepant, institutus ex
19 lege; confidisque te ducem esse cæcorum, lucem
20 eorum qui *sunt* in tenebris, eruditorem insipien-
tium, magistrum infantium, quod habeas informa-
21 tionem cognitionis ac veritatis in lege. Qui igi-
tur doces alium, teipsum non doces? qui prædicas
22 non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum,
mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium ad-
23 mittis? qui de lege gloriaris, per legis transgres-
24 sionem Deum dedecoras? Nam Dei nomen pro-
pter vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum
est (Es. 52, 5. Ezech. 36, 20. 23).
25 Nam circumcisio quidem prodest, si legem
observes: quod si transgressor legis fueris, cir-
26 cumcisio tua facta est præputium. Itaque si præ-
putium jura legis observet, nonne præputium
27 illius pro circumcisione reputabitur? Et quod
est ex natura præputium, si legem servet, da-
mnabit te, qui per literam et circumcisionem es
28 transgressor legis? Non enim qui *est* in propa-
tulo *Judæus*, Judæus est; nec ea quæ *est* in
propatulo *circumcisio*, *id est*, in carne, circum-
29 cisio *est:* sed qui in occulto Judæus *est*, et cir-
cumcisio cordis, *id est*, in spiritu, non litera:

cujus *Judæi* laus non *est* ex hominibus, sed
ex Deo.
3 QUÆ est igitur præstantia Judæi? aut quæ
utilitas circumcisionis?
2 Multa per omnem modum: primarium enim *illud*
3 *est*, quod eis credita sunt eloquia Dei. Quid tum
enim, si infidi fuerunt quidam? num ipsorum infide-
4 litas fidem Dei cassam reddet? Absit: imo esto
Deus verax, omnis autem homo mendax: sicut scri-
ptum est, Ut justificeris in sermonibus
tuis, et vincas quando tu judicas (Ps. 51, 4).
5 Quod si injustitia nostra Dei justitiam com-
mendat, quid dicemus? num injustus Deus qui
inferat pœnam? (humano more loquor.)
6 Absit: alioquin quomodo judex erit Deus mundi?
7 Etenim si veritas Dei per meum mendacium re-
dundavit in gloriam ipsius, cur amplius ego ut
8 peccator condemnor? Ac non (sicut de nobis male
loquuntur, et sicut quidam aiunt nos dicere) faciamus
mala ut veniant bona? quorum damnatio justa est.
9 Quid igitur? præcellimus?
Nullo modo: nam ante criminati sumus et Ju-
10 dæos et Græcos omnes esse sub peccato: sicut
scriptum est, Non est justus, ne unus qui-
11 dem: non est qui intelligat, non est qui
12 exquirat Deum. Omnes deflexerunt, si-
mul inutiles facti sunt: non est qui faciat
quod bonum est, non est usque ad unum
13 (Ps. 14, 1—3). Sepulchrum apertum, guttur
eorum; linguis suis ad dolum usi sunt
(Ps. 5, 9); venenum aspidum sub labiis
14 eorum (Ps. 140, 3): quorum os diris et ama-
15 rulentia plenum est (Ps. 10, 7). Veloces
pedes eorum ad effundendum sanguinem:
16 contritio et calamitas in viis eorum: 17 et
18 viam pacis non cognoverunt (Es. 59, 7. 8).

Non est timor Dei coram oculis eorum (Ps. 36, 3).

19 SCIMUS autem, quæcunque lex dicit, iis qui in lege sunt dicere; ut omne os obturetur, et obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei. Pro-
20 pterea ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus: per legem enim agnitio peccati.
21 Nunc vero absque lege justitia Dei patefacta est, comprobata testimonio legis ac prophetarum:
22 justitia, inquam, Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt; non enim
23 est distinctio: omnes enim peccaverunt, ac defi-
24 ciuntur gloria Dei: ut qui justificentur gratis, *id est*, ejus gratia, per redemptionem factam in
25 Jesu Christo: quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius ad demonstrationem justitiæ suæ prætereundo peccata quæ antecesse-
26 runt, in illa Dei tolerantia. Ad demonstrationem justitiæ suæ, præsenti tempore: ut sit ipse justus, et justificans eum qui est ex fide Jesu.
27 Ubi igitur gloriatio? exclusa est. Per quam legem? operum? non: sed per legem fidei.
28 Colligimus igitur, fide justificari hominem absque operibus legis.
29 An *est* Deus Judæorum solum? annon et gen-
30 tium? certe et gentium. Quandoquidem Deus unus *est* qui justificabit circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.
31 Legem igitur cassam reddimus per fidem? Absit: imo legem stabilimus.

4 QUID igitur dicemus Abrahamum, patrem illum nostrum, nactum esse secundum carnem?
2 Nam si Abrahamus ex operibus justificatus fuit, habet de quo glorietur, at non apud Deum.
3 Quid enim scriptura dicit? Credidit autem Abrahamus Deo, et imputatum est ei ad justitiam.

4 Atqui ei qui operatur, merces non imputatur ex
5 gratia, sed ex debito. Ei vero qui non operatur,
sed credit in eum qui justificat impium, imputatur
6 fides sua ad justitiam. Sicut etiam David declarat
beatum eum hominem cui Deus imputat justitiam
7 absque operibus, *dicens*, Beati quibus remissæ
sunt legis transgressiones, et quorum
8 tecta sunt peccata. Beatus vir cui non
imputarit Dominus peccatum (Ps. 32, 1. 2).
9 Ista igitur beatitatis declaratio in circumcisio-
nem *solum*, an et in præputium *cadit?* dicimus
enim imputatam fuisse Abrahæ fidem ad justitiam.
10 Quomodo ergo imputata est? quum esset in cir-
cumcisione, an *quum esset* in præputio?
11 Non in circumcisione, sed in præputio. 11 Et
signum accepit circumcisionis, *quod est* sigillum
justitiæ fidei receptæ in præputio, ut esset pater
omnium credentium in præputio, imputata etiam
12 ipsis justitia; et pater circumcisionis, iis *videlicet*
qui non solum sunt ex circumcisione, sed qui
etiam incedunt vestigiis fidei patris nostri Abra-
hami, quæ fuit in præputio.
13 Non enim per legem promissio *cessit* Abra-
hamo, aut semini ejus, ut hæres esset mundi,
14 sed per justitiam fidei. Etenim si ii qui ex lege
sunt, hæredes sunt, inanis facta est fides, et
15 cassa reddita est illa promissio. Nam lex iram
efficit: ubi enim non est lex, ibi nec transgressio
16 *est*. Propterea ex fide *est hæreditas* ut *sit* per
gratiam, ut firma sit promissio toti semini: *id*
est, non solum ei quod *est* ex lege, verum etiam
ei quod *est* ex fide Abrahami, qui est pater om-
17 nium nostrum, (sicut scriptum est, Patrem mul-
tarum gentium constitui te,) coram eo cui credi-
dit, Deo *videlicet*, vivificante mortuos, et vocante
18 quæ non sunt tanquam sint: qui, *Abrahamus*,

contra spem sub spe credidit, fore ut ipse fieret
pater multarum gentium, secundum id quod *ei*
dictum fuerat, Ita erit semen tuum (Gen. 15, 5).
19 Ac minime infirmus fide, non consideravit suum
ipsius corpus jam emortuum, quum centum circi-
ter natus esset annos, nec emortuum uterum Saræ.
20 Ad hanc promissionem autem Dei non addubitavit
incredulitate: sed corroboratus fuit fide, tributa
21 gloria Deo; ac plene certioratus est, *eum* quod
22 promiserat, posse etiam efficere. Quapropter
etiam *hoc* imputatum est ei ad justitiam.
23 Non scriptum est autem propter eum solum,
24 quod *hoc* imputatum fuerit ei; sed etiam propter
nos, quibus futurum est ut imputetur, iis *nimi-*
rum qui credunt in eum qui suscitavit Jesum
25 Dominum nostrum ex mortuis, qui traditus fuit
morti propter offensas nostras, et suscitatus ad
nostri justificationem.
5 JUSTIFICATI igitur ex fide, pacem habemus
apud Deum per Dominum nostrum Jesum Chri-
2 stum: per quem etiam fide adducti fuimus in
hanc gratiam per quam stamus, et gloriamur in
spe gloriæ Dei.
3 Neque *id* solum, sed etiam gloriamur de affli-
ctionibus, scientes quod afflictio tolerantiam effi-
4 ciat; tolerantia vero experientiam, experientia
5 autem spem: porro spes non pudefacit, eo quod
charitas Dei effusa est in cordibus nostris per
Spiritum Sanctum qui datus est nobis.
6 Christus enim, quum nullis adhuc viribus esse-
mus, præstituto tempore pro impiis mortuus est.
7 Enimvero vix pro justo quisquam moriatur; nam
pro bono *viro* forsitan aliquis etiam mori sustineat.
8 Commendat autem suam erga nos charitatem
Deus, eo quod quum adhuc essemus peccatores,
9 Christus pro nobis mortuus sit. Justificati igitur

nunc ejus sanguine, servabimur multo magis per
10 eum ab ira illa. Nam si, quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati, servabimur per vitam
11 ipsius. Neque id solum, verum etiam gloriamur de Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus.
12 Propterea, sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, sic per peccatum, mors; et ita in omnes homines mors pervasit, in quo *ho-*
13 *mine* omnes peccarunt. Nam usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum vero *esse*
14 non putatur, non existente lege. Regnavit autem mors ab Adamo usque ad Mosen, in eos etiam qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam, qui est typus illius qui erat futurus.
15 At non ut offensa, ita etiam *est* quod *Deus* gratificatur: nam si illius unius offensa multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donatio per gratiam, quæ *est* unius illius hominis Jesu
16 Christi, in multos exundavit. Neque ut *illud quod introiit* per unum qui peccavit, *ita est* quod donatur: nam reatus quidem *est* ex una *offensa* ad condemnationem; quod autem gratificatur *Deus*, *est* ex multis *offensis* ad justifica-
17 tionem. Etenim si per unam illam offensam mors regnavit per illum unum, multo magis *ii* qui exundantiam illam gratiæ et doni justitiæ recipiunt, in vita regnabunt per unum illum Jesum Christum.
18 Nempe igitur, sicut per unam offensam *reatus venit* in omnes homines ad condemnationem, ita per unam justificationem *beneficium redundavit*
19 in omnes homines ad justificationem vitæ. Sicut enim per illam inobedientiam unius illius homi-

nis peccatores constituti sunt illi multi, ita per
unius obedientiam justi constituentur illi multi.
20 Lex vero præterea introiit, ut redundaret
offensa illa: sed ubi redundavit peccatum, *ibi*
21 superabundavit gratia illa: ut quemadmodum
regnaverat illud peccatum ad mortem, ita etiam
gratia illa regnaret per justitiam ad vitam æter-
nam, per Jesum Christum Dominum nostrum.
6 Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato,
ut gratia auctior fiat?
2 Absit: qui mortui sumus peccato, quomodo ad-
3 huc vivemus in eo? An ignoratis, nos quotquot
baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem
4 ejus esse baptizatos? Consepulti sumus igitur
ei per baptismum in mortem; ut sicuti suscita-
tus est Christus ex mortuis in gloriam Patris,
5 ita et nos nova vita ambulemus. Nam si cum
eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus,
nimirum etiam resurrectionis *assimilatione cum*
6 *eo* coalescemus: illud scientes, veterem illum
nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut
cassum reddatur corpus illud peccati, ne nos
7 amplius serviamus peccato. Etenim qui mortuus
8 est, liberatus est a peccato. Quod si mortui
sumus cum Christo, credimus fore ut etiam ei
9 convivamus: ut qui sciamus Christum suscitatum
ex mortuis, non amplius mori: mortem, *inquam*,
10 ei non amplius dominari. Nam quod mortuus
est, peccato mortuus est semel: quod autem
11 vivit, vivit Deo. Ita etiam vos colligite, vos
tum mortuos esse peccato, tum vero vivere Deo
12 per Christum Jesum Dominum nostrum. Ne
regnato igitur peccatum in mortali vestro cor-
pore, ut auscultetis in cupiditatibus corporis:
13 neque sistite membra vestra arma injustitiæ pec-
cato: sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos,

14 et membra vestra arma justitiæ Deo. Peccatum
enim vobis non dominabitur: non enim estis
sub lege, sed sub gratia.
15 Quid igitur? peccabimus, quod non simus sub
lege, sed sub gratia?
16 Absit. 16 An nescitis quod cui sistitis vos
servos ad auscultandum, ejus servi estis cui au-
scultatis, sive peccati ad mortem, sive obedien-
17 tiæ ad justitiam? Gratia autem *sit* Deo, quod
fuistis *quidem* servi peccati, sed ex corde au-
scultastis ei formæ doctrinæ in quam estis tra-
18 diti. Et liberati a peccato, mancipati estis justi-
19 tiæ. Hominum more loquor, propter infirmitatem
carnis vestræ. Nempe, sicut stitistis membra
vestra serva impuritati et legis transgressioni,
ad *patrandam* legis transgressionem: ita nunc
sistite membra vestra serva justitiæ ad sancti-
20 moniam. Quum enim servi eratis peccati, liberi
21 eratis justitiæ. Quem igitur fructum habebatis
tunc *ex iis* de quibus nunc erubescitis? nam
22 finis illorum mors *est*. Nunc vero liberati a
peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum
vestrum in sanctimoniam, finem autem, vitam
23 æternam. Nam stipendia peccati *sunt* mors:
donum autem Dei *est* vita æterna in Christo
Jesu Domino nostro.
7 AN ignoratis, fratres, (peritos enim legis allo-
quor,) legem *tantisper* dominari cuipiam quanto
2 tempore ipse vivit? Nam viro addicta mulier,
viventi viro devincta est per legem: quod si
mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri.
3 Proinde, vivente viro, mœcha vocabitur, si fiat
alterius viri; sin autem mortuus fuerit vir ejus,
libera est a lege illa, ut non sit mœcha si fiat
alterius viri.
4 Itaque, fratres mei, vos quoque mortificati

estis legi in corpore Christi; ut essetis alterius,
ejus *videlicet* qui ex mortuis suscitatus est, ut
5 fructum feramus Deo. Quum enim essemus in
carne, affectus peccatorum per legem *existentes*
agebant in membris nostris, ad fructum feren-
6 dum morti. Nunc autem liberati sumus a lege,
mortuo *eo* in quo detinebamur, ut serviamus in
novitate spiritus, ac non *in* vetustate literæ.
7 Quid ergo dicemus? Lex peccatum *est?*
Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per
legem: nam ipsam quoque cupiditatem non nos-
sem *esse peccatum*, nisi lex dixisset, Non con-
8 cupisces. Sed peccatum, occasione per illud
præceptum sumpta, effecit in me totam cupi-
9 ditatem. Nam absque lege, peccatum *quidem*
erat mortuum: ego vero vivus eram absque lege
quondam; præcepti autem illius adventu pecca-
10 tum *quidem* revixit, ego vero mortuus sum. Et
inventum est illud præceptum quod *erat* ad vitam,
11 mihi *cedere* ad mortem. Nam peccatum, occa-
sione per illud præceptum sumpta, seduxit me, et
12 per illud occidit. Itaque lex ipsa quidem sancta;
et præceptum illud sanctum, ac justum, et bonum
est.
13 Ergo quod bonum *est*, mihi factum est mors?
Absit: sed peccatum *mihi factum est mors*,
ut appareret *esse* peccatum mihi per id quod
bonum est efficiens mortem; *id est*, ut peccatum
fieret admodum peccans per illud præceptum.
14 Scimus enim legem esse spiritualem: at ego
carnalis sum, venditus ut subjicerer peccato.
15 Quod enim perpetro, non agnosco: non enim
quod volo, hoc ago; sed quod odi, hoc facio.
16 Quod si facio quod nolo, consentio legi quod
17 bona *sit*. Nunc itaque non amplius ego id per-
petro, sed peccatum quod in me habitat, *id*

18 *perpetrat.* Novi enim non habitare in me (id
est, in carne mea) bonum: nam velle adest mihi,
sed ut quod bonum est perficiam, non assequor.
19 Non enim facio bonum quod volo: sed malum
20 quod nolo, hoc ago. Quod si id facio ego quod
ego nolo, non amplius ego id perpetro, sed
peccatum quod in me habitat, *id perpetrat.*
21 Invenio igitur volenti mihi facere bonum hanc
legem *impositam esse*, quod mihi malum adja-
22 ceat. Delector enim lege Dei quod ad interio-
23 rem hominem: sed video aliam legem in mem-
bris meis belligerantem adversus legem mentis
meæ, et captivum reddentem me legi peccati
quæ est in membris meis.
24 Ærumnosus ego homo! quis me eripiet ex
25 isto corpore mortis? Gratias ago Deo per Je-
sum Christum Dominum nostrum.
Nempe igitur ipse ego mente quidem servio
legi Dei, carne vero legi peccati.
8 NULLA igitur nun *est* condemnatio iis qui
sunt in Christo Jesu, *qui* non secundum carnem
2 ambulant, sed secundum spiritum. Nam lex
spiritus vitæ, *qui est* in Christo Jesu, liberavit
3 me a lege peccati et mortis. Nam quæ legis
erat impotentia, quum viribus esset destituta in
carne, Deus suo ipsius Filio misso in forma
consimili carni peccato obnoxiæ, idque pro pec-
4 cato, condemnavit peccatum in carne: ut jus il-
lud legis compleatur in nobis, qui non secundum
carnem ambulamus, sed secundum spiritum.
5 Nam qui secundum carnem sunt, quæ carnis
sunt sapiunt; qui vero *sunt* secundum spiritum,
6 quæ spiritus sunt. Nam quod sapit caro, mors
est; quod autem sapit spiritus, vita et pax:
7 quoniam quod sapit caro, inimicitia *est* adver-
sus Deum: legi enim Dei non subjicitur; nam

8 ne potest quidem. Ergo qui in carne sunt, Deo
placere non possunt.
9 Vos autem non estis in carne, sed in spiritu,
siquidem spiritus Dei habitat in vobis: quod
siquis spiritum Christi non habet, is non est
10 ejus. Porro si Christus in vobis *est*, corpus
quidem mortuum *est* propter peccatum; spiritus
11 autem vita *est* propter justitiam. Sed si spiritus
ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis habitat in
vobis; is qui excitavit Christum ex mortuis, vi-
vificabit etiam mortalia corpora vestra per in-
habitantem ipsius spiritum in vobis.
12 Nempe igitur, fratres, debitores sumus non
carni, ut secundum carnem vivamus, *sed spiri-*
13 *tui.* Nam si secundum carnem vixeritis, futurum
est ut moriamini: sed si spiritu actiones corpo-
14 ris mortificetis, vivetis. Quotquot enim spiritu
15 Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim ac-
cepistis spiritum servitutis rursum ad metum; sed
accepistis spiritum adoptionis, per quem clama-
16 mus Abba, *id est*, Pater. Et ille ipse spiritus
testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios
17 Dei. Quod si filii, etiam hæredes: hæredes qui-
dem Dei, cohæredes autem Christi; si modo *cum*
eo patimur, ut *cum eo* etiam glorificemur.
18 Reor enim minime pares esse præsentis tem-
poris perpessiones, gloriæ in nobis revelandæ.
19 Etenim mundus hic conditus, exserto capite ob-
20 servans exspectat dum revelentur filii Dei. Nam
vanitati mundus hic conditus subjectus est, non
sua sponte, sed propter eum qui subjecit *eum*
21 *isti vanitati:* sub spe quod et ipse conditus
mundus liberabitur ex servitute corruptionis in
22 libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim
totum mundum creatum una suspirare, et una
23 parturire ad hoc usque tempus. Neque vero

ille solum, sed et ipsi qui primitias spiritus habemus, nosipsi, inquam, apud nos suspiramus, adoptionem exspectantes, *id est*, redemptionem
24 corporis nostri. Nam spe servati sumus. Spes autem si videatur, non est spes: quod enim quis
25 videt, cur speret? Si vero quod non videmus speramus, *nempe* per tolerantiam exspectamus.
26 Itidem autem et spiritus una sublevat infirmitates nostras: quid enim oremus ut oportet, non novimus: sed ipse spiritus intercedit pro nobis
27 suspiriis ineffabilibus. Qui vero scrutatur corda, novit quid sapiat spiritus: quia secundum Deum intercedit pro sanctis.
28 Novimus autem, iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum, iis *videlicet*
29 qui ex præstituto *ipsius* vocati sunt. Nam quos præscivit, etiam prædestinavit conformandos imagini Filii sui: ut is sit primogenitus inter multos
30 fratres. Quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit; et quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.
31 Quid igitur dicemus ad hæc? si Deus pro no-
32 bis, quis contra nos? Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo illa no-
33 bis omnia gratificabitur? Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus *is est* qui justificat.
34 Quis est qui condemnet? Christus *is est* qui mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est; qui etiam est ad dexteram Dei; qui etiam inter-
35 pellat pro nobis. Quis nos separabit a charitate Christi? *num* afflictio, num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, num periculum,
36 num gladius? (sicut scriptum est, Tui causa occidimur totum diem; reputati sumus velut oves destinatæ mactationi [Ps. 4, 22].)

37 Imo in his omnibus amplius quam victores
38 sumus, per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque potestates,
39 neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam, posse nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

9 VERITATEM dico per Christum, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per
2 Spiritum Sanctum; magnam mihi tristitiam esse,
3 et cruciatum sine intermissione cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse *separatum* a Christo, pro fratribus meis, cognatis, *inquam*,
4 meis secundum carnem: qui sunt Israelitæ: quorum *est* adoptio, et gloria, et pacta, et legis
5 constitutio, et cultus, et promissiones: quorum *sunt* patres illi, et ex quibus *est* Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus benedictus in secula. Amen.
6 Non quasi vero propterea exciderit sermo Dei: non enim omnes qui *sunt* ex *patre* Israele, *sunt*
7 Israel: neque quia *sunt* semen Abrahami, *ideo* omnes *sunt* filii: sed, In Isaaco vocabitur tibi
8 semen (Gen. 21,12). Hoc est, non qui filii carnis, ii filii Dei: sed qui *sunt* filii promissionis repu-
9 tantur in semine. Promissionis enim sermo hic est, Hoc ipso præstituto tempore veniam, et
10 erit Saræ filius (Gen. 18,10). Neque *hic* solum, sed et Rebecca, quum ex uno concepisset, *nempe*
11 ex Isaaco patre nostro, *hæc experta est;* (nondum enim natis *pueris*, quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum illud Dei quod *est* secundum *ipsius* electionem, *id est*, non ex operibus, sed ex
12 vocante, *firmum* maneret;) dictum est ei, Major
13 serviet minori (Gen. 25,23). Sicut scriptum est,

Jacobum dilexi, Esavum autem odio habui
(Mal. 1, 2. 3).
14 Quid igitur dicemus? Num injustitia *est* apud
Deum?
15 Absit. 16 Nam Mosi dicit, Miserebor cujus
misertus fuero, et commiserabor quem
16 commiseratus fuero (Ex. 33, 19). Nempe igitur
electio non est ejus qui velit, neque ejus qui currat,
17 sed ejus qui miseretur, *nempe* Dei. Dicit enim
scriptura Pharaoni, Ad hoc ipsum excitavi
te, ut ostendam in te potentiam meam, et
ut annuncietur nomen meum in tota terra
18 (Ex. 9, 16). Itaque cujus vult miseretur, quem
autem vult indurat.
19 Dices ergo mihi: Quid adhuc succenset? nam
voluntati illius quis obstitit?
20 Imo vero, o homo, tu qui es qui ex adverso
responsas Deo? Num dicet figmentum fictori, Cur
21 me tale fecisti? annon habet jus figulus in lutum,
ex eadem massa faciendi aliud quidem vas ad de-
22 cus, aliud vero ad dedecus? *Quid* si vero volens
ostendere iram, et notam facere potentiam suam,
pertulit longa ad iram dilatione vasa iræ, com-
23 pacta ad interitum: et ut notas faceret divitias
gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præpara-
24 vit ad gloriam, quos etiam vocavit, *nimirum* nos,
non solum ex Judæis, verum etiam ex gentibus?
25 Ut etiam apud Oseen dicit, Vocabo populum,
qui meus non *erat*, populum meum: et eam,
quæ dilecta non *erat*, dilectam (Os. 2, 23).
26 Et erit in loco ubi dictum fuerat eis, Non
populus meus vos, illic vocabuntur filii
27 viventis Dei (Os. 1, 10). Esaias autem clamat
super Israel, *Etiam* si fuerit numerus filio-
rum Israel ut arena maris, reliquiæ ser-
28 vabuntur. Rem enim conficiet et conci-

det cum justitia: quoniam rem concisam
peraget Dominus in terra (Es. 10, 22. 23).
29 Et sicut prius dixit Esaias, Nisi Dominus Sa-
baoth reliquisset nobis semen, facti fu-
issemus ut Sodoma, et Gomorrhæ similes
facti fuissemus (Es. 1, 9).
30 Quid igitur dicemus? nempe gentes quæ non
sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam,
31 justitiam autem eam quæ *est* ex fide: Israelem
vero consectando legem justitiæ, ad legem justi-
32 tiæ non pervenisse. Quare? Quia non ex fide,
sed velut ex operibus legis: nempe offenderunt
33 ad lapidem ad quem impingitur. Quemadmodum
scriptum est, Ecce, statuo in Sion lapidem
ad quem impingetur, et petram offendi-
culi: et quisquis credit in eum, non pu-
defiet (Es. 8, 14. 28, 16).
10 FRATRES, propensa quidém illa voluntas cor-
dis mei, et deprecatio ad Deum super Israel est
2 ad salutem. Testor enim *de* ipsis, eos zelum
3 Dei habere, sed non ex notitia. Nam ignorantes
Dei justitiam, et propriam justitiam studentes
constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti.
4 Nam finis legis *est* Christus, ad justitiam cui-
5 vis credenti. Moses enim describit justitiam quæ
est ex lege, *dicens*, qui præstiterit ea, vivet
6 per illa (Lev. 18, 5). At quæ ex fide est justitia
ita dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascen-
7 det in cœlum (Deut. 30, 12)? hoc est, Christum
ex alto deducere: aut, Quis descendet in abys-
sum (Deut. 30, 13)? hoc est Christum ex mortuis
8 reducere. Sed quid dicit? Prope te verbum
est, in ore tuo et in corde tuo (Deut. 30, 14).
9 Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus,
nempe, si professus fueris ore tuo Dominum Jesum
et credideris in corde tuo quod Deus eum suscitavit

10 ex mortuis, servaberis. Nam corde creditur ad
11 justitiam: fit autem ore professio ad salutem. Dicit
enim scriptura, Quisquis credit in eum, non
12 pudefiet (Es. 28, 16). Non enim est distinctio
vel Judæi vel Græci: nam idem *est* Dominus
omnium, dives in quosvis a quibus invocatur.
13 Quisquis enim invocaverit nomen Domini,
servabitur (Joel 2, 32).
14 Quomodo igitur invocabunt eum in quem non
crediderint? quomodo autem credent *ei* de quo
non audierint? quomodo autem audient absque
15 prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi
missi fuerint? sicut scriptum est, Quam speciosi
pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (Es. 52, 7)!
16 Sed non omnes auscultarunt evangelio: Esaias
enim dicit, Domine, quis credidit sermoni
17 nostro (Es. 53, 1)? Ergo fides ex auditu est,
auditus autem per verbum Dei.
18 Sed (inquam *ego*) annon audierunt? Imo vero in
omnem terram exivit sonus eorum et ad ultima orbis terrarum verba eorum (Ps. 19, 4).
19 Sed (inquam *ego*) num Israel non cognovit
Deum? Primus Moses dicit, Ego ad æmulationem provocabo vos per gentem quæ non
est gens: per gentem, intelligentiæ expertem, ad iram vos provocabo (Deut. 32, 21).
20 Esaias autem utitur audacia, dicitque, Inventus sum ab iis qui me non quærebant;
manifestus factus sum iis qui de me non
interrogabant (Es. 65, 1).
21 Adversus Israelem autem dicit, Toto die expandi manus meas ad populum non obedientem et contradicentem (Es. 65, 2).
11 NUM igitur (inquam *ego*) abiecit Deus populum suum?

Absit: nam et ego Israelita sum, ex semine
2 Abrahæ tribus Benjamin. Non abjecit Deus populum illum suum quem præagnovit. An nescitis de Elia quid dicat scriptura? quomodo inter-
3 pellet Deum adversus Israelem, dicens, Domine, prophetas tuos occiderunt, et altaria tua suffoderunt; et ego relictus sum solus, et
4 petunt animam meam (3 Reg. 19, 10. 14). Sed quid dicit ei divinum responsum? Feci ut remanserint mihi septem millia virorum qui non flexerunt
5 genu *imagini* Baal. *Ita* igitur et hoc tempore reservatio secundum electionem gratuitam facta est.
6 Quod si per gratiam, non jam ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia: sin ex operibus, jam non est gratia; alioquin opus jam non est opus.
7 Quid igitur? quod requirit Israel, hoc non est adeptus: sed electi adepti sunt, reliqui vero oc-
8 caluerunt, (sicut scriptum est, Dedit eis Deus spiritum soporis [Es. 29, 10]; oculos ut non videant, et aures ut non audiant [Es. 6, 9],)
9 usque ad hodiernum diem. Et David dicit, Fiat mensa eorum in laqueum, et tendiculam, et offendiculum, et retributionem ipsis:
10 obtenebrentur oculi eorum, ut non videant; et tergum eorum semper incurva (Ps. 69, 22. 23).
11 *Num* igitur (inquam *ego*) impegerunt ut exciderent?

Absit: sed per eorum offensam salus *obtigit* gen-
12 tibus, ut eos ad æmulationem provocaret. Quod si eorum offensa est opulentia mundi, et diminutio eorum opulentia gentium; quanto magis pleni-
13 tudo ipsorum? Nam (quod vobis dico gentibus, quatenus ego quidem sum apostolus gentium) mini-
14 sterium meum illustro: *ut experiar* si quo modo ad æmulationem provocem consanguineos meos,

15 et servem aliquos ex ipsis. Nam si abjectio
eorum est reconciliatio mundi, quæ *erit* assumptio,
16 nisi vita ex mortuis? Quod si primitiæ sanctæ,
sancta etiam massa: et si radix sancta *est*, etiam
17 rami. Quod si nonulli rami defracti sunt, tu
vero quum esses oleaster, insitus es pro ipsis,
et particeps radicis ac pinguedinis oleæ factus
18 es: ne gloriare adversus ramos: quod si gloriaris,
non tu radicem portas, sed radix te.
19 Dices igitur, Defracti sunt rami ut ego insererer.
20 Bene: per incredulitatem defracti sunt, tu vero
per fidem stas: ne effertor animo, sed metue:
21 nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, *vide*
ne tibi quoque non parcat.
22 Vide igitur benignitatem ac præcisam severi-
tatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, præ-
cisam severitatem; in te vero benignitatem, si
permanseris in benignitate; alioquin et tu exci-
23 deris. Sed et illi, si non permanserint in incre-
dulitate, inserentur: potens enim est Deus rur-
24 sum eos inserere. Etenim si tu ex naturali ex-
sectus es oleastro, et præter naturam insitus es
in veram oleam; quanto magis ii qui naturales
sunt inserentur propriæ oleæ?
25 Nolim enim vos ignorare, fratres, mysterium
hoc, (ut ne sitis apud vosmetipsos sapientes,) ob-
durationem ex parte Israeli evenisse, quousque
26 plenitudo gentium introierit: et ita totus Israel
servabitur: sicut scriptum est, Veniet ex Sion
ille vindex, et avertet impietates a Ja-
27 cob. Et Hoc *est* illis a me pactum (Es. 59,
20. 21), Quum abstulero peccata ipsorum
(Es. 27, 9).
28 Itaque quod ad evangelium *attinet*, *sunt* ini-
mici propter vos; quod ad electionem autem,
29 dilecti propter patres. Nam dona illa, et illa

vocatio Dei ejusmodi sunt, ut eorum ipsum pœ-
30 nitere non possit. Sicut enim et vos quondam
non obedivistis Deo, nunc autem estis miseri-
31 cordia donati per istorum contumaciam: sic et
isti nunc non obedierunt, ut per vestri miseri-
32 cordiam et ipsi misericordia donentur. Conclu-
sit enim Deus omnes illos in contumacia, ut
omnium illorum misereretur.
33 O profundas divitias tum sapientiæ tum co-
gnitionis Dei! quam imperscrutabilia sunt ejus
34 judicia, et ejus viæ impervestigabiles! Quis enim
cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit a con-
35 silio? Aut quis prior dedit ei, et retribuetur ei?
36 Nam ex eo, et per eum, et in ipsum *sunt* omnia:
ipsi *sit* gloria in secula. Amen.
12 ADHORTOR igitur vos, fratres, per miserationes illas Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum
2 cultum vestrum. Et ne vos configurate seculo isti: sed transformate vos per renovationem mentis vestræ, ad hoc ut probetis quæ sit voluntas Dei bona illa, placens, ac perfecta.
3 Enim vero per gratiam quæ mihi data est, edico cuivis versanti inter vos, ne sapiat supra quam oportet sapere: sed sapiat ad sobrietatem, prout cuique Deus partitus est mensuram fidei.
4 Quemadmodum enim in uno corpore membra
5 multa habemus, membra vero omnia eandem non habent actionem; ita multi illi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alii aliorum membra.
6 Habentes autem diversa dona pro gratia quæ nobis data est, sive prophetiam, *prophetemus*
7 pro proportione fidei: sive ministerium, *versemur* in ministrando: tum is qui docet, in do-
8 cendo: tum qui exhortatur, in exhortatione: tum qui distribuit, cum simplicitate: tum qui

præest, cum diligentia: tum qui miseretur, cum hilaritate.

9 Charitas *esto* minime simulata. *Estote* abhor-
10 rentes a malo, agglutinati bono. Fraterna charitate alii ad alios amandos propensi; honore
11 alii aliis præeuntes: studio minime ignavi; spi-
12 ritu ferventes; Domino servientes; spe gaudentes; in afflictione tolerantes; in oratione perdu-
13 rantes: usibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes.

14 Benedicite iis qui vos insectantur; benedicite,
15 *inquam*, et ne imprecamini. Gaudete cum gau-
16 dentibus, et flete cum flentibus. Itidem alii in alios affecti. Non alta sapientes, sed humilibus obsecundantes. Ne estote prudentes apud
17 vosmetipsos. Nemini malum pro malo vicissim reddentes: procurantes honesta in omnium ho-
18 minum conspectu. Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace vi-
19 ventes. Non ipsi vosmet ulciscentes, dilecti; sed date locum iræ: scriptum enim est, Meum est ulcisci; ego rependam, dicit Dominus
20 (Deut. 32, 35). Itaque si esurit inimicus tuus, ciba eum; si sitit, da ei potum; hoc enim si feceris, carbones ignis coacervabis in caput ejus
21 (Prov. 25, 21. 22). Ne vincitor a malo, sed vince bono malum.

13 OMNIS anima potestatibus supereminentibus subjecta esto; non enim est potestas nisi a Deo; et quæ sunt potestates, sunt a Deo ordinatæ.
2 Itaque quisquis obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit: qui autem obsistunt, ipsi sibi con-
3 demnationem auferent. Nam magistratus non sunt metui bonis operibus, sed malis. Vis autem non metuere potestatem? Quod bonum est fa-
4 cito, et laudem ab ipsa obtinebis: Dei enim mi-

nister est tuo bono, Quod si feceris quod malum est, metue; non enim frustra gladium gerit; nam Dei minister est, vindex ad iram ei qui
5 quod malum est fecerit. Quapropter necesse est subjici, non solum propter iram, sed etiam
6 propter conscientiam. Propter hoc enim etiam tributa solvitis; siquidem ministri Dei sunt in
7 hoc ipso laborantes. Reddite igitur omnibus quod debetis; cui tributum *debetur*, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timor, timorem; cui honor, honorem.

8 Nemini quicquam debete, nisi *hoc*, ut alii alios diligatis; nam qui diligit alterum, legem
9 implevit. Siquidem illud, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces (Ex. 20, 13—17); et si quod aljud *est* præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur, nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum
10 (Lev. 19, 18). Charitas proximum non afficit malo: itaque charitas est completio legis.

11 Idque perspecta opportunitate, quod *videlicet* tempus jam *sit* nostri a somno expergefiendi; nunc enim propius nos est salus, quam quum
12 credidimus. Nox processit, dies autem propinquat. Abjiciamus igitur opera tenebrarum, et
13 induamur habitu qui luci conveniat. Ut interdiu, decenter ambulemus: non *in* comessationibus et ebrietatibus, non cubilibus ac lasciviis,
14 non lite et invidia: sed induimini Domino Jesu Christo, et carnis curam ne habete ad *explendas* cupiditates.

14 EUM vero qui fide est infirmus, assumite; non *tamen* ad altercationes disputationum.

2 Alius quidem credit edere licere quidvis;
3 alius autem *fide* infirmus edit olera. Qui edit,

non edentem ne pro nihilo habeto: et qui non
edit, edentem ne condemnato; Deus enim eum
4 assumpsit. Tu qui es qui condemnas alienum
famulum? proprio domino perstat aut cadit:
stabilietur autem: potest enim Deus eum sta-
bilire.
5 Alius quidem æstimat diem præ die; alius
autem *peræque* æstimat quemvis diem. Unus-
quisque in animo suo plene certioratus esto.
6 Qui curat diem, Domino curat; et qui non
curat diem, Domino non curat. Qui edit, Do-
mino edit; gratias enim agit Deo: et qui non
edit, Domino non edit, et gratias agit Deo:
7 nullus enim nostrum sibiipsi vivit, et nullus sibi-
8 ipsi moritur. Nam sive vivimus, Domino vivi-
mus; sive morimur, Domino morimur: sive igi-
9 tur vivamus, sive moriamur, Domini sumus. Ad
hoc enim Christus et mortuus est, et resurre-
xit, et revixit, ut et mortuis et viventibus domi-
netur.
10 Tu vero cur condemnas fratrem tuum? aut
etiam tu cur pro nihilo habes fratrem tuum?
Omnes enim sistemur apud tribunal Christi.
11 Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Domi-
nus, certe mihi *sese* flectet omne genu,
et omnis lingua palam agnoscet Deum
(Es. 45, 23).
12 Nempe ergo unusquisque nostrum de seipso
rationem reddet Deo.
13 Ne amplius igitur alii alios judicemus: sed hic
potius adhibete judicium, ut ne fratri proponatis
quidpiam ad quod impingat, vel offendat.
14 Novi, et persuasum habeo per Dominum Je-
sum, nihil esse impurum per se: sed ei qui re-
putat aliquid esse impurum, *id* ei impurum *esse*.
15 Verum si propter escam frater tuus tristitia

afficitur, non jam secundum charitatem ambulas. Ne esca tua illum perdito pro quo Christus mortuus est.

16 Ne vestrum igitur bonum blasphemator: 17 non enim est regnum Dei esca et potus, sed justitia, 18 et pax, et gaudium per Spiritum Sanctum. Nam qui per hæc servit Christo, placet Deo, et pro- 19 batur hominibus. Nempe igitur quæ ad pacem faciunt sectemur, et quæ ad mutuam ædifica- 20 tionem. Ne cibi causa destrue opus Dei. Omnia quidem munda: sed malum *est* homini qui 21 edens offendit. Bonum *est* non edere carnes neque bibere vinum, neque *quicquam facere* in quo frater tuus impingit, vel offenditur, vel in- 22 firmus est. Tu fidem habes: apud temetipsum habe in conspectu Dei. Beatus qui non con- 23 demnat seipsum in *eo* quod approbat. Qui vero dubitat, si ederit, condemnatus est, quoniam non *edit* ex fide; quicquid vero ex fide non est, peccatum est.

15 Debemus autem nos, qui firmi *sumus*, infirmitates imbecillorum portare, ac non indulgere 2 nobisipsis. *Itaque* unusquisque nostrum proximo placeat *ipsius* bono, *id est*, ad *ejus* ædifi- 3 cationem. Etenim Christus non placuit sibiipsi; sed, sicut scriptum est, Convicia eorum qui conviciantur tibi, inciderunt in me 4 (Ps. 69, 9). Nam quæ ante scripta sunt, ad nos docendos ante scripta sunt; ut per tolerantiam et consolationem scripturarum spem retineamus. 5 Deus autem *auctor* tolerantiæ et consolationis det vobis ut itidem alii in alios affecti sitis, se- 6 cundum Christum Jesum: ut concorditer uno ore glorificetis Deum ac Patrem Domini nostri Jesu 7 Christi. Propterea assumite alii alios, sicut et Christus assumpsit nos in gloriam Dei.

8 *ILLUD* autem dico, Jesum Christum ministrum
fuisse circumcisionis, pro Dei veritate ut con-
9 firmaret promissiones patrum: et ut gentes pro
misericordia glorificent Deum; sicut scriptum est,
Propterea celebrabo te inter gentes, et
10 nomini tuo psallam (Ps. 18, 49). Et rursum
dicit, Hilares estote, gentes, cum populo
11 ipsius (Deut. 32, 43): et rursum, Laudate
Dominum, omnes gentes, et collaudate
12 ipsum, omnes populi (Ps. 117, 1). Et rursum
Esaias dicit, Erit radix Jesse; et qui exsur-
gat ad imperandum gentibus, in ipso gen-
13 tes sperabunt (Es. 11, 10). Utinam vero Deus
spei impleat vos omni gaudio et pace credendo,
ut spe abundetis per virtutem Spiritus Sancti.
14 Persuasum autem habeo et ipse ego de vobis,
fratres mei, quod ipsi per vos pleni sitis boni-
tate, impleti omni cognitione, et qui possitis
15 etiam vos mutuo admonere. Audacule vero
scripsi vobis, fratres, aliquatenus, veluti commo-
nefaciens vos propter gratiam quæ data est mihi
16 a Deo; ad hoc ut sim minister Jesu Christi apud
gentes, operans evangelio Dei, ut oblatio gentium
fiat accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum.
17 Habeo igitur quod glorier per Christum Je-
18 sum, in iis quæ ad Deum *pertinent*. Non enim
sustinuerim quicquam loqui quod non effecerit
Christus per me, *adducendis* ad obedientiam
19 gentibus, verbis et factis, virtute signorum ac
prodigiorum, virtute spiritus Dei: adeo ut ab
Hierosolymis et circumjacentibus *regionibus*, us-
que ad Illyricum, impleverim prædicandi evan-
20 gelii Christi munus. Ita porro contendens evan-
gelizare, non ubi nominatus esset Christus, ut
21 ne super alienum fundamentum ædificarem: sed
sicut scriptum est, Quibus non est annun-

ciatum de eo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent (Es. 52, 15).

22 Quapropter etiam sæpe inhibitus sum venire
23 ad vos. Nunc vero, quum non amplius habeam locum in his regionibus, summum autem desiderium habeam veniendi ad vos a multis annis:
24 quando proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos: spero enim fore ut *istac* præteriens conspiciam vos, et a vobis deducar illuc; si tamen vestra consuetudine prius ex parte expletus fuero.
25 Nunc autem proficiscor Hierosolymam, mini-
26 strans sanctis. Libuit enim Macedoniæ et Achaiæ conferre aliquid in pauperes sanctos qui sunt
27 Hierosolymis. Libuit enim *eis*, *inquam*, et debitores eorum sunt; nam si spiritualia ipsorum *bona* gentibus communicata sunt, debent etiam *ipsæ* in carnalibus eis ministerio suo adesse.
28 Hoc igitur ubi perfecero, et eis consignavero
29 hunc fructum, abibo istac in Hispaniam. Scio vero me, quum veniam ad vos, cum plena benedictione evangelii Christi venturum.
30 Precor autem vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem spiritus, ut concertetis mihi *vestris* pro me apud
31 Deum orationibus; ut liberer ab iis qui non obediunt *sermoni* in Judæa, utque ministerium hoc meum erga Hierosolymam acceptum sit
32 sanctis: ut cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei, unaque vobiscum refociller.
33 Deus autem pacis *sit* cum omnibus vobis. Amen.
16 COMMENDO autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est ministra ecclesiæ Cenchreensis;
2 ut eam excipiatis in Domino convenienter sanctis, et adsitis ei quacunque in re *ipsi* usus fuerit vobis: nam hæc tum multis hospitium præbuit, tum mihi etiam ipsi.

3 Salutate Priscillam et Aquilam, adjutores meos
4 in Christo Jesu: qui pro anima mea suam ipsorum cervicem supposuerunt: quibus non ego solus gratias ago, sed etiam omnes ecclesiæ gentium.
5 Item ecclesiam quæ in domo eorum est.

Salutate Epænetum mihi dilectum, primitias
6 Achaiæ in Christo. Salutate Mariam, quæ mul-
7 tum laboravit erga nos. Salutate Andronicum et Juniam, cognatos meos, et concaptivos meos, qui sunt insignes inter apostolos, qui etiam ante
8 me fuerunt in Christo. Salutate Ampliam di-
9 lectum mihi in Domino. Salutate Urbanum, adjutorem nostrum in Christo, et Stachyn mihi di-
10 lectum. Salutate Apellem, probatum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli *familiari-*
11 *bus*. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui *sunt* ex Narcissi *familiaribus*,
12 eos, *inquam*, qui *sunt* in Domino. Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidam *mihi* dilectam, quæ multum
13 laboravit in Domino. Salutate Rufum selectum
14 in Domino, et matrem ejus ac meam. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam,
15 Hermen, et qui cum iis sunt fratres. Salutate Philologum, et Julium, Nereum, et sororem ejus, et Olympam, et qui cum iis sunt omnes sanctos.
16 Salutate alii alios osculo sancto.

Salutant vos ecclesiæ Christi.

17 Precor autem vos, fratres, ut observetis dissidiorum et offendiculorum auctores contra doctrinam quam vos didicistis; et declinetis ab eis.
18 Nam qui ejusmodi *sunt*, Domino nostro Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri: et per blandiloquentiam et assentationem corda *hominum* minime malorum seducunt.
19 Vestra enim obedientia ad omnes pervenit.

Gaudeo igitur quod ad vos *attinet;* sed volo
vos sapientes quidem esse ad id quod bonum
20 est, simplices vero ad malum. Porro Deus pa-
cis conteret Satanam sub pedes vestros cito.
Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* vobis-
cum. Amen.
21 Salutant vos Timotheus adjutor meus, et
22 Lucius, et Jason, et Sosipater, cognati mei. Sa-
luto vos in Domino ego Tertius, qui descripsi
23 epistolam. Salutat vos Gaius hospes meus et
ecclesiæ totius; salutat vos Erastus procurator
urbis, et Quartus frater.
24 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum om-
nibus vobis. Amen.
25 Ei vero qui potest vos stabilire, secundum
evangelium meum et præconium Jesu Christi,
ex patefactione mysterii quod a temporibus se-
26 culorum tacitum fuit; nunc vero factum est mani-
festum, et per scripturas propheticas, ex imperio
æterni Dei, ad obedientiam fidei, omnibus gen-
27 tibus innotuit; soli, *inquam,* sapienti Deo gloria
esto per Jesum Christum in secula. Amen.

Ad Romanos scripta fuit Corintho, per Phœben ministram Cenchreensis ecclesiæ.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS.

1 PAULUS, vocatione apostolus Jesu Christi
2 per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, eccle-
siæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo
Jesu, *id est,* vocatis sanctis, cum omnibus qui

invocant nomen Domini nostri Jesu Christi quovis loco, *Domini, inquam*, tum ipsorum, tum
3 nostri; gratia vobis et pax a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo.
4 GRATIAS ago Deo meo semper de vobis, ob gratiam Dei quæ data est vobis in Christo Jesu:
5 quod in omnibus ditati sitis in ipso, omni lo-
6 quendi facultate, omnique cognitione; prout testi-
7 monium Christi confirmatum fuit in vobis; adeo ut nullo dono deficiamini, exspectantes donec
8 patefiat Dominus noster Jesus Christus. Qui *Deus* etiam confirmabit vos usque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Jesu Christi.
9 Fidelis *est* Deus, per quem vocati estis ad communionem Filii ipsius Jesu Christi Domini nostri.
10 PRECOR autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idem loquamini omnes, et non sint inter vos dissidia, sed sitis compacti, eadem mente et eadem sententia.
11 Declaratum est enim mihi de vobis, fratres mei, a domesticis Chloes, quod lites sint inter
12 vos. Hoc autem dico, singulos vestrum dicere, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego vero Christi.
13 *Num* dispertitus est Christus? num Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomen Pauli
14 baptizati fuistis? Gratias ago Deo *meo*, quod neminem vestrum baptizaverim, nisi Crispum et
15 Gaium: ut nequis dicat me in meum nomen
16 baptizasse. Baptizavi autem etiam Stephanæ familiam: ceterum haud scio num quem alium
17 baptizaverim. Non enim misit me Christus ut baptizarem, sed ut evangelizarem; non *tamen* cum dicendi peritia, ne inanis reddatur crux
18 Christi. Nam sermo ille de cruce, iis quidem qui pereunt, stultitia est; iis autem qui servan-

19 tur, *id est* nobis, potentia Dei est. Scriptum est
enim, Abolebo sapientiam sapientum, et
prudentiam prudentum tollam e medio.
20 (Es. 29, 14). Ubi sapiens? ubi scriba? ubi disquisi-
tor seculi istius? nonne infatuavit Deus sapientiam
21 mundi hujus? Nam postquam in Dei sapientia,
mundus non cognovit Deum per *eam* sapientiam,
libuit Deo per stultitiam prædicationis servare cre-
22 dentes. Quandoquidem et Judæi signum petunt, et
23 Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus
Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum,
24 Græcis vero stultitiam: ipsis autem vocatis, tum
Judæis, tum Græcis, Christum Dei potentiam ac
25 Dei sapientiam. Nam stultitia Dei sapientior est
quam homines; et infirmitas Dei validior est
26 quam homines. Videtis enim vocationem vestram,
fratres; vos *videlicet* non esse multos sapientes
secundum carnem, non multos potentes, non
27 multos nobiles. Verum quæ stulta *sunt* in mundo,
elegit Deus, ut pudefaciat sapientes: et quæ *sunt*
infirma mundi, elegit Deus, ut pudefaciat valida:
28 et quæ ignobilia sunt in mundo, et pro nihilo
habita, elegit Deus; et ea quæ non sunt, ut ea
29 quæ sunt enervaret: ut ne glorietur ulla caro in
30 ejus conspectu. Sed ex ipso vos estis in Christo
Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, justi-
tiaque, et sanctificatio, et redemptio: ut *fiat* sicut
scriptum est, Qui gloriatur, in Domino
gloriator (Jer. 9, 23. 24).

2 Ego igitur quum venirem ad vos, fratres, veni
non cum eminentia sermonis aut sapientiæ, annun-
2 cians vobis testimonium Dei. Non enim statui
quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum,
3 eumque crucifixum. Sed fui ego cum infirmitate,
4 et timore, ac tremore multo apud vos. Neque
sermo meus et præconium meum *versatum est*

in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in
5 demonstratione spirituali et potente. Ne fides
vestra consistat in sapientia hominum, sed in
potentia Dei.
6 Sapientiam vero loquimur inter adultos; sa-
pientiam autem non seculi hujus, neque princi-
7 pum seculi hujus quæ evanescunt; sed loquimur
sapientiam Dei *latentem* in mysterio, *id est*,
occultam illam quam præfinivit Deus ante secula,
8 ad gloriam nostram; quam nemo principum se-
culi hujus cognovit; nam si cognovissent, nequa
9 quam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed *præ-
dicamus*, sicut scriptum est, Quæ oculus non
vidit, nec auris audivit, nec subierunt
cor hominis, quæ paravit Deus iis a qui-
10 bus ipse diligitur (Es. 64, 4). Nobis autem
Deus *ea* revelavit per spiritum suum: spiritus
enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.
11 Quis enim hominum novit ea quæ sunt hominis,
nisi spiritus hominis qui est in eo? ita etiam ea
12 quæ sunt Dei, nemo novit nisi spiritus Dei. Nos
vero non spiritum mundi accepimus, sed spiri-
tum qui *est* ex Deo; ut sciamus quæ Deus est
13 nobis gratificatus. Quæ etiam loquimur, non
sermonibus quos docet humana sapientia, sed
quos docet Spiritus Sanctus, spiritualia cum iis
14 quæ spiritualia sunt conferentes. Animalis autem
homo non est capax eorum quæ sunt spiritus
Dei; sunt enim ei stultitia, nec potest *ea* cogno-
15 scere, quia spiritualiter dijudicantur. At spiri-
tualis dijudicat quidem omnia, ipse vero a ne-
16 mine dijudicatur. Quis enim novit mentem Do-
mini, qui instructurus sit eum? nos autem mentem
Christi habemus.

3 EGO porro, fratres, non potui loqui vobis ut
spiritualibus, sed *locutus sum* ut carnalibus, *id*

2 *est*, ut infantibus in Christo. Lactis potu vos
alui, et non esca: nondum enim poteratis *id*
ferre; imo ne nunc quidem adhuc potestis.
3 Nam adhuc carnales estis: quum enim inter vos
sint invidia, et contentio, et dissidia, nonne car-
nales estis, et secundum hominem ambulatis?
4 Etenim quum dicit aliquis, Ego quidem sum Pauli,
alter vero, Ego *sum* Apollo, nonne carnales estis?
5 Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos,
nisi ministri per quos credidistis, et ut cuique
6 Dominus dedit? Ego plantavi, Apollos rigavit;
7 sed Deus dedit crescendi vim. Itaque neque is
qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed
8 Deus, qui dat crescendi vim. Is vero qui plan-
tat, et is qui rigat, unum sunt: unusquisque vero
suam mercedem accipiet secundum suum labo-
9 rem. Etenim Dei sumus administri: Dei arvum,
10 Dei ædificium estis. Secundum gratiam Dei quæ
data est mihi, ut peritus architectus fundamen-
tum statui: alius autem superædificat. Porro
11 quisque videat quomodo superædificet. Nam
fundamentum aliud nemo potest statuere præter
id quod positum est, quod est Jesus Christus.
12 Quod siquis superædificet super fundamentum
hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna,
13 fœnum, stipulam: cujusque opus manifestum fiet;
dies enim *id* declarabit: nam per ignem retegitur;
14 et cujusque opus quale sit, ignis probabit. Si
cujus opus manserit quod superædificaverit, mer-
15 cedem accipiet. Si cujus opus exustum fuerit,
damnum faciet; ipse vero servabitur, ita tamen,
ut per ignem.
16 An nescitis vos esse templum Dei, et spiri-
17 tum Dei habitare in vobis? Siquis templum
Dei violat, hunc perdet Deus: nam templum Dei
sanctum est quod estis vos.

18 Nullus seipsum seducat; siquis *sibi* videtur
esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat,
19 ut fiat sapiens. Sapientia enim mundi hujus
stultitia *est* apud Deum: scriptum est enim,
20 Carpit sapientes in versutia ipsorum
(Job. 5, 13): et rursum, Dominus novit disce-
ptationes sapientum esse vanas (Ps. 94, 11).
21 Itaque nullus glorietur in hominibus: omnia
22 namque vestra sunt: et Paulus, et Apollos, et
Cephas, et mundus, et vita, et mors, et præsen-
23 tia, et futura; omnia, *inquam*, vestra sunt: vos
autem Christi; Christus vero Dei est.
4 Sic de nobis reputet homo ut de ministris
Christi et dispensatoribus mysteriorum Dei.
2 Quod reliquum est autem, *illud*, requiritur in
3 dispensatoribus, ut quisque fidus inveniatur. Mihi
vero pro minimo est quod a vobis dijudicer,
aut ab humano judicio; imo nec ipse me diju-
4 dico. In nullo enim mihi sum conscius; sed
non per hoc justificatus sum; Dominus autem is
5 est qui me dijudicat. Proinde ne ante præsti-
tutum tempus judicis partes assumite, *id est*,
usquedum venerit Dominus, qui et illustraturus
est res tenebris occultatas, et manifesta faciet
consilia cordium: ac tunc laus erit unicuique a
Deo.
6 Hæc autem, fratres, figura quadam transtuli
ad meipsum et Apollo, propter vos; ut in no-
bis discatis, supra id quod scriptum est non
sapere; ut ne alius pro alio inflemini adversus
7 alium. Quis enim te *ab aliis* discernit? quid
autem habes quod non receperis? quod si etiam
recepisti, quid gloriaris quasi non receperis?
8 Jam saturati estis, jam ditati estis, absque nobis
regnum adepti estis; atque utinam sane regnum
9 adepti sitis, ut et nos vobis conregnemus. Deus

enim, puto nos, ultimos apostolos, spectandos proposuit, ut morti addictos; nam spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.
10 Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem validi;
11 vos gloriosi, nos ignominiosi. Ad hoc usque tempus et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et incertis sedibus erramus:
12 et laboramus, operantes propriis manibus; conviciis affecti, bene precamur: si qui nos perse-
13 quantur, sufferimus. Maledictis affecti precamur; tanquam purgamenta mundi facti sumus, et tanquam omnium ramentum usque adhuc.
14 Non ut vos pudore suffundam, hæc scribo,
15 sed ut filios meos dilectos admoneo. Nam etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo, at non multos patres *habetis:* in Christo enim
16 Jesu per evangelium ego vos genui. Precor vos
17 igitur, imitatores mei estote. Propterea misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus et fidus in Domino, qui vobis in memoriam revocabit quæ sint viæ meæ in Christo, sicut ubique in omnibus ecclesiis doceo.
18 Ceterum perinde quasi ego non sim venturus
19 ad vos, inflati sunt quidam. Sed veniam cito ad vos, si Dominus voluerit, et cognoscam non
20 verba istorum inflatorum, sed vires. Non enim
in verbis *situm est* regnum Dei, sed in *spiritus*
21 potentia. Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an cum charitate, et spiritu lenitatis?

5 OMNINO auditur *esse* inter vos scortatio, et ejusmodi scortatio quæ ne inter gentes quidem nominatur, adeo ut quis uxorem patris habeat.
2 Et vos inflati estis, ac non potius luxistis, ut tolleretur e medio vestri qui facinus hoc patravit?

3 Enim vero ego, ut absens corpore, præsens
autem spiritu, jam ut præsens judicavi, ut is qui
4 hoc ita perpetravit, vobis et meo spiritu in no-
mine Domini nostri Jesu Christi congregatis,
5 cum potestate Domini nostri Jesu Christi; ejus-
modi, *inquam*, *homo* tradatur Satanæ ad exi-
tium carnis, ut spiritus salvus sit die illo Do-
mini Jesu.
6 Non *est* bona gloriatio vestra. An nescitis
7 paululo fermenti totam massam fermentari? Ex-
purgate igitur vetus fermentum, ut sitis nova
massa, sicut estis fermenti expertes. Etenim
pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, *nempe*
8 Christus; itaque festum agitemus, non cum fer-
mento veteri, nec cum fermento malitiæ et im-
probitatis; sed cum non fermentatis *panibus* sin-
ceritatis et veritatis.
9 Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini
10 cum scortatoribus. At non omnino cum scorta-
toribus mundi hujus, aut avaris, aut rapacibus,
aut idololatris, alioquin debetis scilicet e mundo
11 exire. Nunc autem scripsi vobis, ne commisceа-
mini, *id est*, siquis, quum frater nominetur, sit
scortator, aut avarus, aut idololatra, aut convi-
ciator, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi,
12 *inquam*, ne edatis quidem. Quid enim mea
interest etiam de extraneis judicare? nonne de
13 iis qui intus sunt vos judicatis? De extraneis
vero Deus judicat. Tollite igitur istum impro-
bum ex vobisipsis.
6 Sustinet aliquis vestrum, negotium habens
adversus alterum, judicio experiri sub injustis,
2 ac non sub sanctis? An ignoratis sanctos mundi
judices futuros? quod si inter vos de mundo
judicium fertur, indigni estis minimis judiciis?
3 An ignoratis fore ut angelorum judices simus?

nedum *ut* de iis quæ ad hujus vitæ usum per-
4 tinent *judices non sumus?* Itaque si judicia ha-
beatis de iis quæ ad hujus vitæ usum pertinent,
eos qui vilissimi sunt in ecclesia, eos, *inquam*,
5 in subselliis collocate. Vobis ad verecundiam
adducendis *hoc* dico. Itane non est inter vos
sapiens, ne unus quidem, qui possit judicium
6 ferre inter fratres suos? Sed frater cum fratre
7 judicio experitur, idque sub infidelibus. Jam
igitur omnino defectus in vobis est, quod judi-
cia habeatis inter vosmetipsos: quare non po-
tius injuriam patimini? cur non potius damnum
8 accipitis? At vos injuria afficitis, et fraudatis,
idque fratres.
9 An ignoratis injustos non esse Dei hæredita-
tem possessuros? Ne errate; neque scortatores,
neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, ne-
10 que qui concumbunt cum masculis, neque fures,
neque avari, neque ebriosi, neque conviciatores,
neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt.
11 Et hæc eratis quilibet: sed abluti estis, sed san-
ctificati estis, sed justificati estis, in nomine Do-
mini Jesu, et per spiritum Dei nostri.
12 Omnia mihi licent, at non omnia conducunt;
omnia mihi licent, at nequaquam ego redigar
13 sub ullius rei potestatem. Escæ ventri *destinatæ*
sunt, et venter escis: Deus autem et hunc et
has abolebit. Corpus vero non scortationi, sed
14 Domino, et Dominus corpori. Deus autem et
Dominum suscitavit, et nos suscitabit potentia
15 sua. An ignoratis corpora vestra esse membra
Christi? Num igitur sublata membra Christi,
16 faciam scorti membra? Absit. An ignoratis eum
qui agglutinatur scorto, unum esse corpus *cum*
scorto? Erunt enim, inquit, qui duo *erant*,
17 caro una. Qui vero agglutinatur Domino, unus

18 *cum eo* spiritus est. Fugite scortationem. Omne
peccatum quod fecerit homo, extra corpus est;
sed qui scortatur, in proprium corpus peccat.
19 An ignoratis corpus vestrum esse templum Spi-
ritus Sancti, *qui est* in vobis, quem habetis a
20 Deo, neque vos esse vestri juris? Nam empti
estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore
vestro, et in spiritu vestro, quæ sunt Dei.

7 CETERUM de quibus mihi scripsistis:
2 Bonum *fuerit* viro mulierem non attingere. Sed
propter scortationes suam quisque uxorem habeto,
3 et proprium quæque virum habeto. Uxori vir
debitam benevolentiam reddito; similiter autem
4 et uxor viro. Uxor proprium corpus non habet
in potestate, sed vir: similiter autem et vir pro-
prium corpus non habet in potestate, sed uxor.
5 Ne fraudate alter alterum, nisi siquid ex con-
sensu ad tempus, ut vacetis jejunio et orationi-
bus: et rursum simul convenite, ne tentet vos
6 Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc
autem dico ex concessione, non ex imperio.
7 Nam velim omnes homines esse ut et ipse *sum:*
sed unusquisque proprium donum habet ex Deo;
8 alius quidem ita, alius autem ita. Dico autem
cœlibibus et viduis, Bonum eis est si *sic* manse-
9 rint ut et ego *maneo.* Quod si se non conti-
nent, matrimonium contrahant: nam melius est
matrimonium contrahere quam uri.
10 Iis autem qui matrimonio juncti sunt, denuncio,
non ego, sed Dominus, Uxor a viro ne sese ipsa
11 separato. Quod si sese separarit, maneat cœlebs,
aut viro reconciliator: et vir uxorem ne dimittito.
12 Reliquis autem ego dico, non Dominus: Siquis
frater uxorem habet infidelem, quæ libens con-
sentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito.
13 Et uxor quæ habet virum infidelem, qui libens

consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito.
14 Maritus enim infidelis sanctificatus est in uxore,
et uxor infidelis sanctificata est in viro; alioqui
certe liberi vestri impuri essent; nunc autem
15 sancti sunt. At si infidelis sese separet, sepa-
ratus esto: non est servituti subjectus frater aut
soror in hujusmodi *casibus:* sed ad pacem vo-
16 cavit nos Deus. Ecquid enim nosti, uxor, an
sis virum servatura? aut ecquid nosti, vir, an sis
uxorem servaturus?
17 Sed ut unicuique *donum* partitus est Deus, ut
unumquemque vocavit Dominus, ita ambulet, et
18 ita in ecclesiis omnibus dispono. Circumcisus
aliquis vocatus est? ne attrahat *præputium:* in
præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur.
19 Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed
20 observatio præceptorum Dei. Unusquisque, in
21 qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat. Ser-
vus vocatus es? ne sit tibi curæ; sed si potes
22 etiam liber fieri, potius *eo* utere. Etenim qui
in Domino vocatus est servus, libertus Domini
est: similiter et qui liber vocatus est, servus
23 est Christi. Pretio empti estis; ne estote servi
24 hominum. Unusquisque in quo vocatus fuit,
fratres, in hoc maneat apud Deum.
25 De virginibus autem imperium Domini non
habeo: sententiam vero meam *hac in re* dico,
ut cui Dominus per misericordiam dederit fidum
26 esse. Existimo igitur hoc bonum esse propter
instantem necessitatem; bonum, *inquam esse,*
27 homini ita esse. Alligatus es uxori? ne quære
dissolutionem: solutus es ab uxore? ne quære
28 uxorem. Quod si etiam duxeris uxorem, non
peccasti: et si nupserit virgo, non peccavit; sed
afflictionem in carne habituri sunt *qui sunt* hu-
jusmodi. Ego vero vobis parco.

29 Hoc autem aio, fratres, opportunum tempus
esse angustum in posterum; ut et qui habent
30 uxores sint ut non habentes; et qui flent, ut
non flentes; et qui gaudent, ut non gaudentes;
31 et qui emunt, ut non obtinentes; et qui utuntur
hoc mundo, ut non abutentes; præterit enim
species hujus mundi.
32 Velim autem vos absque sollicitudine esse.
Qui cœlebs est, sollicitus est de iis quæ *sunt*
33 Domini, quomodo placiturus sit Domino: at qui
duxit uxorem, sollicitus est de iis quæ sunt
34 mundi, quomodo placiturus sit uxori. Discretæ
sunt, ea quæ *est* uxor et ea quæ *est* virgo.
Quæ *est* cœlebs sollicita est de iis quæ sunt
Domini, ut sit sancta cum corpore tum spiritu;
quæ vero nupta est, sollicita est de iis quæ sunt
35 mundi, quomodo placitura sit viro. Hoc autem
dico vestro commodo; non ut laqueum vobis
injiciam, sed ut decenter et apte adhærescatis
Domino, absque ulla distractione.
36 Ceterum siquis *sese* existimat aliquid indeco-
rum in virginem suam committere, si florem
ætatis excedat, et ita debet fieri: quod vult
37 faciat, non peccat; jungantur matrimonio. Qui
vero perstat stabilis in corde, nec adigitur ne-
cessitate, sed in potestate habet propriam vo-
luntatem, et hoc decrevit in corde suo ut con-
38 servet suam virginem, bene facit. Itaque qui
dat nuptum, bene facit: qui vero non dat nuptum,
melius facit.
39 Uxor alligata est lege quamdiu vivit vir ipsius;
quod si obdormierit vir ipsius, libera est ad
40 cui velit nubendum; tantum in Domino. Sed
beatior est si ita maneat, secundum meam sen-
tentiam: videor autem mihi et ego spiritum Dei
habere.

8 CETERUM de iis quæ idolis immolantur,
scimus nos omnes notitia esse præditos. Noti-
2 tia inflat, charitas vero ædificat. Quod si quis
sibi videtur aliquid scire, nondum quicquam
3 novit, sicut oportet nosse. Sed si quis diligit
4 Deum, hic cognitus fuit ab eo. De esu igitur
eorum quæ idolis immolantur, scimus idolum
nihil *esse* in mundo, et nullum *esse* Deum alium
5 nisi unum. Nam etiamsi sint qui dicantur dii,
et in cœlo et in terra, (sicut sunt dii multi, et
6 domini multi,) nobis tamen unus *est* Deus, Pa-
ter ille a quo omnia, et nos in ipso; et unus
Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et
nos per ipsum.
7 Sed non in omnibus *est* ea cognitio: nonnulli
enim *cum* conscientia idoli usque ad hoc tem-
pus, ut idolis immolatum edunt; et conscientia
8 eorum, infirma quum sit, inquinatur. Ceterum
esca nos non commendat Deo: neque enim si
edamus, amplius habemus: neque si non eda-
9 mus, minus habemus. Sed videte ne quo modo
istud quod vobis licitum est, impingendi causa
10 fiat infirmis. Etenim siquis viderit te, illa cogni-
tione præditum, in idoleo accumbere, nonne
conscientia ipsius qui infirmus est, instruetur ad
11 edendum ea quæ sunt idolis mactata? et tua
ista cognitione frater ille infirmus, propter quem
12 Christus est mortuus, peribit? Ita autem pec-
cantes in fratres, et vulnerantes ipsorum con-
13 scientiam infirmam, in Christum peccatis. Qua-
propter, si esca offendiculo est fratri meo, non
edam carnes in æternum, ne sim offendiculo
fratri meo.
9 NONNE sum apostolus? nonne sum liber?
nonne Jesum Christum Dominum illum nostrum
vidi? nonne opus meum vos estis in Domino?

2 Si aliis non sum apostolus, at certe vobis sum;
nam sigillum apostolatus mei vos estis in Do-
3 mino. Mea defensio apud eos qui in me in-
4 quirunt, hæc est. Annon licet nobis edere et
5 bibere? Annon licet nobis sororem uxorem cir-
cumducere, ut et reliquis apostolis, et fratribus
6 Domini, et Cephæ? An soli mihi et Barnabæ
non licet non operari?
7 Quis militat propriis stipendiis unquam? quis
plantat vineam, et de fructu ejus non edit? aut
quis pascit gregem, et de lacte gregis non edit?
8 Num secundum hominem hæc dico? nonne
9 etiam lex hæc dicit? Nam in Mosis lege scri-
ptum est, Non obligabis os bovi trituranti
10 (Deut. 25, 4). Num boves curæ sunt Deo? An
hoc propter nos omnino dicit? Propter nos enim
hoc scriptum est; nam sub spe debet is qui arat,
arare; et qui triturat sub spe, spei suæ partici-
ceps esse.
11 Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum
12 est si nos vestra carnalia messuerimus? Si alii
sui in vos juris sunt compotes, *an* non potius
nos? Atqui non usi fuimus jure isto quod no-
bis licebat; sed omnia tegimus, ne interrumpa-
13 mus evangelium Christi. An nescitis eos qui
sacris operantur, *ea quæ* ex sacrario *sunt* edere?
et qui altari assident, cum altari participare?
14 Ita etiam Dominus constituit iis qui evangelium
annunciant, ut ex evangelio vivant.
15 Ego tamen nullo istorum sum usus. Neque
vero hæc scripsi, ut ita fiat in me: nam bonum
est mihi mori potius quam ut gloriationem me-
16 am aliquis inanem reddat. Etenim si evange-
lizem, non est quod glorier: necessitas enim
mihi incumbit; væ autem mihi est nisi evange-
17 lizem. Nam si volens hoc faciam mercedem

habeo; sin invitus, dispensatio credita est mihi.
18 Quæ igitur mihi est merces? ut evangelizando,
gratuitum constituam evangelium Christi, ut ne
abutar jure meo in evangelio.
19 Nam quamvis liber sim ab omnibus, omnibus
meipsum servum feci, ut plures lucrifacerem.
20 Et factus sum Judæis ut Judæus, ut Judæos
lucrifacerem; iis qui sub lege sunt, ut si *essem*
sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifacerem:
21 exlegibus, ut exlex, (*non tamen* exlex Deo,
sed sublex Christo,) ut lucrifacerem exleges.
22 Factus sum infirmis ut infirmus, ut infirmos lu-
crifacerem: omnibus factus sum omnia, ut om-
23 nino aliquos servarem. Hoc autem facio pro-
pter evangelium, ut una particeps ejus fiam.
24 An ignoratis, eos qui in stadio currunt, omnes
quidem currere, sed unum accipere præmium?
25 Sic currite ut comprehendatis. Porro quisquis
certat, in omnibus est continens. Illi quidem
itaque ut corruptibilem coronam accipiant, *sunt*
26 *continentes*; nos autem, *ut* incorruptam. Ego
igitur ita curro, ut non in incertum: ita pugilem
27 ago, ut non aërem cædens. Sed contundo cor-
pus meum, et in servitutem redigo; ne quo modo,
quum aliis prædicarim, ipse rejectaneus fiam.

10 NOLIM autem vos ignorare, fratres, patres
nostros omnes sub illa nube fuisse, et omnes
2 per mare transivisse; et omnes per Mosen ba-
3 ptizatos esse nube et mari: et omnes eandem
4 escam spiritualem edisse: et omnes eundem po-
tum spiritualem bibisse: bibebant enim ex se-
quente spirituali petra: petra vero illa erat
5 Christus. Sed plerosque illorum non habuit
gratos Deus; prostrati sunt enim in deserto.
6 Hæc autem typi nostri fuerunt, ut ne concu-
7 piscamus res malas, sicut illi concupiverunt. Ne

igitur idololatræ fiatis, sicut quidam eorum; ut scriptum est, Sedit populus ad edendum ac bibendum, et surrexerunt ad ludendum (Ex. 32, 6). Neque scortemur, sicut quidam eorum scortati sunt, et ceciderunt uno die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut etiam quidam eorum tentarunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmurate, sicut quidam eorum murmurarunt, et perierunt a disperditore.

Hæc autem omnia typice eveniebant eis: scripta vero sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum devenerunt. Itaque qui *sibi* videtur stare, videat ne cadat. Tentatio vos non cepit nisi humana; fidelis autem *est* Deus, qui non sinet vos tentari supra *id* quod potestis, sed una cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis sufferre.

Quapropter, dilecti mihi, fugite ab idololatria. Ut intelligentibus *hæc* dico: judicate vos quod aio. Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Quoniam unus *est* panis, unum corpus *nos* illi multi sumus: *nos* enim omnes ex uno illo pane participamus. Videtis Israelem *qui est* secundum carnem: nonne qui edunt victimas, consortes sunt altaris? Quid ergo dico? idolum aliquid esse, aut quod idolis immolatum est, aliquid esse? Imo *illud dico*, quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo: nolim autem vos dæmoniis consociari. Non potestis poculum Domini bibere, et poculum dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An provocamus ad æmulationem Dominum? num validiores eo sumus?

23 Omnia mihi licent, at non omnia conferunt;
omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.
24 Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod
25 alterius *est*. Quicquid in macello venditur, edite,
26 nihil, propter conscientiam, discriminantes. Do-
mini enim est terra et plenitudo ejus
27 (Ps. 24, 1). Quod siquis infidelium vos vocat,
et vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite,
28 nihil discriminantes propter conscientiam. At
siquis vobis dixerit, Hoc idolis mactatum est,
ne edite, propter illum qui indicavit et propter
conscientiam: Domini enim est terra et
29 plenitudo ejus (Ps. 24, 1). Conscientiam au-
tem dico, non tuam, sed illius alterius: cur
enim libertas mea damnatur ab alia conscientia?
30 Quod si ego per gratiam *cibum* participo, cur
in eo ut blasphemus accusor pro quo ego gra-
tias ago?
31 Sive igitur editis, sive bibitis, sive quid facitis,
32 omnia ad gloriam Dei facite. Estote sine offen-
diculo et Judæis, et Græcis, et ecclesiæ Dei.
33 Sicut et ego *per* omnia omnibus placeo, non
quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum,
ut serventur.
11 Imitatores mei fiatis, sicut ego Christi.
2 LAUDO vero vos, fratres, quod omnia mea me-
ministis, et sicut tradidi vobis, traditiones retinetis.
3 Velim autem vos nosse Christum esse omnis
viri caput; caput autem mulieris, virum; caput
4 vero Christi, Deum. Omnis vir orans aut pro-
phetans velato capite, dedecorat caput suum.
5 Omnis vero mulier orans aut prophetans non
velato capite, dedecorat caput suum: nam *id*
6 unum ac idem est ac si rasa esset. Nam si non
velatur mulier, etiam tondeatur: quod si turpe
mulieri tonderi aut radi, veletur.

7 Vir enim non debet velare caput, quum *is*
imago sit et gloria Dei: at mulier gloria viri
8 est. Non enim est vir ex muliere, sed mulier
9 ex viro. Neque enim conditus est vir propter
10 mulierem, sed mulier propter virum. Propter
hoc debet mulier potestatem habere in capite,
11 propter angelos. Attamen neque vir absque
muliere, neque mulier absque viro, in Domino.
12 Sicut enim mulier ex viro *est*, ita et vir per
mulierem: omnia vero ex Deo.
13 Apud vosipsos judicate, *num* decorum est
14 mulierem non velatam Deum orare? An ne
natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro
15 quidem comatum esse dedecori sit? Contra,
mulieri comatam esse decori sit? nam coma pro
velamine data est ei.
16 Quod siquis videtur contentiosus esse, nos
ejusmodi consuetudinem non habemus, neque
ecclesiæ Dei.
17 HOC vero *ita* denuncio, ut vos non laudem,
quod *videlicet* non cum emolumento, sed cum
18 detrimento convenitis. Primum enim, quum
convenitis in ecclesia, audio dissidia inter vos
19 esse; et aliquatenus credo. Oportet enim etiam
hæreses inter vos esse; ut qui probi sunt, mani-
festi fiant inter vos.
20 Quum igitur convenitis eodem loci, *hoc* non
21 est Dominicam cœnam edere. Nam unusquisque
propriam cœnam præoccupat in edendo: et hic
22 quidem esurit, ille vero ebrius est. Enimvero
num domos non habetis ad edendum et biben-
dum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et pude-
facitis eos qui non habent? Quid vobis dicam?
laudabo vos? in hoc non laudo.
23 Ego enim accepi a Domino quod et tradidi
vobis; Dominum Jesum *videlicet* ea nocte qua

24 proditus est, accepisse panem: et gratiis actis fregisse, ac dixisse, Accipite, edite: hoc meum est corpus quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei
25 commemorationem. Itidem et poculum, postquam cœnasset, dicendo, Hoc poculum est novum illud pactum per meum sanguinem: hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei commemorationem.
26 Quotiescunque enim ederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem Domini annun-
27 ciatis, usquequo venerit. Itaque quisquis ederit panem hunc, vel biberit poculum *hoc* Domini indigne, reus tenetur corporis et sanguinis Do-
28 mini. Exploret autem quisque sese, et ita de
29 pane illo edat, et de poculo illo bibat. Nam qui edit et bibit indigne, ipse sibi judicium edit
30 et bibit, non discernens corpus Domini. Propterea inter vos multi *sunt* ægroti et valetudinarii, et dor-
31 miunt multi. Etenim si ipsi nos dijudicaremus,
32 non judicaremur. Sed dum judicamur, a Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur.
33 Itaque, fratres mei, quum convenitis ad eden-
34 dum, alius alium exspectate. Quod siquis esurit, domi edat; ne ad condemnationem convenia-
tis. Reliqua vero, quum venero, disponam.

12 PORRO de spiritualibus *donis*, fratres, nolim
2 vos in *eorum* ignoratione versari. Scitis *vos* gentes fuisse, ad idola illa muta, prout duceba-
3 mini, abreptos. Quapropter notum vobis facio, nullum per spiritum Dei loquentem, dicere Jesum anathema; et neminem posse dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum.
4 Distinctiones autem donorum sunt, sed idem
5 spiritus: et distinctiones ministeriorum sunt, sed
6 idem Dominus: et distinctiones actionum sunt, sed idem est Deus agens omnia in omnibus.
7 Unicuique vero datur declaratio spiritus ad

8 utilitatem. Nam huic quidem per spiritum da-
tur sermo sapientiæ; alii vero sermo cognitionis
per eundem spiritum; alteri vero fides per eun-
9 dem spiritum; alii vero donum sanationum per
eundem spiritum; alii vero operatio virtutum;
alii vero prophetia; alii vero discretio spirituum;
10 alteri vero genera linguarum; alii vero interpre-
11 tatio linguarum: sed omnia hæc agit unus ille
et idem spiritus, distribuens privatim *illa* sin-
gulis sicut vult.
12 Sicut enim corpus unum est, et membra habet
multa, omnia vero illa membra corporis, quod
unicum est, multa sunt, *sed* unum sunt corpus;
13 ita et Christus. Etenim per unum spiritum nos
omnes in unum corpus baptizati sumus, et Ju-
dæi, et Græci, et servi, et liberi: et omnes poti
14 sumus in unum spiritum. Etenim corpus non est
15 unum membrum, sed multa. Si dicat pes, Quia
non sum manus, non sum ex corpore: non pro-
16 pterea non est ex corpore? Et si dicat auris,
Quia non sum oculus, non sum ex corpore: non
17 propterea non est ex corpore? Si totum corpus
est oculus, ubi auditus? si totum *est* auditus, ubi
18 odoratus? Nunc autem Deus constituit membra,
19 singula sigillatim in corpore, sicut voluit. Quod
si essent omnia unum membrum, ubi *fuerit* cor-
20 pus? Nunc vero multa quidem membra sunt,
21 unum vero corpus. Non potest autem oculus
dicere manui, Te mihi non est opus: aut rursum
22 caput pedibus, Non est mihi vobis opus. Imo
multo potius, quæ videntur membra corporis in-
23 firmissima esse, necessaria sunt: et quæ putamus
membra corporis minime esse honesta, iis hono-
rem ampliorem circumponimus: et quæ sunt in
nobis indecora, ampliorem decorem habent.
24 Nam iis quæ sunt in nobis decora, *decore* non

est opus: sed Deus contemperavit corpus, ei cui
25 deerat ampliore tributo honore: ut ne sit dissi-
dium in corpore, sed membra itidem sollicita
26 sunt alia pro aliis. Itaque sive *aliquod* patitur
unum membrum, compatiuntur omnia membra:
sive honore afficitur unum membrum, congratu-
lantur omnia membra.
27 Vos autem estis corpus Christi, et membra
28 particulatim. Et alios quidem constituit Deus
in ecclesia, primum apostolos, deinde prophetas,
tertio doctores; deinde *constituit* virtutes; deinde
dona sanationum, opitulationes, gubernationes,
29 genera linguarum. Num omnes apostoli? num
30 omnes prophetæ? num omnes doctores? num
omnes edunt virtutes? num omnes donum habent
sanationum? num omnes linguis loquuntur? num
31 omnes interpretantur? Sed affectate dona potiora:
et porro iter ad excellentiam vobis demonstro.
13 Si linguis hominum loquar et angelorum,
charitatem autem non habeam, factus sum æs
2 resonans, aut cymbalum tinniens. Et si habeam
prophetiam, et noverim mysteria omnia, omnem-
que cognitionem, et si habeam totam illam fidem,
adeo ut montes transponam, charitatem autem
3 non habeam, nihil sum. Et si insumam alendis
egenis omnia quæ mihi suppetunt, et si tradam
corpus meum ut comburar, charitatem autem non
habeam, *hoc* nihil *mihi* prodest.
4 Charitas patienti est animo, benigna est charitas,
non invidet charitas, non agit perperam, non infla-
5 tur; non agit indecore, non quærit quæ sua sunt,
6 non exacerbatur, non cogitat malum; non gaudet
7 injustitia, congratulatur autem veritati; omnia
tegit, omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat.
8 Charitas nunquam excidit: sed et prophetiæ
evanescent, et linguæ cessabunt, et cognitio abo-

9 lebitur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte
10 prophetamus. Postquam autem advenerit quod
perfectum est, tunc quod est aliquatenus abole-
11 bitur. Quum essem infans, ut infans loquebar,
ut infans sapiebam, ut infans ratiocinabar: post-
quam autem factus sum vir, ut evanida sustuli
12 quæ infantis erant. Videmus enim nunc per spe-
culum *et* per ænigma, tunc autem coram *cerne-
mus:* nunc novi aliquatenus, tunc vero amplius
cognoscam prout amplius edoctus fuero.
13 Nunc vero manet fides, spes, charitas, tria
hæc: maxima autem harum charitas.
14 Sectamini charitatem, affectate spiritualia;
2 maxime vero ut prophetetis. Nam qui loquitur
lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nullus
3 enim audit, spiritu vero loquitur mysteria. Qui
autem prophetat, hominibus loquitur ædificatio-
4 nem, et exhortationem, et consolationem. Qui
loquitur lingua, seipsum ædificat: qui vero pro-
5 phetat, ecclesiam ædificat. Velim autem omnes
vos loqui linguis, magis tamen ut prophetetis:
major enim *est* qui prophetat quam qui loquitur
linguis excepto nisi interpretetur, ut ecclesia
ædificationem accipiat.
6 Quod si nunc, fratres, veniam ad vos linguis
loquens, quid vos juvabo, nisi vobis loquar, aut
ex revelatione, aut ex cognitione, vel prophe-
7 tando, vel docendo? Atqui animæ expertia quæ
sonum edunt, sive tibia *sit* sive cithara, nisi di-
stinctionem tonis dederint, quomodo cognoscetur
8 quod tibia canitur aut cithara? Etenim si in-
certum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad
9 bellum? Ita et vos, nisi per linguam edideritis
bene significantem sermonem, quomodo cogno-
scetur quod dicitur? eritis enim in aërem loquen-
10 tes. Tot, si casus tulerit, genera vocum sunt in

11 mundo, et nihil *est* mutum. Nisi igitur sciero
vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus, et qui
12 loquitur apud me barbarus *fuerit*. Ita et vos,
quandoquidem spiritus affectatis, ad ædificatio-
nem ecclesiæ quærite ut exundetis.
13 Quapropter qui loquitur lingua, oret ut inter-
14 pretetur. Nam si orem lingua, spiritus meus
15 orat: sed intelligentia mea est infructuosa. Quid
est igitur? orabo spiritu, sed orabo etiam intel-
ligentia: psallam spiritu, sed psallam etiam in-
16 telligentia. Quandoquidem si benedixeris spiritu,
is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus
est Amen ad tuam gratiarum actionem? nam
17 quid dicas nescit. Nam tu quidem bene gratias
18 agis, sed alius non ædificatur. Gratias ago Deo
meo, quod magis quam vos omnes linguis loquar.
19 Sed in ecclesia malim quinque verba ex intelli-
gentia mea loqui, ut et alios voce instituam,
20 quam decem millia verborum lingua. Fratres,
ne estote pueri prudentia: sed malitia infantes,
prudentia vero adulti estote.
21 In lege scriptum est, Propterea per di-
versæ linguæ *homines* et per alia labra
loquar huic populo; et ne sic quidem me
22 audient, dicit Dominus (Es. 28, 11. 12). Lin-
guæ igitur sunt signum, non iis qui credunt, sed
infidelibus: prophetia vero non infidelibus, sed
23 credentibus. Itaque si eodem convenerit tota
ecclesia, et omnes linguis loquantur, ingredian-
tur autem idiotæ vel infideles, nonne dicent vos
24 furere? Sed si omnes prophetent, ingrediatur
autem infidelis quispiam aut idiota, arguitur ab
25 omnibus, dijudicatur ab omnibus: et ita quæ
occulta sunt in ejus corde manifesta fiunt, atque
ita procidens in faciem adorabit Deum, renun-
cians Deum vere in vobis esse.

26 Quid igitur est, fratres? quoties convenitis,
quisque vestrum canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.
27 Et lingua quis loquitur, *fiat* per binos, aut *ad*
plurimum ternos, et vicissim; unus autem inter-
28 pretetur. Quod si non sit interpres, taceat in
ecclesia *qui loquitur lingua;* sibiipsi vero lo-
29 quatur et Deo. Prophetæ autem duo aut tres
30 loquantur, et alii dijudicent. Quod *siquid* alii
31 revelatum fuerit assidenti, prior taceat. Potestis
enim omnes sigillatim prophetare, ut omnes di-
32 scant, et omnes consolationem accipiant. Et
33 spiritus prophetarum prophetis subjiciuntur. Non
enim est incompositi status *auctor* Deus, sed
pacis, ut in omnibus ecclesiis sanctorum.
34 Mulieres vestræ in conventibus sileant: nec
enim permissum est eis ut loquantur, sed *oportet*
35 ut subditæ sint, sicut et lex dicit. Quod siquid
discere volunt, domi suos viros interrogent: nam
turpe est mulieribus in ecclesia loqui.
36 An a vobis sermo Dei profectus est? an ad
37 vos solos devenit. Si quis sibi videtur propheta
esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis
38 esse Domini præcepta. Qui vero ignarus est,
39 ignarus esto. Itaque, fratres, affectate prophe-
40 tiam, et loqui linguis ne prohibete. Omnia vero
decenter, et ordine fiant.

15 CETERUM vobis declaro, fratres, evangelium
quod evangelizavi vobis, quod et recepistis, in
2 quo etiam statis; per quod etiam, si retinetis
quo sermone vobis evangelizaverim, servamini;
3 excepto nisi si frustra credidistis. Tradidi enim
vobis in primis quod et accepi, Christum vide-
licet mortuum esse pro peccatis nostris secun-
4 dum scripturas; et sepultum fuisse, et excitatum

5 tertio die, secundum scripturas: et visum fuisse
6 Cephæ, deinde duodecim illis: postea visus est
amplius quam quingentis fratribus semel; ex
quibus plerique manent usque adhuc, quidam
7 autem obdormierunt. Postea visus est Jacobo;
8 deinde apostolis omnibus. Ultimo vero omni-
9 um, velut abortivo, visus est etiam mihi. Ego
enim sum minimus apostolorum, qui non sum
dignus vocari apostolus; propterea quod perse-
10 cutus sum ecclesiam Dei. Sed gratia Dei sum
id quod sum: et gratia ejus, quæ in me *collata*
est, non fuit inanis, sed amplius quam illi omnes
laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei quæ
11 mecum *est*. Et ego igitur et illi ita prædica-
mus, et ita credidistis.

12 Quod si Christus prædicatur ex mortuis excita-
tus esse, quomodo dicunt quidam inter vos, non
13 esse resurrectionem mortuorum? Nam si resur-
rectio mortuorum non est, Christus quoque non
14 est suscitatus. Quod si Christus non est susci-
tatus, vanum videlicet *est* præconium nostrum,
15 vana autem *est* etiam fides vestra. Invenimur
autem etiam falsi testes Dei: quoniam de Deo
testificati sumus, eum suscitasse Christum, quem
non suscitavit, si videlicet mortui non excitan-
16 tur. Nam si mortui non suscitantur, Christus
17 quoque non est suscitatus. Quod si Christus
non est suscitatus, inanis est fides vestra; adhuc
18 estis in peccatis vestris. Nempe et qui dormi-
19 unt in Christo, perierunt. Si in hac solum vita
speramus in Christum, miserrimi omnium homi-
num sumus.

20 Nunc autem Christus suscitatus est ex mortuis,
21 primitiæ dormientium factus est. Quia enim per
hominem mors, per hominem quoque resurrectio
22 mortuorum. Sicut enim in Adamo omnes mori-

untur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.
23 Unusquisque autem suo ordine: primitiæ Chri-
stus, postea qui sunt Christi, in adventu ipsius:
24 deinde *erit* finis, quum tradiderit regnum Deo
ac patri; quum evanescere fecerit omne impe-
25 rium, et omnem potentiam et virtutem. Nam
oportet eum regnare usquequo omnes inimicos
26 supposuerit pedibus ejus. Ultimus autem hostis
27 evanescet mors. Nam omnia subjecit sub pedes
ejus. Quum autem dicit omnia esse *ei* subjecta,
palam est *hoc dici* excepto eo qui subjecit ei
28 omnia. Postquam vero subjecta fuerint ei om-
nia, tunc et ipse Filius subjicietur ei qui subje-
cerit ipsi omnia; ut Deus sit omnia in omnibus.
29 Alioqui quid facient qui ablutione utuntur su-
per mortuis? Si omnino mortui non suscitantur,
30 cur ablutione utuntur super mortuis? Cur etiam
31 nos periclitamur omni momento? Diebus singu-
lis morior per gloriationem vestram, quam habeo
32 in Christo Jesu Domino nostro. Si secundum
hominem adversus bestias pugnavi Ephesi, quæ
mihi utilitas? Si mortui non suscitantur, eda-
33 mus et bibamus: cras enim morimur. Ne er-
rate: Mores bonos commercia corrumpunt mala.
34 Evigilate juste, et ne peccate; quidam enim
Deum non norunt: vobis ad verecundiam addu-
cendis *hoc* dico.
35 At dicet aliquis, Quomodo suscitantur mor-
tui? quali autem corpore prodeunt?
36 Insipiens, quod tu seris, non viviscit, nisi mor-
37 tuum fuerit: et quod seris, non corpus oriturum
seris, sed nudum granum, si casus tulerit, tritici,
38 aut alicujus ex reliquis *seminibus*. Sed Deus ei
dat corpus ut voluit, et singulis seminibus suum
39 corpus. Non omnis caro eadem caro: sed alia
quidem caro hominum, alia autem caro peco-

rum, alia vero piscium, alia autem volucrium.
40 Et *sunt* corpora cœlestia, et *sunt* corpora terrestria: sed alius quidem cœlestium decor, alius
41 vero terrestrium. Alius decor solis, et alius decor lunæ, et alius decor stellarum: stella enim stellæ præstat decore.
42 Ita *erit* et resurrectio mortuorum; seritur *corpus* cum corruptione, suscitatur cum incorru-
43 ptione: seritur fœdum, suscitatur cum gloria: seritur viribus cassum, suscitatur potens: seritur
44 corpus animale, suscitatur corpus spirituale. Est
45 corpus animale, et est corpus spirituale. Ita etiam scriptum est, Factus est prior homo Adamus animal vivens (Gen. 2, 7): posterior
46 *autem* Adamus *factus est* spiritus vivificus. At spirituale non est prius, sed animale, deinde spiri-
47 tuale. Primus homo e terra, pulvereus; secundus
48 homo ipse Dominus e cœlo. Qualis pulvereus ille, tales et pulverei sunt: et qualis ille cœlestis,
49 tales et qui cœlestes erunt. Et sicut gessimus imaginem terreni, geremus etiam imaginem cœlestis.
50 Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi: neque corruptio hæreditatem incorruptibilitatis
51 consequetur. Ecce, mysterium vobis dico, Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur, momento, et jactu oculi, ad ultimam tu-
52 bam: canet enim tuba, et mortui suscitabuntur
53 incorruptibiles, et nos mutabimur. Oportet enim corruptibile istud induere incorruptibilitatem, et
54 mortale istud induere immortalitatem. Postquam autem hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem et mortale istud induerit immortalitatem, tunc fiet illud quod scriptum est, Absorpta est mors ad victoriam (Es. 25, 8).
55 Ubi tua, o mors, victoria? ubi tuus, o sepul-

56 chrum aculeus? Aculeus vero mortis *est* pecca-
57 tum: vis autem peccati, lex. Deo autem habe-
tor gratia, qui dat nobis victoriam per Domi-
num nostrum Jesum Christum.
58 Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, im-
moti, eminentes in opere Domini semper, quum
sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino.
16 PORRO de collecta in sanctos, quemadmo-
dum ordinavi ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite.
2 Primo quoque *die* hebdomadis, unusquisque ve-
strum apud se seponat, recondens ut thesaurum
quodcunque ipsi datum fuerit ut possit commode:
3 ne quum venero, tunc collectæ fiant. Postquam au-
tem adfuero, quoscunque probaveritis per epistо-
las, eos mittam ut perferant Hierosolymam bene-
4 ficientiam vestram. Quod si res digna fuerit ut
et ipse proficiscar, mecum proficiscentur.
5 Veniam autem ad vos, quum Macedoniam
pertransiero (Macedoniam enim pertranseo).
6 Apud vos autem forsitan permanebo, aut etiam
hibernabo, ut vos me prosequamini quocunque
7 proficiscar. Nolo enim vos nunc in transcursu
videre: sed spero temporis aliquantum mansu-
8 rum *me* apud vos, si Dominus permiserit. Per-
manebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.
9 Nam ostium mihi apertum est magnum et ope-
rosum, et adversarii multi.
10 Quod si venerit Timotheus, videte ut sine
metu sit apud vos: opus enim Domini operatur,
11 ut et ego. Nequis igitur illum pro nihilo ha-
beat: sed prosequimini eum cum pace, ut veniat
ad me: exspecto enim eum cum fratribus.
12 Porro de Apollo fratre, multum precatus sum
eum ut iret ad vos cum fratribus: sed omnino
non fuit *ei* voluntas nunc eundi: venturus est
autem, quum tempus opportunum habuerit.

13 Vigilate, perstate in fide, viriliter agite, estote
14 fortes. Omnia vestra cum charitate fiant.
15 Precor autem vos, fratres, (nostis familiam
Stephanæ esse primitias Achaiæ, et sese in
16 ministerium sanctis addixisse;) ut et vos subjici-
amini talibus, et omnibus operam suam confe-
rentibus et laborantibus.
17 Gaudeo vero de adventu Stephanæ, et For-
tunati, et Achaici; quoniam isti defectum vestri
18 suppleverunt. Refocillarunt enim spiritum meum
ac vestrum. Agnoscite igitur eos qui tales sunt.
19 Salutant vos ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in
Domino multum Aquila et Priscilla, cum eccle-
20 sia quæ est domi ipsorum. Salutant vos fratres
omnes. Salutate alii alios osculo sancto.
21 Salutatio manu mea Pauli. 22 Siquis non
amat Dominum Jesum Christum, esto anathema
23 maran-atha. Gratia Domini Jesu Christi *sit* vo-
24 biscum. Charitas mea cum omnibus vobis in
Christo Jesu. Amen.

Ad Corinthios prior, missa fuit Philippis per Stephanam, et Fortunatum, et Achaicum, et Timotheum.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA SECUNDA AD CORINTHIOS.

1 PAULUS apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, ecclesiæ Dei quæ
2 est Corinthi, una cum sanctis omnibus qui sunt in tota Achaia: gratia *sit* vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

3 BENEDICTUS *esto* Deus ac Pater Domini nostri
Jesu Christi, pater, *inquam*, ille miserationum,
4 et Deus omnis consolationis; consolans nos in
omni afflictione nostra, ut et ipsi possimus in
quavis afflictione *positos* consolari, ea conso-
5 latione qua nos consolatur Deus. Nam sicut
redundant in nos perpessiones Christi, ita per
Christum redundat etiam *in vos* consolatio nostra.
6 Sive igitur affligimur, pro vestra consolatione
ac salute *premimur;* sive consolationem perci-
pimus, *consolationem percipimus* pro vestra con-
solatione, quæ agit *in vobis* per tolerationem
earundem perpessionum quas et nos perpetimur:
7 et spes nostra firma est de vobis; ut qui sciamus
vos sicut consortes estis perpessionum, ita etiam
consortes fore consolationum.
8 Non enim volumus vos esse nescios, fratres,
afflictionis nostræ quæ nobis evenit in Asia, nos
nempe supra modum gravatos fuisse supra vires,
adeo ut prorsus animi penderemus, etiam quod
9 ad vitam. Sed ipsi apud nos decretum mortis
habuimus, ne confideremus in nobisipsis, sed in
10 Deo suscitante mortuos; qui ex tanta morte nos
eripuit et eripit; in quo speramus nos adhuc
11 etiam ereptum iri: una conferentibus subsidiariam
operam etiam vobis per deprecationem pro
nobis, ut donum ex multis personis in nos *colla-*
tum, per multos celebretur gratiarum actione
pro nobis.
12 Nam gloriatio nostra hæc est, testimonium
videlicet conscientiæ nostræ, quod cum simplici-
tate et sinceritate Dei, non cum sapientia car-
nali, sed cum gratia Dei, versati sumus in
13 mundo, plurimum autem apud vos. Non enim
alia scribimus vobis quam quæ legitis aut etiam
agnoscitis; spero autem vos etiam ad extremum

14 agnituros; sicut et aliquatenus agnovistis, nos
gloriationem vestram esse, quemadmodum et vos
nostra *estis*, in diem Domini Jesu.
15 Itaque hac fiducia prius volui ad vos venire,
16 ut secundam gratiam haberetis: et per vos trans-
ire in Macedoniam, et rursum a Macedonia
venire ad vos, et a vobis deduci in Judæam.
17 Hoc igitur quum deliberarem, num qua levitate
sum usus? aut quæ delibero, secundum carnem
18 delibero, ut sit apud me Etiam et Non? Imo
fidelis Deus *novit* sermonem nostrum apud vos,
19 non fuisse Etiam et Non. Nam Dei Filius, Je-
sus Christus, qui inter vos per nos prædicatus
est, *id est*, per me et Silvanum ac Timotheum,
non fuit Etiam et Non, sed Etiam fuit in ipso.
20 Quotquot enim *sunt* promissiones Dei, in ipso
sunt Etiam, et in ipso *sunt* Amen, ad Dei glo-
21 riam per nos. Porro, qui nos confirmat vobis-
cum in Christum, et qui unxit nos, Deus *est;*
22 qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem
spiritus cordibus nostris.
23 EGO vero testem Deum invoco in meam ani-
mam, me *idcirco* nondum venisse Corinthum,
24 quod vobis parcam. Non quod dominemur ve-
stræ fidei, sed *quod* administri simus gaudii ve-
stri: nam fide statis.
2 Hoc autem apud me statui, rursus cum tristi-
2 tia non venire ad vos. Nam si ego tristitia vos
afficiam, quis est igitur qui exhilaret me, nisi is
3 ipse qui contristatus fuerit ex me? Et hoc ipsum
vobis scripsi, ne quum venero, tristitiam capiam
ex iis de quibus oportebat me gaudere: con-
fisus de vobis omnibus, meum gaudium, omnium
4 vestrum *gaudium* esse. Nam ex multa afflictione
et anxietate cordis scripsi vobis, per multas
lacrymas; non ut tristitia afficeremini, sed ut

cognosceretis charitatem quam habeo summam erga vos.

5 Quod siquis tristitia affecit, non me tristitia affecit, sed quadantenus, ne *illum* aggravem,
6 vos omnes. Sufficit istiusmodi *homini* ista in-
7 crepatio a pluribus illius *profecta*. Ut e contrario potius vos *aliquid ei* condonetis, *eumque* consolemini, ne quo modo redundante tristitia
8 absorbeatur *vir* hujusmodi. Quapropter precor
9 vos, ut ratam faciatis in illum charitatem. Nam in hunc finem etiam scripsi, ut cognoscerem probationem vestri, *id est*, an ad omnia obe-
10 dientes sitis. Cui vero quidpiam condonatis, et ego *condono:* nam et ego si quid condonavi, cui condonavi, propter vos *id feci*, in conspectu
11 Christi, ut ne superemur a Satana: non enim illius machinationes ignoramus.

12 Porro, quum venissem Troadem ad *prædicandum* evangelium Christi, etiamsi ostium mihi apertum erat per Dominum, non fuit remissio spiritui meo, eo quod non invenissem Titum
13 fratrem meum? sed quum illis valedixissem, abii in Macedoniam.

14 Deo *habetor* autem gratia, qui facit ut semper triumphemus in Christo, et odorem cognitionis sui manifestum facit per nos quovis in loco.
15 Nam Christi bona fragrantia sumus Deo, in iis
16 qui servantur, et in iis qui pereunt. His quidem, odor mortis ad mortem; illis vero, odor
17 vitæ ad vitam. Sed ad hæc quis idoneus? Non
18 enim, ut plerique, cauponamur sermonem Dei; sed ut ex sinceritate, sed ut ex Deo, in conspectu Dei de Christo loquimur.

3 INCIPIMUS rursus nosipsos commendare? aut num egemus, ut nonnulli, commendatitiis epistolis apud vos, aut commendatitiis a vobis?

2 Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus
nostris, quæ intelligitur et legitur ab omnibus
3 hominibus: dum manifestum fit vos esse epi-
stolam Christi subministratam a nobis, inscri-
ptam non atramento, sed spiritu Dei vivi; non
in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cor-
4 dis. Fiduciam autem hujusmodi habemus per
5 Christum apud Deum: non quod idonei simus
per nosipsos ad cogitandum quicquam, velut ex
nobisipsis; sed quod idonei sumus, *id* ex Deo
6 est; qui etiam fecit, ut idonei essemus ministri
novi pacti, non literæ, sed spiritus: nam litera
occidit, spiritus autem vivificat.
7 Quod si mortis ministerium in literis *positum*,
et informatum in lapidibus, fuit gloriosum, adeo
ut non possent intentis oculis intueri filii Israel
in faciem Mosis, propter gloriam illam faciei
8 ejus evanidam; qui non potius ministerium spi-
9 ritus erit gloriosum? Nam si ministerium con-
demnationis *fuit* gloriosum, multo magis mini-
10 sterium justitiæ abundat gloria. Etenim quod
glorificatum fuit, ne glorificatum quidem fuit
hac in parte, *id est*, supereminentis illius glo-
11 riæ respectu. Nam si quod evanescit, *fuit*
gloriosum, multo magis est gloriosum id quod
manet.
12 Itaque, quum ejusmodi spem habeamus, multa
13 in loquendo evidentia utimur. Nec *sumus* sicut
Moses, *qui* imponebat velamen faciei suæ, ne
defigerent oculos filii Israelis ad finem ejus
14 quod evanidum erat. Itaque occalluerunt men-
tes illorum. Nam usque ad diem hodiernum,
in lectione veteris pacti manet non detectum
15 velamen illud, quod in Christo evanescit. Sed
ad hunc usque diem, quum legitur Moses, vela-
16 men cordi eorum impositum est. Quando vero

sese converterit ad Dominum, tolletur velamen illud.

17 Dominus vero spiritus ille est: ubi autem
18 spiritus ille Domini, illic libertas. Nos autem omnes detecta facie, gloriam Domini quasi in speculo intuentes, *secundum* eandem imaginem transformamur, *id est*, ex gloria in gloriam, sicut a Domino spiritu.

4 Propterea quum ministerium hoc habeamus, prout misericordia donati sumus, segnes non
2 sumus: sed abrenunciavimus pudendis latebris, non cum calliditate ambulantes, neque falsantes sermonem Dei, sed declaratione veritatis commendantes nosipsos apud omnem conscientiam
3 hominum, in conspectu Dei. Quod si opertum est evangelium nostrum, iis qui pereunt opertum
4 est: in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, *nempe* in infidelibus, ne irradiet eos illustratio evangelii gloriæ Christi, qui est imago
5 Dei. Non enim nosipsos prædicamus, sed Christum Jesum *esse* Dominum; nos autem servos
6 vestros propter Jesum. Quoniam Deus, qui dixit ut e tenebris lux splendesceret, *is est* qui splenduit in cordibus nostris; ad *præbendam* lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Jesu Christi.

7 Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasculis, ut hæc hujus potentiæ supereminentia
8 sit Dei, et non ex nobis: dum in omnibus affligimur, at non coarctamur: hæsitamus at non
9 prorsus hæremus: persecutionem patimur, sed in *ea* non deserimur; dejicimur, at non perimus:
10 ubivis mortificationem Domini Jesu in corpore circumferentes, ut etiam vita illa Jesu in cor-
11 pore nostro manifesta fiat. Semper enim nos, qui vivimus, morti tradimur propter Jesum, ut etiam vita Jesu manifesta fiat in carne nostra

12 mortali. Itaque mors quidem in nobis agit, vita
vero in vobis.
13 Et quoniam habemus eundem spiritum fidei,
secundum illud quod scriptum est, Credidi, *et*
ideo locutus sum (Ps. 116, 10): nos quoque
14 credimus, quamobrem etiam loquimur: scientes
fore, ut qui suscitavit Dominum Jesum, nos quo-
15 que per Jesum suscitet, et sistat vobiscum. Nam
hæc omnia propter vos *fiunt*, ut gratia illa am-
plificata, pluribus gratias agentibus, redundet in
16 gloriam Dei. Propterea non segnescimus; sed
etiamsi externus homo noster corrumpitur, inter-
17 nus tamen renovatur in dies. Nam illico præte-
riens levitas afflictionis nostræ, excellenter ex-
cellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis:
18 non spectantibus nobis ea quæ visibilia sunt, sed
ea quæ sunt invisibilia: nam quæ visibilia sunt,
temporaria sunt; at quæ sunt invisibilia, æterna.
5 Scimus enim nos, si terrestris hujus domus
nostræ tabernaculum dissolūtum fuerit, ædificium
ex Deo habituros, domicilium *videlicet* non ma-
2 nufactum, æternum in cœlis. In hoc etenim
suspiramus, expetentes domicilio nostro, quod e
3 cœlo est, superindui: siquidem etiam induti, non
4 nudi reperiemur. Etenim qui sumus in hoc
tabernaculo, suspiramus gravati: in quo *consti-*
tuti non cupimus *eo* exui, sed superindui, ut ab-
sorbeatur mortalitas a vita.
5 Porro Deus *is est* qui nos ad hoc ipsum con-
didit, qui etiam dedit nobis arrhabonem spiritus.
6 Confidente igitur animo sumus semper, et scimus
nos dum adsumus corpore, peregre abesse a
7 Domino: (per fidem enim ambulamus, non per
8 aspectum:) confidente autem, *inquam*, animo su-
mus, et gratius est nobis abesse potius ex cor-
pore, et adesse apud Dominum.

9 Quopropter etiam contendimus, ut et hic præ-
10 sentes et hinc absentes, ipsi placeamus. Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet quæ in corpore *fecerit*, congruenter ad id quod fecerit, sive bonum, sive malum.
11 Scientes igitur terrorem illum Domini, homines ad fidem adducimus; Deo autem conspicui facti sumus; et spero *nos* etiam conscientiis ve-
12 stris manifestos esse. Non enim iterum nos ipsos commendamus vobis, sed vobis occasionem præbemus gloriandi de nobis: ut habeatis *quod dicatis* adversus eos qui in facie gloriam ca-
13 ptant, at non in corde. Nam sive insanimus, Deo *insanimus:* sive sana mente sumus, vobis *sana mente sumus*.
14 Charitas enim illa Christi constringit nos, [15] Ut qui hoc statuerimus, si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe istos omnes fuisse mortuos, et *illum* pro omnibus mortuum esse, ut qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis
16 mortuus est et suscitatus est. Itaque nos posthac neminem novimus secundum carnem: quod si etiam novimus Christum secundum carnem,
17 nunc tamen non amplius novimus. Siquis igitur *est* in Christo, nova *est* creatio: vetera præterierunt: ecce, nova facta sunt omnia.
18 Hæc autem omnia *sunt* ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum, deditque no-
19 bis ministerium reconciliationis: nempe quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum: posuitque in no-
20 bis sermonem illum reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur; *et* velut Deo *vos* precante per nos, rogamus Christi nomine,
21 reconciliamini Deo. Fecit enim *ut* qui non no-

verat peccatum, pro nobis peccatum *esset*, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.

6 Sed et operam nostram *ei* accomodantes, horta-
2 mur ne frustra gratiam Dei receperitis. (Dicit enim *Deus*, Præstituto tempore accepto exaudivi te, et in die salutis succurri tibi (Es. 49, 8): ecce, nunc *est* præstitutum tempus acceptum; ecce,
3 nunc dies salutis.) Nullam ulla in re præbentes
4 offensationem, ne vituperetur ministerium: sed in omnibus nos approbantes, ut Dei ministri, in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus,
5 in angustiis, in verberibus, in carceribus, in exagitationibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis;
6 cum puritate, cum cognitione, cum animo patiente, cum benignitate, cum Spiritu Sancto, cum chari-
7 tate minime simulata, per sermonem veritatis, per virtutem Dei, per arma justitiæ dextra ac sinistra,
8 per gloriam et dedecus, per convicia et laudes:
9 ut impostores, et *tamen* veraces; ut ignoti, et *tamen* agniti; ut morientes, et ecce vivimus; ut qui
10 castigamur, nec *tamen* morte afficimur: ut tristes, semper tamen gaudentes; ut pauperes, sed multos ditantes; ut nihil habentes, sed omnia obtinentes.
11 Os nostrum apertum est erga vos, Corinthii,
12 cor nostrum dilatatum est. Non habitatis anguste in nobis; sed angusti estis in visceribus
13 vestris. Loquor autem ut filiis de pari compensatione. Dilatamini et vos.
14 Ne impari jugo copulamini cum infidelibus: quod enim consortium justitiæ cum legis transgressione? et quæ communio luci cum tenebris?
15 et quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ
16 portio fideli cum infideli? et quæ consensio templo Dei cum simulacris? nam vos templum estis Dei viventis: sicut dixit Deus, Habitabo in eis et inambulabo; et ero illorum Deus,

17 et ipsi erunt mihi populus (Lev. 26, 12. Ez. 37, 27). Quapropter exite e medio eorum, et separamini, dicit Dominus; et
18 impurum ne attingite (Es. 52, 11): tum ego excipiam vos: et ero vobis pro patre, et vos eritis mihi pro filiis ac filiabus, dicit Dominus omnipotens (2 Reg. 7, 8. 14).
7 Has igitur promissiones quum habeamus, dilecti, purificemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, ad finem perducentes sanctimoniam in timore Dei.
2 RECIPITE nos: neminem injuria affecimus, neminem corrupimus, neminem quæstui habuimus.
3 Ad condemnationem *vestri hoc* non dico: nam ante dixi vos in cordibus nostris esse, ad com-
4 moriendum et convivendum. Multa *est* mihi loquendi libertas apud vos, multa mihi gloriatio de vobis; impletus sum consolatione; vehementer superabundo gaudio in omni afflictione nostra.
5 Etenim quum venissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus fuimus afflicti: foris *fuerunt* pugnæ, intus
6 metus. Sed qui consolatur depressos, consola-
7 tus est nos, *nempe* Deus, adventu Titi: non solum autem adventu illius, sed etiam consolatione quam ille accepit ex vobis, quum renunciaret nobis vestrum vehemens desiderium, vestrum ejulatum, vestrum super me ardorem; adeo ut magis gavisus fuerim.
8 Nam etiamsi vos tristitia affeci per epistolam, non me pœnitet, etiamsi pœnituerit: video enim epistolam illam, tametsi ad tempus, tristitia vos
9 affecisse. Nunc gaudeo, non quod contristati fueritis, sed quod contristati fueritis ad resipiscentiam: nam tristitia affecti fuistis secundum Deum, ut nulla in re damno affecti fueritis ex

10 nobis. Nam quæ secundum Deum est tristitia,
ea resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nun-
quam pœniteat; mundi vero tristitia mortem effi-
11 cit. Ecce enim, istud ipsum, quod secundum
Deum tristitia affecti fuistis, quantum in vobis
effecit studium, imo excusationem, imo indigna-
tionem, imo timorem, imo vehemens desiderium,
imo zelum, imo vindictam? per omnia testatum
12 fecistis, vos esse puros in hoc negotio. Itaque,
etsi scripsi vobis, non *scripsi vobis* ejus respectu
qui injuria affecerat, nec ejus respectu qui injuria
affectus fuerat; sed ut apud vos manifestum fieret
studium illud nostrum pro vobis in conspectu Dei.
13 Propterea consolationem accepimus ex conso-
latione vestri: sed quamplurimum gavisi fuimus ob
gaudium Titi, quod refocillatus sit spiritus ejus ab
14 omnibus vobis: et quod siquid apud eum de vobis
gloriatus sum, non fui pudefactus, sed ut omnia
vere locuti sumus vobis, ita et gloriatio nostra,
qua usus eram apud Titum, vera comperta sit:
15 et viscera ejus eo amplius erga vos *affecta* sint,
memoria repetentis omnium vestrum obedientiam,
et ut cum timore ac tremore ipsum exceperitis.
16 Gaudeo igitur quod penitus confidam de vobis.
8 PORRO notam facimus vobis, fratres, gratiam
2 Dei præstitam ecclesiis Macedonum; *nempe* in
multa exploratione afflictionis, exundans gaudium
ipsorum, et profundam eorum paupertatem ex-
3 undasse in copiosam benignitatem ipsorum. Nam
pro viribus (testor) atque supra vires voluntarii
4 *fuerunt:* multa cum exhortatione nos rogantes, ut
hanc beneficentiam *et* societatem hujus ministerii
sanctorum causa *subeundi*, in nos reciperemus.
5 Ac non prout sperabamus *ita fecerunt*, sed se-
metipsos dediderunt primum Domino, *deinde* et
6 nobis per Dei voluntatem: ut adhortaremur Ti-

tum, ut sicut ante cœpit, ita etiam absolvat apud
vos hanc quoque beneficentiam.
7 Itaque sicut omnibus exundatis, *nempe* fide, et
sermone, et cognitione, et omni studio, et vestra
in nos charitate, *videte* ut hac quoque gratia
8 exundetis. Non ex imperio dico sed aliorum
studio, vestræ quoque dilectionis sinceritatem
9 reddens exploratam. Nostis enim beneficentiam
Domini nostri Jesu Christi, eum *videlicet* pro-
pter vos pauperem factum esse, quum esset di-
ves, ut vos illius paupertate ditesceretis.
10 Et sententiam in ea re *meam* dico: nam hoc
vobis conducit, qui non solum facere, sed etiam
11 velle ante cœpistis anno superiore. At nunc
etiam illud ipsum facere absolvite: ut, sicut *ad-*
fuit promptus ille animus ad volendum, ita etiam
12 *adsit* ipsum perficere, quod habetis. Etenim si
prius adsit promptus animus, aliquis acceptus
est pro eo quod habet, non pro eo quod non
13 habet. Non enim *hoc dico* ut aliis sit relaxatio,
vobis autem afflictio: sed *ut* pari conditione quod
vobis superest *suppleat* hoc tempore quod illis
14 deest: ut et illorum abundantia quod vobis deest
15 suppleat, ut fiat æquabilitas. Sicut scriptum est
Qui multum *collegit*, plus non habuit: et
qui paulum, minus non habuit (Ex. 16, 18).
16 Gratia vero *habetor* Deo, qui cordi Titi indi-
17 dit idem studium pro vobis. Quod tum exhor-
tationem illam gratam habuit, tum vero quod
18 majore studio ultro ad vos iter suscepit. Misi-
mus autem una cum eo fratrem illum, cujus laus
19 est in evangelio per omnes ecclesias: (nec *id*
solum, sed etiam suffragiis delectus est ab eccle-
siis socius peregrinationis nostræ, cum hac be-
neficentia quæ administratur a nobis, ad ipsius
Domini gloriam, et *comprobandum* promptum

20 animum vestrum: (evitantes hoc, nequis nos vitu-
peret in hac ubertate quæ administratur a no-
21 bis: ut qui procuremus honesta non solum in
conspectu Domini, sed etiam in conspectu homi-
22 num. Misimus autem cum eis fratrem nostrum,
quem sæpe in multis probavimus propensum
esse, nunc autem multo propensiorem, ob mul-
23 tam *meam* fiduciam in vobis. Sive de Tito
quæritur, socius meus *est*, et apud vos adjutor:
sive de fratribus nostris, legati *sunt* ecclesiarum,
24 *et* gloria Christi. Itaque demonstrationem cha-
ritatis vestræ, et nostræ de vobis gloriationis,
edite in eos, in conspectu ecclesiarum.

9 Nam de ministerio quod sanctis exhibetis,
2 supervacaneum est mihi scribere vobis. Novi
enim promptum animum vestrum, quem de vo-
bis jacto apud Macedones, Achaiam, videlicet,
paratam esse ab anno superiore: et ex vobis
3 *ortus* ardor provocavit complures. Misi autem
hos fratres, ne gloriatio nostra de vobis inanis
fiat hac in parte, ut, (sicut dicebam,) parati sitis.
4 Ne quo modo, si mecum venerint Macedones, et
invenerint vos imparatos, nos pudefiamus (ut ne
5 vos dicam) in hoc fundamento gloriationis. Itaque
necessarium duxi adhortari hos fratres, ut priores
venirent ad vos, et prius absolverent antea de-
nunciatam beneficentiam vestram, ut ea sit parata
ita ut beneficentia, et non ut extortum aliquid.
6 Hoc autem *dico*, Qui serit parce, parce etiam
metet: et qui serit benigne, benigne etiam me-
7 tet. Quisque, sicut præoptat corde, *ita* agat:
non ex tristitia aut ex necessitate: nam hilarem
8 datorem diligit Deus. Potens *est* autem Deus
efficere ut omnis gratia in vos exundet; ut in
omnibus omni tempore omne quod sufficiat ha-
9 bentes, exundetis ad omne opus bonum. Sicut

scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus:
justitia ejus manet in seculum (Ps. 112, 9).
10 Qui autem suppeditat semen serenti, et panem ad
escam, suppeditet et multiplicet sementem vestram,
11 et augeat fructus justitiæ vestræ: *vobis* omni modo
ditatis ad omnem benignitatem, quæ per nos
12 efficit ut gratiæ agantur Deo. Nam ministerium
functionis istius non solum supplet quæ sanctis
desunt, sed etiam exundat multis gratiarum actio-
nibus apud Deum, per istius ministerii experi-
13 mentum. Deum glorificando de vestra testata
submissione in evangelium Chrisi, deque benigna
14 in se et in omnes communicatione: et per ipso-
rum deprecationem pro vobis maximo vos amore
complectentium propter gratiam Dei in vobis
15 supereminentem. Gratia autem *habetor* Deo
super inenarrabili suo dono.

10 CETERUM rogo vos per lenitatem illam et
æquitatem Christi, ego ipse Paulus, qui coram
quidem submissus sum inter vos, absens vero
2 sum erga vos confidens: *hoc* autem rogo, ne
præsens confidenter agam fiducia, qua existimor
audax fuisse in quosdam, qui de nobis existi-
3 mant quasi secundum carnem ambulemus. Nam
in carne, non *tamen* secundum carnem, ambu-
4 lantes militamus: arma enim militiæ nostræ non
carnalia sunt, sed divinitus valida ad destructio-
5 nem munitionum: ratiocinationes evertendo, om-
nemque sublimitatem quæ sese extollit adversus
cognitionem Dei, et in captivitatem redigendo om-
6 nem cogitationem ad obediendum Christo: et para-
tum habendo quo ulciscamur omnem inobedien-
tiam, postquam impleta fuerit vestra obedientia.
7 Quæ ob oculos sunt aspicitis? siquis apud se
confidit se Christi esse, hoc vicissim reputet ex
sese, quemadmodum ipse Christi *est*, ita et nos

8 Christi *esse*. Nam si amplius etiam quippiam glo-
rier de jure nostro, quod dedit Dominus nobis ad
ædificationem, ac non ad destructionem vestri,
9 non pudefiam: ne videar ceu perterrefacere vos
10 per epistolas. Nam epistolæ quidem, inquiunt,
graves sunt et validæ: sed præsentia corporis in-
11 firma *est*, et sermo *est* nihili. Hoc cogitet *qui*
istiusmodi *est*, *certe* quales sumus sermone per
epistolas quum absumus, tales etiam erimus re
ipsa quum aderimus.

12 Non enim audemus non adjungere vel con-
jungere cum quibusdam qui seipsos commendant:
sed non animadvertunt quod ipsi sese metiuntur
13 seipsis, et cum sibiipsis sese comparant. At nos
non gloriabimur de iis quæ mensuræ *nostræ* non
sunt, sed secundum modum nobis ad regulam ad-
mensum, *id est*, ejus quam distribuit nobis Deus
mensuræ, *gloriabimur* nos pervenisse ad vos
14 etiam usque. Non enim quasi non pervenerimus
usque ad vos, extendimus nosipsos ultra quam
deceat: nam usque ad vos etiam pervenimus in
15 evangelio Christi. Nequaquam de iis quæ mensuræ
nostræ non sunt gloriantes, *id est*, de alienis
laboribus; sed sperantes, *fore ut*, augescente fide
vestra in vobis amplificemur in attributa nobis
16 nostra mensura ad redundantiam usque. *Id est*,
ut in iis *regionibus*, quæ ultra vos *sunt*, evan-
gelizem: non ut, in alteri attributa mensura, de
17 præparatis gloriemur. Ceterum qui gloriatur,
18 in Domino glorietur (Jes. 9, 23. 24). Non
enim qui seipsum commendat, is probandus est,
sed is quem Dominus commendat.

11 UTINAM sufferretis me paulisper in insipientia
2 *mea*: imo etiam sufferte me. Affecto enim vos
Dei ardore: aptavi enim vos, *quos* uni viro, *ut*
3 virginem puram sistam, *nempe* Christo. Sed

metuo, ne quo modo, sicut serpens ille Evam
seduxit calliditate sua, ita corruptæ cogitationes
vestræ *degenerent* a simplicitate quæ est in
4 Christo. Enimvero si veniens quispiam alium
Jesum prædicet quem non prædicavimus, aut *si*
spiritum alium accipiatis quem non acceperitis,
aut evangelium aliud quod non receperitis, recte
5 *illum* toleraveritis. Puto enim me nihilo inferio-
6 rem fuisse summis apostolis. Quod si rudis *sum*
sermone non tamen *sum rudis* cognitione: sed
omnino manifesti facti sumus in omnibus apud vos.
7 Num peccavi, quum ipse me submitterem, ut
vos attolleremini? quod gratuito evangelium Dei
8 evangelizavi vobis? Alias ecclesias spoliavi,
accepto *ab eis* stipendio, ut vobis essem minis-
ter; et quum apud vos essem et egerem, non
9 obturpui cum cujusquam incommodo. Quod enim
mihi deerat, suppleverunt fratres quum venis-
sent e Macedonia: et in omnibus me conservavi
10 vobis minime onerosum, et conservabo. Est ve-
ritas Christi in me, quod hæc gloriatio non ob-
11 struetur in me in regionibus Achaiæ. Quapropter?
12 *an* quod non diligam vos? Deus novit. Sed quod
facio, etiam faciam; ut amputem occasionem iis qui
exoptant occasionem, ut in *eo de* quo gloriantur,
13 inveniantur quales et nos. Nam istiusmodi pseud-
apostoli, operarii dolosi sunt, transfigurantes se in
14 apostolos Christi. Neque id mirum; ipse enim
15 Satanas se transfigurat in angelum lucis. Non
magnum est igitur si etiam ejus ministri trans-
figurant se tanquam *sint* ministri justitiæ, quo-
rum finis erit secundum opera ipsorum.
16 Rursum dico, nequis me putet insipientem esse:
sin minus vel ut insipientem recipite me, ut
17 paululum quiddam et ego glorier. Quod dico,
non dico secundum Dominum, sed ut insipiens,

18 in fundamento istius gloriationis. Quandoquidem
19 multi gloriantur secundum carnem, et ego glo-
20 riabor. Libenter enim suffertis insipientes, quod
sitis sapientes. Suffertis enim siquis vos in
servitutem adigit, siquis exedit, siquis *stipendium* accipit, siquis attollit sese, siquis vos in
21 faciem cædit. Contumeliæ respectu dico, veluti quod nos in-
firmi fuimus: imo in quocunque audacia uti ve-
22 lit aliquis, (ut desipiens loquor,) audacia uti ve-
lim et ego. Hebræi sunt? *sum* et ego: Israelitæ
23 sunt? *sum* et ego: semen Abrahami sunt? *sum* et ego: ministri Christi sunt? (insipiens loquor)
superior sum ego: in laboribus amplius, in pla-
gis supra illos, in carceribus amplius, in morti-
24 bus sæpe. A Judæis quinquies accepi quadra-
25 genas *plagas* una minus. Ter virgis cæsus fui,
semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem
26 ac diem in profundo egi: in itineribus sæpe *fui*, *in* periculis fluminum, periculis latronum, pericu-
lis a *meis* gentilibus, periculis a gentibus, peri-
culis in civitatibus, periculis in solitudine, peri-
27 culis in mari, periculis inter falsos fratres: in
labore et ærumna, in vigiliis sæpe, in fame et
siti, in jejuniis sæpe, in frigore et nuditate.
28 Absque iis quæ extrinsecus *eveniunt*, *urget*
agmen illud in me quotidie consurgens, *id est*,
29 sollicitudo de omnibus ecclesiis. Quis infirmus
est, quin ego sim infirmus? quis offendiculo affi-
citur, quin ego urar?
30 Si gloriari oporteat, de iis quæ infirmitatis
31 meæ *sunt* gloriabor. Deus et Pater Domini
nostri Jesu Christi, benedictus in secula, novit
32 me non mentiri. Damasci, ethnarchus Aretæ,
regis, præsidio tenebat Damascenorum urbem,
33 cupiens me prehendere: sed per fenestram in

corbe fui fune demissus per mœnia, et ejus manus effugi.

12 GLORIARI sane non convenit mihi: veniam enim
2 ad visiones et revelationes Domini. Novi hominem
in Christo ante annos quatuordecim (an in corpore,
nescio; an extra corpus, nescio; Deus novit) ra-
3 ptum in tertium usque cœlum: et novi hujusmodi
hominem (an in corpore, an extra corpus, nescio;
4 Deus novit) raptum fuisse in paradisum, et audisse
5 ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui. Su-
per ejusmodi homine gloriabor; de meipso vero
6 non gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam si
voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim
dicam; sed parce loquor, ne quis de me reputet su-
pra *id* quod videt *esse* me, aut *quod* audit ex me.
7 Et ne excellentia revelationum supra modum
efferrer, datus est mihi surculus infixus carni,
nempe angelus Satan, ut me colaphis cædat, ne
8 supra modum efferar. Super hoc ter Dominum
9 rogavi, ut abscederet a me. Sed dixit mihi, Sufficit
tibi gratia mea; nam potentia mea per infirmitatem
consummatur. Libentissime igitur gloriabor potius
de infirmitatibus meis, ut tanquam in tabernaculo
10 inhabitet in me potentia Christi. Propterea acquie-
sco in infirmitatibus, in injuriis, in necessitatibus,
in persecutionibus, in angustiis pro Christo: quum
enim infirmus sum, tunc potens sum.
11 Fui insipiens in gloriando: vos me coegistis:
nam ego debueram a vobis commendari; nulla
enim in re inferior fui summis apostolis, etiamsi
12 nihil sum. Indicia quidem apostoli edita sunt
apud vos cum omni tolerantia, per signa, et
13 prodigia, et virtutes. Nam quid est in quo
fueritis deteriore conditione præ reliquis ecclesiis,
nisi quod ego ipse non obtorpui cum vestro incom-
modo? condonate mihi hoc injuste factum.

14 Ecce, tertio paratus sum venire ad vos, nec
cum vestro incommodo obtorpescam; non enim
quæro quæ vestra sunt, sed vos: non enim de-
bent filii parentibus thesauros congerere, sed
15 parentes filiis. Ego vero libentissime sumptum
impendam, et expendar pro animabus vestris;
etiamsi, plurimum vos diligens, minus diligar.
16 Sed esto, ego vos non gravavi; sed quod sim
17 callidus dolo vos cepi. Num per quenquam eo-
18 rum quos misi ad vos, quæstui vos habui? Pre-
catus sum Titum, et cum eo misi fratrem: num
aliqua in re vos quæstui habuit Titus? nonne eo-
dem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?
19 Rursum putatis quod nos vobis excusemus?
in conspectu Dei, in Christo loquimur: omnia
20 autem hæc, dilecti, pro vestri ædificatione. Nam
metuo, nequo modo, quum venero, non quales
velim inveniam vos, et ego inveniar vobis qua-
lem nolitis; nequo modo *sint* lites, æmulationes,
excandescentiæ, rixæ, obtrectationes, susurri,
21 rumores, tumultuationes. Ne me, postquam
iterum venero, deprimat Deus meus apud vos,
et lugeam multos eorum qui ante peccarunt, nec
resipuerunt super impuritate, et scortatione, et
lascivia quam patrarunt.

13 TERTIA jam vice venio ad vos. Ex ore
duorum testium aut trium firmum erit omne ver-
2 bum. Prædixi, et secundo prædico ut præsens,
et absens nunc scribo iis qui ante peccarunt,
et reliquis omnibus, fore ut, si denuo venero,
3 non parcam. Quandoquidem probationem quæ-
ritis in me loquentis Christi, qui erga vos non
4 infirmus, sed potens est in vobis. Nam etsi
crucifixus fuit ex infirmitate, vivit tamen ex po-
tentia Dei; nam et nos infirmi sumus in eo, sed
vivi erimus cum eo, ex potentia Dei apud vos.

5 Vosipsos tentate an sitis in fide: vosipsos explorate: annon agnoscitis vosmetipsos, *videlicet* Jesum Christum in vobis esse? nisi rejectanei
6 estis. At spero fore ut cognoscatis nos non
7 esse rejectaneos. Opto autem a Deo, ne quid mali faciatis; non ut nos probi appareamus, sed ut quod bonum est faciatis, nos vero velut re-
8 jectanei simus. Non enim possumus quicquam
9 adversus veritatem, sed pro veritate. Gaudemus enim quum nos infirmi sumus, vos autem validi estis: hoc autem etiam optamus, vestram *vide-*
10 *licet* integram concinnationem. Propterea hæc absens scribo, ne præsens præcise me geram ex eo jure quod dedit mihi Dominus ad ædificationem, ac non ad destructionem.
11 QUOD superest, fratres, valete, instauramini, consolationem habete, idem sentite, pacem colite: et Deus charitatis ac pacis erit vobiscum.
12 Salutate alii alios osculo sancto. Salutant vos sancti omnes.
13 Gratia Domini Jesu Christi, et charitas Dei et communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis. Amen.

Ad Corinthios secunda scripta fuit Philippis *urbe* Macedoniæ, per Titum et Lucam.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA AD GALATAS.

1 PAULUS apostolus (non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, ad Deum
2 Patrem, qui suscitavit eum ex mortuis), quique

mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiæ;
3 gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino
4 nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro
peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti
seculo malo, secundum voluntatem Dei et Pa-
5 tris nostri: cui *sit* gloria in secula seculorum.
Amen.
6 Miror vos ita cito, deserto eo qui vocavit
vos in gratiam Christi, transferri in aliud evan-
7 gelium: quod non est aliud; sed nonnulli vos
turbant, et volunt invertere evangelium Christi.
8 Sed etiamsi nos, aut angelus e cœlo evangelizet
quidem vobis præter *id* quod vobis evangeliza-
9 vimus, anathema esto. Ut ante diximus, etiam
nunc iterum dico, Si quis vobis evangelizaverit
10 præter *id* quod accepistis, anathema esto. Nunc
enim *utrum* homines *audiendos* an Deum suadeo, aut quæro hominibus placere? Enimvero
si adhuc hominibus placerem, Christi servus non
essem.
11 Notum autem vobis facio, fratres, evangelium
illud quod est a me evangelizatum, non esse
12 secundum hominem. Neque enim ego ab homine
id accepi, neque edoctus sum, sed per revela-
13 tionem Jesu Christi. Audistis enim quomodo
versatus sim olim in Judaismo, me *videlicet* supra modum persecutum esse ecclesiam Dei,
14 et eam vastasse; et profecisse in Judaismo supra multos coævos meos in gente mea, summe
affectans traditiones a patribus meis profectas.
15 Quando vero libuit Deo, qui separaverat me
inde ab utero matris meæ, et vocavit per gra-
16 tiam suam, revelare Filium suum in me, ut evangelizarem ipsum inter gentes, non statim præ-
17 terea contuli cum carne et sanguine: neque redii
Hierosolymam ad eos qui ante me *fuerunt*

apostoli; sed abii in Arabiam, ac denuo rever-
18 sus sum Damascum. Deinde tribus post annis
redii Hierosolymam, ut viserem Petrum; et
19 permansi apud eum dies quindecim. Alium au-
tum ex apostolis non vidi quenquam, nisi Jaco-
20 bum fratrem Domini. In iis porro quæ scribo
vobis, ecce in conspectu Dei *testor* me non
21 mentiri. Deinde veni in regiones Syriæ et Ci-
22 liciæ. Eram autem ignotus facie ecclesiis Ju-
23 dææ, quæ *erant* in Christo. Sed solum audi-
erant *qui dicerent*, Qui persequebatur nos ali-
quando, nunc evangelizat fidem quam olim va-
24 stabat: et glorificabant Deum de me.

2 Deinde interjectis annis quatuordecim, rursum
ascendi Hierosolymam una cum Barnaba, as-
2 sumpto simul et Tito. Ascendi autem ex re-
velatione, et exposui eis evangelium quod præ-
dico inter gentes; sed privatim iis qui sunt in
pretio, neque modo frustra currerem aut cucur-
3 rissem. Sed neque Titus, qui mecum erat, quam-
4 vis esset Græcus, coactus fuit circumcidi: nempe
propter irreptitios falsos fratres, qui fuerant clam
ingressi ad explorandam libertatem nostram, quam
habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem
5 adigerent: quibus ne ad momentum quidem nos
subjiciendo cessimus; ut veritas evangelii per-
6 maneret apud vos. Ab iis autem qui existi-
mantur esse aliquid, quales olim fuerint, nihil
mea refert: personam hominis Deus non acci-
pit. Nam qui sunt in pretio, nihil mecum præ-
7 terea contulerunt. Imo e contrario, quum vi-
dissent mihi concreditum fuisse evangelium præ-
8 putii, sicut Petro circumcisionis; (nam qui effi-
cax fuit per Petrum ad apostolatum circumcisio-
nis, efficax fuerat etiam per me apud gentes;)
9 quumque cognovissent gratiam mihi datam, Ja-

cobus, et Cephas, et Joannes, qui existimantur
esse columnæ, dextras societatis dederunt mihi
ac Barnabæ; ut nos apud gentes, ipsi vero apud
10 circumcisos, *apostolatu fungeremur*. Solum
monuerunt ut pauperum meminissemus; quod
etiam studui facere.
11 Quum autem venisset Petrus Antiochiam, in
os ei obstiti, eo quod condemnandus esset.
12 Nam antequam venissent quidam a Jacobo, una
cum gentibus edebat; quum autem venissent,
subterfugiebat ac separabat sese ab eis, metuens
13 eos qui erant ex circumcisione. Ac simulabant
una cum eo reliqui etiam Judæi; adeo ut Bar-
nabas quoque simul abriperetur eorum simu-
14 latione. Sed quum vidissem eos non recto pede
incedere, ut veritati evangelii congruebat, dixi
Petro coram omnibus, Si tu, quum sis Judæus,
gentiliter vivis, ac non judaice, cur gentes co-
15 gis judaizare? Nos *sumus* natura Judæi, et
16 non ex gentibus peccatores; scientes autem non
justificari hominem ex operibus legis, sed per
fidem Jesu Christi; etiam nos in Christum Je-
sum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi,
et non ex operibus legis: propterea quod non
17 justificabitur ex operibus legis ulla caro. Quod
si, dum quærimus justificari per Christum, in-
venti sumus et ipsi peccatores, num Christus
18 peccati minister est? Absit. Nam si quæ de-
struxi, ea rursus ædifico, transgressorem me-
19 ipsum constituo. Ego enim per legem legi mor-
20 tuus sum, ut Deo viverem. Una cum Christo
crucifixus sum. Vivo autem, non amplius ego,
sed vivit in me Christus; et vitam quam nunc
vivo in carne, vivo per fidem illam Filii Dei,
qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.
21 Non irritam facio gratiam Dei; nam si per le-

gem est justitia, igitur Christus sine causa mortuus est.

3 O AMENTES Galatæ, qui vos fascinavit ne pareretis veritati; quibus ob oculos Jesus Christus prius fuerat depictus, inter vos crucifixus?
2 Hoc solum velim discere ex vobis, Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex fide per auditum
3 percepta? Adeo amentes estis? quum spiritu in-
4 ceperitis, nunc carne perficimini? Tam multa
5 passi estis frustra? si modo etiam frustra. Qui igitur subministrat vobis spiritum, et efficit virtutes in vobis, *illumne* ex operibus legis, aut ex
6 fide per auditum percepta *subministrat?* Sicut Abraham credidit Deo, et imputatum est
7 ei ad justitiam (Gen. 15, 6): *ita* nempe nostis
8 eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ. Quum prævidisset autem scriptura Deum ex fide justificaturum gentes, *id* ante evangelizavit Abrahamo, *dicens* Benedicentur in te omnes gentes
9 (Gen. 12, 3). Itaque qui ex fide *sunt*, benedicentur cum illo fideli Abrahamo.
10 Nam quotquot ex operibus legis sunt, sub exsecratione sunt. Scriptum est enim, Exsecrabilis *est* quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat
11 ea (Deut. 27, 26). Nullum autem per legem justificari apud Deum, manifestum *est:* quoniam
12 justus ex fide vivet (Hab. 2, 4). Lex autem non est ex fide: sed, Qui ea fecerit, vivet
13 per ea (Lev. 18, 5). *At* Christus nos redemit ab exsecratione legis, dum pro nobis factus est exsecratio: scriptum est enim, Exsecrabilis *est* quisquis pendet in ligno (Deut. 21, 23).
14 Ut ad gentes benedictio illa Abrahami perveniret in Christo Jesu, *et* ut promissum illum spiritum acciperemus per fidem.

15 Fratres, humano more loquor, Pactionem licet
hominis ratam habitam nullus irritam facit, aut
16 *aliquid ei* superaddit. Abrahamo vero dictæ
sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit, Et
seminibus, ut de multis; sed ut de uno, Et se-
17 mini tuo (Gen. 17, 8), qui est Christus. Hoc
autem dico, Pactionem a Deo prius sancitam
respicientem in Christum, lex quæ quadringentis
et triginta post annis exstitit, irritam non facit,
18 ut evanidam reddat illam promissionem. Nam
si ex lege est hæreditas, non jam *est* ex pro-
missione: atqui Abrahamo per promissionem
largitus est Deus *hæreditatem*.
19 Quid igitur lex?

Transgressionum gratia adjecta est, usquequo
venisset semen illud cui facta est promissio;
lex, inquam, ordinata per angelos, per manum
20 internuncii. Internuncius autem unius non est;
Deus vero unus est.
21 *Num* igitur lex *addita est* adversus promis-
siones Dei?

Absit; nam si data fuisset lex quæ posset vi-
22 vificare, vere ex lege esset justitia. Sed con-
clusit illa scriptura omnia sub peccatum, ut pro-
missio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.
23 Antequam autem venisset fides, sub legis præ-
sidio custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ
24 futurum erat ut revelaretur. Itaque lex pædago-
gus noster fuit in Christum *respiciens*, ut ex fide
25 justificaremur. At postquam venit fides, non am-
26 plius ab pædagogo sumus. Omnes enim filii
27 Dei estis, per fidem in Christo Jesu. Nam qui-
cunque in Christum baptizati fuistis, Christo fu-
28 istis induti. Non est Judæus neque Græcus, non
est servus neque liber, non est masculus ac fe-
mina: omnes enim vos unus estis in Christo Jesu.

29 Quod si vos *estis* Christi, nempe Abrahami semen estis, et secundum promissionem hæredes.
4 *Hoc* autem dico, Quamdiu hæres infans est, nihil differt a servo, quamvis sit dominus om-
2 nium: sed sub tutoribus et curatoribus est usque
3 ad tempus quod pater præstituerit. Ita et nos, quum essemus infantes, sub elementis mundi
4 eramus in servitutem redacti: at postquam venit plenum illud tempus, emisit Deus Filium suum
5 factum ex muliere, factum legi subjectum, ut eos qui legi erant subjecti redimeret, ut adoptionem
6 acciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, cla-
7 mantem, Abba, *id est*, Pater. Itaque non amplius es servus, sed filius: quod si filius, etiam hæres Dei per Christum.
8 Imo tum quidem ignorantes Deum, serviebatis
9 iis qui natura non sunt dii. At nunc, quum cognoscatis Deum, imo potius cogniti sitis a Deo, quomodo convertitis *vos* retrorsum ad infirma et egena elementa, quibus ad superiora
10 regressi servire vultis? Dies observatis, et men-
11 ses, et præstituta tempora, et annos. Metuo de vobis, ne frustra fatigatus sim apud vos.
12 Estote quasi ego; nam et ego *sum* quasi vos; fratres, deprecor vos: nulla in re me affecistis
13 injuria. Nostis autem me per infirmitatem car-
14 nis vobis prius evangelizasse: et explorationem mei quæ *fiebat* in carne mea, non pro nihilo habuistis: neque respuistis: sed me ut angelum
15 Dei, ut Christum Jesum, excepistis. Quæ igitur erat beatitatis vestræ prædicatio? testimonium enim reddo vobis, vos, si fieri potuisset, oculos
16 vestros effossos daturos mihi fuisse. Itaque inimicusne vobis sum factus, vobis vera loquens?
17 Affectant enim vos non bene; imo excludere nos

18 volunt, ut se affectetis. Præclarum est autem
affectari in re bona semper, et non solum dum
19 præsens sum apud vos. Filioli mei, quos ite-
rum parturio, usquequo formetur Christus in
20 vobis; (velim autem nunc adesse apud vos, et
mutare vocem meam, quoniam hæsito in vobis;)
21 dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non
22 auditis? Scriptum est enim, Abrahamum duos
filios habuisse; unum ex ancilla, et unum ex libera.
23 Sed is qui ex ancilla *natus est*, secundum car-
nem natus est: qui vero ex libera, per promis-
24 sionem. Per quæ aliud figuratur: nam hæ sunt
duæ illæ pactiones; una quidem, quæ est Agar,
ex monte Sina, generans *prolem* ad servitutem:
25 (istud enim Agar est Sina mons in Arabia:)
eadem autem serie respondet ei Hierosolymæ
26 quæ nunc *est*, servitque cum filiis suis. Illa vero
quæ sursum est Hierosolyma, libera est, quæ est
27 mater omnium nostrum. Scriptum est enim, Læ-
tare, sterilis, quæ non paris; erumpe, et
clama, quæ non parturis: quoniam plures
sunt liberi desertæ, quam ejus quæ habet
virum (Es. 54, 1).
28 Nos igitur, fratres, secundum Isaac, promissionis
29 filii sumus. Sed quemadmodum tunc is qui secun-
dum carnem genitus fuerat, persequebatur eum
qui natus erat secundum spiritum; ita et nunc *fit*.
30 Sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam et
filium ejus: nequaquam enim hæres erit
filius ancillæ cum filio liberæ (Gen. 21, 10).
31 Nempe, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.
5 In libertate igitur, qua Christus nos liberavit,
perstate, et ne regredientes implicamini servi-
tutis jugo.
2 Ecce, ego Paulus dico vobis, Si circumcida-
3 mini, Christum nihil vobis profuturum. Testor

enim rursum omni homini qui circumciditur, eum
4 esse debitorem totius legis servandæ. Evanuistis
separati a Christo, quicunque per legem justifica-
5 mini; *et* a gratia excidistis. Nos enim spiritu ex
6 fide, spem justitiæ exspectamus. Nam in Christo
Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque
præputium; sed fides per charitatem operans.
7 Currebatis bene: quis vos interrupit ut non
8 pareretis veritati? Hæc persuasio non *est pro-*
9 *fecta* ex eo qui vocat vos. Paulum fermenti
10 totam massam fermentat. Ego confido de vo-
bis in Domino, vos nihil aliud esse sensuros:
sed qui turbat vos, auferet condemnationem,
11 quisquis fuerit. Ego autem, fratres, si circum-
cisionem etiam prædico, quid adhuc persecutio-
nem patior? nempe evanidum factum est offen-
12 diculum illud crucis. Utinam etiam abscindan-
tur qui vos inquietant.
13 Vos enim ad libertatem vocati estis, fratres:
tantum ne libertatem *vertite in datam* carni
occasionem; sed ex charitate servite alii aliis.
14 Nam tota lex uno dicto completur, isto *vide-*
licet, Diliges proximum tuum ut teipsum
15 (Lev. 19, 18). Quod si alii alios mordetis et exedi-
tis, videte ne vicissim alii ab aliis consumamini.
16 *Hoc* autem dico, spiritu ambulate, et quod
17 concupiscit caro ne perficite. Nam caro concu-
piscit adversus spiritum, spiritus autem adver-
sus carnem; hæc autem inter se opposita sunt,
ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.
18 Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.
19 Porro manifesta sunt opera carnis; quæ sunt,
20 adulterium, scortatio, impuritas, lascivia, idolo-
latria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes,
21 excandescentiæ, rixæ, dissidia, hæreses, invidiæ,
cædes, ebrietates, comessationes, et his similia:

quæ prædico vobis, prout prædixi, eos *videlicet*
22 qui talia agunt, regni Dei non fore hæredes. At
fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, pa-
tiens animus, benignitas, bonitas, fides, lenitas,
23 continentia. Adversus ejusmodi non est lex.
24 Qui enim *sunt* Christi, carnem crucifixerunt cum
25 affectibus et cupiditatibus. Si vivimus spiritu,
26 spiritu etiam incedamus. Ne simus inanis glo-
riæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invi-
dentes.

6 FRATRES, etiamsi præoccupatus fuerit homo
in aliqua offensa, vos spirituales reconcinnate
hujusmodi hominem cum spiritu lenitatis; consi-
derans *unusquisque* temetipsum, ne et tu tenteris.
2 Alii aliorum onera portate: et ita complete le-
gem Christi.
3 Nam siquis sibi videtur aliquid, quum nihil
4 sit, hunc suus ipsius animus seducit. Opus au-
tem suum probatum reddat unusquisque; et tunc
in semetipso solo gloriationem habebit, et non
5 in alio: nam unusquisque suum onus portabit.
6 Communicet autem qui instituitur in sermone,
7 cum eo qui se instituit, omnia bona. Ne sedu-
cimini: Deus non irridetur: quicquid enim semi-
8 naverit homo, hoc et metet. Nam qui seminat
carni suæ, ex carne metet interitum; qui vero
seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam.
9 Porro ne quod bonum est faciendo segnes simus:
præstituto enim tempore metemus, si non fran-
10 gamur animo. Nempe igitur, dum tempus op-
portunum habemus, simus benefici erga omnes,
maxime vero erga domesticos fidei.
11 VIDETIS quam longis litteris vobis scripserim
12 mea manu. Quicunque volunt speciosi apparere
in carne, ii cogunt vos circumcidi, tantum ne
ob crucem Christi persecutionem patiantur.

13 Nam ne ipsi quidem qui circumciduntur, legem
servant; sed volunt vos circumcidi, ut de vestra
carne glorientur.
14 A me vero absit gloriari nisi in cruce Do-
mini nostri Jesu Christi, per quem mundus mihi
15 crucifixus est, et ego mundo. Nam in Christo
Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque
16 præputium, sed nova creatio. Et quicunque se-
cundum hanc regulam incedent, pax esto super
eos et misericordia, et super Israelem Dei.
17 De cetero, nequis mihi molestias præbeto;
ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo
porto.
18 Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spi-
ritu vestro, fratres. Amen.

Ad Galatas missa fuit Roma.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA
AD
EPHESIOS.

1 PAULUS apostolus Jesu Christi, per volun-
tatem Dei, sanctis qui sunt Ephesi, et fidelibus
2 in Christo Jesu; gratia *sit* vobis et pax a Deo
Patre nostro, et Domino Jesu Christo.
3 BENEDICTUS *esto* Deus et Pater Domini nostri
Jesu Christi, qui benedixit nobis omni bene-
4 dictione spirituali in cœlis in Christo: sicut ele-
git nos in ipso ante jactum mundi fundamen-
tum, ut simus sancti et inculpati in conspectu
5 ejus cum charitate: qui prædestinavit nos quos
adoptaret in filios per Jesum Christum in sese,
6 pro benevola voluntate sua, ad laudem glo-

riosæ suæ gratiæ, qua nos gratis sibi acceptos
7 effecit in illo dilecto: in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem, *inquam*, offensarum, prout est dives ipsius gratia;
8 qua exundavit in nos omni sapientia et prudentia. Postquam notum fecit nobis mysterium
9 voluntatis suæ, ex benevolo suo libitu quod præ-
10 stituerat in sese, *nempe*, ut in plena temporum illorum præstitutorum dispensatione summatim recolligeret omnia illa in Christo, tum quæ in
11 cœlis sunt, tum quæ in terra: in ipso, *inquam*, in quo etiam in sortem adsciti sumus, quum essemus prætestinati secundum præstitutum ejus
12 qui omnia agit ex consilio voluntatis suæ; ut nos simus laudi gloriæ ipsius, qui priores spem
13 posuimus in Christo. In quo et vos *spem posuistis*, audito illo sermone veritatis illius, *nempe* felici nuntio salutis vestræ: in quo etiam, fide *ipsi* habita, obsignati estis, per spiritum illum
14 promissionis sanctum; qui est arrhabo hæreditatis nostræ, ad obtinendum redemptionem, ad laudem gloriæ ipsius.
15 Propterea etiam ego, audita ea quæ in vobis est fide in Dominum Jesum, et charitate in om-
16 nes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in orationibus meis;
17 ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater ille gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revela-
18 tionis, per agnitionem ipsius; illuminatis oculis mentis vestræ, ad sciendum quæ sit spes illa vocationis ipsius, et quæ opes gloriæ hæredi-
19 tatis ipsius in sanctis; et quæ sit supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipsius;
20 quod exseruit in Christo, suscitato eo ex mortuis, et *quem* collocavit ad dextram suam in

21 cœlis, longe supra omne imperium ac auctoritatem, et potestatem, et dominatum, et omne nomen quo nominatur, non solum in hoc seculo,
22 verum etiam in futuro: et omnia subjecit ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia
23 *ipsi* ecclesiæ; quæ est corpus ipsius, *et* complementum ejus qui omnia implet in omnibus.

2 ET vos *una vivificavit*, quum essetis mortui in
2 offensis et peccatis; in quibus olim ambulastis ut est vita mundi hujus, secundum principem cui potestas est aëris, spiritu ipsius nunc agente
3 in hominibus contumacibus: inter quos et nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant; eramusque natura filii iræ, ut
4 etiam reliqui. Sed Deus, ut qui dives sit misericordia, propter multam charitatem suam qua
5 dilexit nos, etiam nos, quum in offensis mortui essemus, una vivificavit cum Christo, *cujus* gra-
6 tia estis servati; unaque suscitavit, unaque collo-
7 cavit in cœlis in Christo Jesu; ut ostenderet in seculis supervenientibus supereminentes illas opes suæ gratiæ, *sua* erga nos benignitate in Christo
8 Jesu. Gratia enim illa estis servati per fidem, (et hoc non *est* ex vobis; *sed* Dei donum *est*;)
9 non ex operibus, ut nequis glorietur. 10 Nam ipsius sumus opus, creati in Christo Jesu ad opera bona, quæ præparavit Deus ut in eis ambulemus.

11 PROPTEREA mementote vos quondam gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ
12 vocatur circumcisio manibus in carne facta: vos, *inquam*, illo tempore fuisse absque Christo, abalienatos a civili statu Israelis, et extraneos, quod ad pactorum promissiones *attinet*, spem
13 non habentes, et absque Deo in mundo: at nunc

in Christo Jesu, vos qui olim eratis longinqui,
propinqui facti estis, per sanguinem Christi.
14 Ipse enim est pax nostra, qui utraque fecit
unum, et intergerini parietis septum, *id est*, ini-
15 micitias dissolvit carne sua: lege illa præce-
ptorum *quæ* in ritibus *posita est*, evanescere
facta: ut ex duobus illis conderet in semetipso
16 unum novum hominem, faciens pacem; et utros-
que in uno corpore reconciliaret Deo per cru-
17 cem, peremptis inimicitiis per eam: et veniens
evangelizavit pacem vobis, *tum* qui procul eratis,
18 tum qui prope *eratis*. Quoniam utrique per
ipsum habemus aditum per unum spiritum ad
Patrem.
19 NEMPE igitur non amplius estis peregrini et
inquilini, sed concives sanctorum ac domestici
20 Dei: superstructi super fundamentum aposto-
lorum ac prophetarum, existente imo angulari
21 *ejus* lapide ipso Jesu Christo; in quo totum
ædificium congruenter coagmentatum, crescit ut
22 sit templum sanctum Domino; in quo et vos
una ædificamini, ut sitis domicilium Dei per
spiritum.

3 HUJUS rei gratia ego Paulus *sum* vinctus
2 ille Christi Jesu pro vobis gentibus: si modo
audivistis dispensationem gratiæ Dei datæ mihi
3 erga vos; *Deum videlicet* per revelationem no-
tum mihi fecisse mysterium illud; (sicut antea
4 scripsi paucis; ex quo perlecto potestis perpen-
dere quæ sit mea intelligentia in mysterio
5 Christi;) quod aliis ætatibus patefactum non fuit
filiis hominum, ut nunc est revelatum san-
ctis ejus apostolis et prophetis per spiritum;
6 gentes *videlicet* esse cohæredes et concorpores,
consortesque promissionis ejus in Christo per
7 evangelium; cujus factus sum minister ex dono

gratiæ Dei, quod datum est mihi secundum effi-
8 cacem illam vim potentiæ ipsius: mihi, *inquam*,
longe minimo omnium sanctorum, data est hæc
gratia, evangelizandi inter gentes impervestiga-
9 biles illas opes Christi, et in lucem proferendi
omnibus quæ *sit* communio mysterii quod erat
absconditum a seculis in Deo, qui omnia hæc
10 condidit per Jesum Christum; ut nunc innotes-
cat per ecclesiam imperiis ac potestatibus *quæ*
in cœlis *sunt*, multiformis illa sapientia Dei:
11 secundum præstitutum æternum, quod constituit
12 in Christo Jesu Domino nostro: in quo habe-
mus loquendi libertatem et aditum cum fiducia,
13 per fidem ipsius. Quapropter peto ne segnes
fiatis ob afflictiones meas pro vobis, quæ est
gloria vestra.

14 Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem
15 Domini nostri Jesu Christi, ex quo tota familia
16 in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis, se-
cundum divitias gloriæ suæ, ut fortiter corrobo-
remini per spiritum suum in interiore homine;
17 *et* inhabitet Christus per fidem in cordibus
18 vestris; ut in charitate radicati et fundati, vale-
atis assequi cum omnibus sanctis, quæ *sit* illa
latitudo, et longitudo, et profunditas, et subli-
19 mitas; et nosse charitatem illam Christi *omni*
notitia supereminentiorem, ut impleamini ad om-
nem usque plenitudinem illam Dei.

20 Ei vero qui summa cum exsuperantia potest
omnia facere supra ea quæ petimus, aut cogi-
21 tamus, pro illa potentia agente in nobis, ei *sit*,
inquam, gloria in ecclesia per Christum Jesum,
in omnes ætates seculi seculorum. Amen.

4 PRECOR itaque vos ego vinctus ille in Do-
mino, ut ambuletis sicuti convenit vocationi qua
2 vocati estis, cum omni animi submissione et le-

nitate, cum iræ cohibitione, sustinentes alii alios
3 per charitatem; studentes conservare unitatem
4 spiritus per connexum pacis. Unum *est* corpus
et unus spiritus, sicut et vocati estis in unam
5 spem vocationis vestræ: unus Dominus, una
6 fides, unum baptisma: unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnes, et in
omnibus vobis.
7 Sed unicuique nostrum data est gratia pro
8 mensura doni Christi. Quapropter dicit, Quum ascendisset in sublime, captivam duxit captivitatem, et dedit dona hominibus
9 (Ps. 68, 18). Ceterum illud, Ascendit, quid est
nisi quod etiam descenderat prius in infimas
10 partes terræ? Qui descenderat, ipse est qui
etiam ascendit longe supra omnes cœlos, ut im-
11 pleret omnia. Is igitur dedit alios quidem apostolos, alios vero prophetas, alios autem evange-
12 listas, alios autem pastores et doctores: ad concinnationem integram sanctorum, ad opus mini-
13 sterii, ad ædificationem corporis Christi: donec deveniamus nos omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum adultum, ad mensuram
14 plenæ staturæ Christi: ut ne simus amplius pueri, qui fluctuemus et circumferamur quovis vento doctrinæ, in aleatoria ludificatione hominum, per
15 veteratoriam ad artificiose seducendum; sed sincere nos gerentes cum charitate, prorsus adolescamus in eum qui est caput, *nempe* Christus:
16 ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, et compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura uniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens ad suiipsius exstructionem per charitatem.
17 Hoc itaque dico, et obtestor per Dominum, ne vos amplius ambuletis, sicut reliquæ gentes

18 ambulant, in vanitate mentis suæ; tenebris ob-
scuratam mentem habentes, et abalienati a vita
Dei propter ignorantiam quæ est in ipsis, per
19 obdurationem cordis ipsorum: qui posteaquam
dedoluerunt, sese dediderunt lasciviæ ad certatim
20 patrandam impuritatem omnem. Vos autem non
21 ita didicistis Christum; si modo ipsum audivistis,
et de eo edocti estis, (sicut est veritas in Jesu;)
22 *nempe* deponere, quod ad pristinam conversa-
tionem attinet, veterem illum hominem, qui se-
23 ductricibus cupiditatibus sese corrumpit; renovari
24 vero spiritu mentis vestræ; et induere novum
illum hominem, qui secundum Deum conditus
est ad justitiam et sanctimoniam veram.
25 Quapropter deposito mendacio, loquimini veri-
tatem quisque proximo suo; quoniam sumus
26 alii aliorum membra. Irascimini, et ne peccate;
27 sol ne occidat super exacerbatione vestra: ne-
28 que date locum diabolo. Qui furabatur, non
amplius furetur; sed potius laboret, operando
manibus comparans bona, ut habeat quod im-
29 pertiat cui opus fuerit. Nullus sermo putris
ex ore vestro egreditor: sed siquis est bonus
ad ædificationis usum, ut gratiam auditoribus
30 adferat. Et ne tristitia afficite spiritum illum
sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem
redemptionis.
31 Omnis amaritudo, et excandescentia, et ira, et
clamor, et maledicentia tollatur ex vobis, cum
32 omni malitia. Sed estote alii in alios benigni,
misericordes, condonantes vobis mutuo *offensas*,
sicut et Deus in Christo, condonavit vobis.
5 Estote igitur imitatores Dei, ut filii dilecti: 2 et
ambulate cum charitate, sicut et Christus dilexit
nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem
ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.

3 Scortatio vero, et omnis impuritas, aut ava-
ritia, ne nominator quidem inter vos, sicut
4 decet sanctos: et obscœnitas, et stultiloqui-
um, et scurrilitas, quæ non conveniunt; sed
5 potius gratiarum actio. Nam hoc nostis, nul-
lum scortatorem, aut impurum, aut avarum, qui
est idololatra, habere hæreditatem in regno
6 Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus ser-
monibus: propter hæc enim venit ira Dei in
7 homines contumaces. Ne igitur estote consortes
8 eorum: eratis enim olim tenebræ, nunc autem
estis lux in Domino: ut filii lucis ambulate;
9 (nam fructus spiritus *situs est* in omni bonitate,
10 et justitia, et veritate;) explorantes quod placeat
11 Domino. Et ne participate opera illa infrugifera
12 tenebrarum, sed potius etiam arguite. Nam
quæ occulte fiunt ab istis, turpe est vel dicere.
13 Sed omnia illa, dum a luce arguuntur, conspi-
cua fiunt: quidquid enim res conspicuas facit,
14 lux est. Quapropter dicit, Excitare qui dor-
mis, et resurge ex mortuis, et illucescet
tibi Christus.
15 Videte igitur quomodo accurate ambuletis,
16 non ut insipientes, sed ut sapientes: redimentes
17 opportunitatem, quoniam dies mali sunt. Pro-
pterea ne estote insipientes, sed intelligentes,
18 quæ sit voluntas Domini. Et ne inebriamini
vino, in quo luxus est; sed implemini spiritu;
19 loquentes inter vos mutuo psalmis, et hymnis,
et cantionibus spiritualibus, canentes ac psallen-
20 tes in corde vestro, Domino; gratias agentes
semper de omnibus, in nomine Domini nostri
21 Jesu Christi, Deo et Patri; subjicientes vos alii
aliis, cum timore Dei.
22 Uxores, propriis viris subjicite vos, ut Do-
23 mino: quoniam vir est caput uxoris, ut et Chri-

stus est caput ecclesiæ: et is est qui salutem dat
24 corpori. Itaque, sicut ecclesia sese subjicit Christo,
ita et uxores suis viris *sese subjiciunto* in omni re.
25 Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus
dilexit ecclesiam, et semetipsum exposuit pro
26 ea; ut eam sanctificaret, ab eo purificatam la-
27 vacro aquæ per verbum; ut sisteret eam sibi
gloriosam, *id est*, ecclesiam non habentem ma-
culam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed
28 ut sit sancta et inculpata. Ita debent viri dili-
gere suas uxores ut sua ipsorum corpora. Qui
29 diligit suam uxorem, seipsum diligit. Nullus
enim unquam suam ipsius carnem odio habuit:
imo enutrit ac fovet eam, sicut et Dominus eccle-
30 siam: quoniam membra sumus corporis ipsius,
31 ex carne ipsius, et ex ossibus ipsius. Propte-
rea derelinquet homo patrem suum ac
matrem, et agglutinabitur uxori suæ; et
qui duo *erant*, fient una caro (Gen. 2, 24).
32 Mysterium hoc magnum est: *hoc* autem ego dico,
33 *respiciens* in Christum et ecclesiam. Itaque et
vos singuli, suam quisque uxorem ita diligito ut
seipsum; uxor autem *videto* ut timeat virum.
6 Liberi, auscultate in Domino parentibus ve-
2 stris; id enim est justum. Honora patrem tuum
et matrem, quod est præceptum primum cum
3 promissione, ut bene tibi sit, et sis long-
ævus super terram (Ex. 20, 12).
4 Et *vos*, patres, ne provocate ad iram liberos
vestros, sed enutrite eos disciplina et admoni-
tione Domini.
5 Servi, auscultate iis qui *vestri* domini sunt
secundum carnem, cum timore ac tremore, cum
6 simplicitate cordis vestri, ut Christo. Non ad
oculum servientes, ut qui hominibus placere
studeant; sed ut servi Christi, facientes ex animo

7 quæ vult Deus: cum benevolentia servientes, ut
8 Domino, et non hominibus; scientes, singulos quicquid fecerint boni, hoc reportaturos a Domino, sive servus fuerit, sive liber.
9 Et vos, domini, eadem facite erga illos, remissis minis; scientes vestrum etiam ipsorum Dominum esse in cœlis, nec faciei acceptionem esse apud eum.
10 QUOD reliquum est, fratres mei, corroboramini
11 in Domino, et robore virium ipsius. Induite universam illam armaturam Dei, ut possi-
12 tis stare adversus artes diaboli. Quoniam non est nobis lucta adversus sanguinem et carnem, sed adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi potentes, *id est*, tenebrarum seculi hujus *principes*, adversus spiritales maligni-
13 tates *quæ sunt* in sublimi. Propterea assumite universam illam armaturam Dei, ut possitis obsistere tempore adverso, et omnibus confectis stare.
14 State igitur, lumbis circumcinctis veritate, et
15 induti thorace justitiæ; calceatis pedibus præpa-
16 ratione felicis illius nuncii pacis: supra omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia jacula
17 maligni illius ignita exstinguere. Galeam etiam salutis recipite, et gladium spiritus, hoc est,
18 verbum Dei; omni oratione et deprecatione, orantes omni tempore per spiritum, et illi ipsi rei invigilantes, cum omni perseverantia, et sup-
19 plicatione pro omnibus sanctis, et pro me, ut mihi detur sermo ad apertionem oris mei cum loquendi libertate, ut notum faciam mysterium
20 evangelii, cujus causa legatione fungor catenatus, ut, *inquam*, de eo libere loquar, ut oportet me loqui.
21 Ut autem sciatis et vos res meas, *et* quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, charus frater,

22 et fidus minister in Domino; quem misi ad vos
ob id ipsum, ut cognoscatis res nostras, et con-
soletur corda vestra.
23 Pax *sit vobis* fratribus, et charitas cum fide a
Deo Patre et Domino Jesu Christo.
24 Gratia *sit* cum omnibus diligentibus Dominum
nostrum Jesum Christum ad incorruptibilitatem.
Amen.

Scripta fuit Roma ad Ephesios per Tychicum.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA
AD
PHILIPPENSES.

1 PAULUS et Timotheus, servi Jesu Christi,
omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philip-
2 pis, una cum episcopis ac diaconis: gratia vobis
et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu
Christo.
3 GRATIAS ago Deo meo cum omni memoria
4 vestri, semper in omni deprecatione mea pro om-
5 nibus vobis, cum gaudio deprecans, super vestri
in evangelio communione, a primo die usque
6 ad hoc tempus; persuasum habens hoc ipsum,
fore ut qui incepit in vobis opus bonum, perfi-
7 ciat *illud* usque ad diem Jesu Christi: sicut ju-
stum est ut ego id sentiam de omnibus vobis,
propterea quod animo teneam vos, et in vincu-
lis meis et in defensione et confirmatione evan-
gelii, vos, *inquam*, omnes una mecum fuisse
8 gratiæ participes. Testis enim mihi est Deus
quantopere expetam vos omnes in visceribus Jesu
Christi.

9 Et hoc oro, ut charitas vestra adhuc magis
ac magis exundet in cognitione et omni sensu;
10 ut exploretis quæ discrepant, ut sitis sinceri, et
inoffenso cursu pergatis ad diem usque Christi;
11 repleti fructibus justitiæ, qui *sunt* per Jesum
Christum ad gloriam et laudem Dei.
12 VELIM autem vos scire, fratres, quæ mihi
acciderunt, magis ad profectum evangelii eve-
13 nisse: *adeo* ut vincula mea in Christo conspicua
facta sint in toto prætorio, ac reliquis omnibus:
14 et plerique ex fratribus in Domino, freti vincu-
lis meis, amplius audeant sine metu sermonem
15 loqui. Ac nonnulli quidem per invidiam et con-
tentionem, nonnulli vero etiam libente animo
16 Christum prædicant. Alii quidem, *inquam*, per
contentionem Christum non pure annunciant,
quod existiment sese afflictionem adjicere vincu-
17 lis meis: alii vero ex charitate, quod sciant me
18 ad defensionem evangelii constitutum esse. Quid
igitur? attamen quovis modo, sive in speciem,
sive sincere, Christus annunciatur; et de hoc
gaudeo, atque etiam gaudebo.
19 Novi enim fore ut hoc mihi cedat in salûtem
per vestram deprecationem et suppeditationem
20 spiritus Jesu Christi, secundum intentam exspe-
ctationem et spem meam, quod nulla in re pude-
fiam, sed cum omni dicendi libertate, ut semper,
ita nunc quoque magnificabitur Christus in cor-
21 pore meo, sive per vitam sive per mortem: mihi
enim *est* Christus et *in* vita et *in* morte lucrum.
22 An vero vivere in carne mihi operæ pretium
23 *sit;* et quid eligam, ignoro. Constrictus enim
utrinque teneor; desiderio tendens ad dimissio-
nem, et ut cum Christo sim: est enim *id* valde
24 multo melius: sed permanere in carne, magis
25 necessarium *est* propter vos. Et hoc confisus,

novi me mansurum esse et permansurum cum
vobis omnibus, ad vestrum profectum et gaudium
26 fidei: ut exundet gloriatio vestra in Christo Jesu
de me, mea rursus apud vos præsentia.
27 Tantum ut convenit evangelio Christi vos ge-
rite; ut sive postquam venero et videro vos, sive
absens, audiam de rebus vestris, vos *videlicet*
perstare in uno spiritu, uno animo concertantes
28 per fidem evangelii: nec ulla in re territos ab
iis qui se opponunt: quod illis quidem est exitii
29 indicium, vobis autem salutis, idque a Deo: quia
gratis datum est vobis in Christi negotio, non
solum in eum credere, sed etiam pro eo pati:
30 idem certamen sustinendo quale vidistis in me,
et nunc auditis de me.
2 SIQUA igitur consolatio *est* in Christo, siquod
solatium charitatis, siqua communio spiritus, si-
2 quæ viscera ac miserationes, explete meum
gaudium, ut eodem sitis affectu, eandem chari-
tatem habentes, unanimes, et sententiis uni;
3 nihil *gerentes* per contentionem aut per inanem
gloriam, sed ex animi submissione alii alios
4 sibi præcellere existimantes. Ne sua quisque
spectate, sed unusquisque etiam quæ sunt alio-
rum.
5 Itaque is sit affectus in vobis, qui fuit et in
6 Christo Jesu: qui, quum esset in forma Dei, non
7 duxit *esse* rapinam parem esse cum Deo: sed
ipse sese inanivit, forma servi accepta, similis
8 hominibus factus; et habitu inventus ut homo,
ipse se submisit, factus obediens usque ad mor-
9 tem, mortem autem crucis. Quapropter etiam
Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac
largitus est ei nomen quod est supra omne no-
10 men; ut ad nomen Jesu omne genu *se* flectat,
cœlestium, ac terrestrium, et subterraneorum;

11 omnisque lingua profiteatur Jesum Christum esse
Dominum, ad gloriam Dei Patris (Deut. 5, 8.
Es. 45, 23).
12 PROINDE, dilecti mihi, prout semper auscultastis, non ut in præsentia mea solum, sed nunc
multo magis in absentia mea, cum tremore ac
13 timore vestram ipsorum salutem conficite: Deus
enim is est qui efficit in vobis et ipsum velle et
ipsum agere, pro benevolo suo libitu.
14 Omnia facite absque murmurationibus ac di-
15 sceptationibus; ut sitis irreprehensibiles et simplices, Dei *inquam* filii inculpabiles in medio
gentis pravæ ac perversæ; inter quos *homines*
16 splendetis ut faces in mundo; sermonem vitæ
prætendentes; ut gloriari possim in die Christi
me non frustra cucurrisse, nec frustra laborasse.
17 Quinetiam, si pro libamento offerar super sa-
crificio et ministerio fidei vestræ, gaudeo et gra-
18 tulor omnibus vobis. Itidem autem et vos gaudete et gratulamini mihi.
19 Spero autem in Domino Jesu, me Timotheum
cito missurum vobis, ut et ego bono sim animo,
20 cognito statu vestro. Neminem enim habeo pari
animo præditum, qui sincere de rebus vestris
21 futurus sit sollicitus. Nam omnes quæ sua
ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Jesu.
22 Experimentum autem ejus nostis, quod *videlicet*,
tanquam cum patre filius, mecum servierit *Deo*
23 in evangelio. Hunc igitur spero me missurum,
simulatque videro rerum mearum statum.
24 Confido autem in Domino, me quoque cito
25 venturum ad vos. Sed necessarium duxi, Epaphroditum fratrem et adjutorem ac commilitonem
meum, vestrum autem legatum, et administrum
eorum quibus mihi opus erat, ad vos mittere.
26 Quoniam expetebat omnes vos; et gravissime

angebatur, propterea quod audissetis eum ægro-
27 tasse. Et certe ægrotavit proxime mortem: sed
Deus misertus est ejus, nec ejus solum, sed et
28 mei, ne tristitiam haberem super tristitiam. *Eo*
studiosius itaque ipsum misi, ut, eo rursus viso,
29 gaudeatis, et ego eo minus doleam. Excipite
igitur eum in Domino cum omni gaudio, et tales
30 in honore habete. Nam propter opus Christi
accessit ad mortem usque, non habita vitæ ra-
tione, ut suppleret defectum vestri quo erga me
functi estis ministerii.

3 QUOD reliquum est, fratres mei, gaudete in
Domino. Eadem scribere vobis, me quidem haud
piget, vobis autem tutum est.

2 Cavete canes, cavete malos operarios, cavete
3 concisionem. Nos enim sumus circumcisio, qui
spiritu colimus Deum, et gloriamur in Christo
4 Jesu, nec confidimus in carne; quanquam ego
habeo, etiam in carne, de quo confidam. Si
quisquam alius videtur habere in carne, de
5 quo confidat, ego maxime *habeo:* circumcisus
octavo die, ex gente Israelis, tribu Benjamin,
6 Hebræus ex Hebræis, religione Pharisæus; quod
ad æmulationem *attinet*, persequens ecclesiam;
quod ad justitiam quæ est in lege, irreprehen-
7 sibilis. Sed quæ mihi erant lucra, ea duxi
8 propter Christum damnum *esse.* Quinetiam
certe duco omnia damnum esse propter emi-
nentiam notitiæ Christi Jesu Domini mei: pro-
pter quem omnibus istis meipsum multavi, *eaque*
duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam:
9 et comperiar in eo, non habens meam justi-
tiam, *nempe*, quæ est ex lege, sed eam quæ
est per fidem Christi, *id est*, justitiam *quæ*
10 *est* ex Deo per fidem: ut cognoscam eum, et
vim resurrectionis ejus, et communionem per-

pessionum ejus, dum conformis fio morti ejus;
11 *experiens* ecquo modo deveniam ad resurrectionem mortuorum.
12 Non quod jam *metam* apprehenderim, aut jam sim consummatus: sed persequor *experiens* an *ipse* quoque apprehendam, cujus etiam rei
13 causa apprehensus fui a Christo Jesu. Fratres, ego meipsum non reor *metam* apprehendisse.
14 Unum autem *ago;* ea quidem quæ a tergo sunt obliviscens, ad ea vero quæ a fronte sunt contendens, scopum versus feror, ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.
15 Quotquot itaque adulti sumus, hoc sentiamus; quod si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis
16 Deus revelabit. Attamen *in eo* ad quod usque pervenimus, eadem incedamus regula, *et* idem sentiamus.
17 Estote simul mei imitatores, fratres; et eos considerate qui sic ambulant, sicut habetis nos
18 pro exemplari. Multi enim ambulant, quos sæpe dixi vobis, nunc autem et flens dico, hostes *esse*
19 crucis Christi; quorum finis *est* exitium, quorum Deus *est* venter, et gloria ad ignominiam ipso-
20 rum, qui terrestria curant. Nostra vero civitas in cœlis est, unde etiam servatorem exspectamus,
21 Dominum Jesum Christum; qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso, pro illa vi efficace qua potest etiam subjicere sibi omnia.
4 Itaque fratres mei dilecti et expetiti, gaudium et corona mea, ita perstate in Domino, dilecti.
2 EVODIAN precor, et Syntichen precor, ut
3 idem sentiant in Domino. Et rogo te quoque, socie germane, adjuva illas, ut quæ in evangelio concertarunt mihi, una cum Clemente quoque

et reliquis adjutoribus meis, quorum nomina *sunt* in libro vitæ.

4 Gaudete in Domino semper: rursum inquam,
5 gaudete. Æquitas vestra innotescat omnibus
6 hominibus: Dominus prope est. De nulla re solliciti estote; sed omni in re orationibus et deprecatione cum gratiarum actione petitiones
7 vestræ innotescant apud Deum. Et pax illa Dei, quæ exsuperat omnem mentem, præsidio custodiet corda vestra et cogitationes vestras in Christo Jesu.

8 Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque justa, quæcunque munda, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, siqua virtus, et siqua laus
9 est, hæc reputate. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc *inquam*, facite, et Deus pacis erit vobiscum.

10 Gavisus sum autem in Domino magnopere, quod jam tandem reviruistis in vestra pro me cura: qua de re tamen solliciti eratis, sed de-
11 stituebamini opportunitate. Non quod penuria laborem, *hoc* dico; nam ego didici, in quibus
12 sum, iis ipsis contentus esse. Novi autem deprimi, novi etiam abundare: ubique et in omnibus initiatus sum, et ad saturitatem, et ad esuritionem, *id est*, tum ad exundantiam, tum ad
13 penuriam. Omnia valeo per eum qui me corro-
14 borat, *nempe* Christum. Attamen bene fecistis,
15 quod una participastis meam afflictionem. Nostis autem et vos, Philippenses, quum initio evangelii proficiscerer e Macedonia, nullam mihi ecclesiam communicasse in ratione dati et ac-
16 cepti, nisi vos solos: nam etiam Thessalonicæ *quum essem*, semel et iterum quod mihi opus
17 erat misistis. Non quod requiram donum, sed

requiro fructum illum exuberantem, *qui* in ratio-
18 nes vestras *inducatur*. Accepi autem omnia, et abundo; expletus sum, *inquam*, acceptis ab Epaphrodito quæ a vobis *missa sunt*, odore bonæ
19 fragrantiæ, hostia Deo accepta *ac* placente. Deus autem meus supplebit quicquid opus fuerit vobis, secundum divitias suas, gloriose in Christo Jesu.
20 Deo autem et Patri nostro *sit* gloria in secula seculorum. Amen.
21 Salutate omnes sanctos in Christo Jesu. Salu-
22 tant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime vero qui sunt ex Cæsaris domo.
23 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum omnibus vobis. Amen.

Scripta est Roma per Epaphroditum.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA
AD
COLOSSENSES.

1 PAULUS apostolus Jesu Christi per Dei vo-
2 luntatem, et Timotheus frater, iis qui sunt Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo Jesu: gratia *sit* vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.
3 GRATIAS agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes:
4 audita fide vestra in Christo Jesu, et charitate
5 in omnes sanctos: propter spem sepositam vobis

in cœlis, quam prius audistis per sermonem
6 veritatis, *id est*, evangelii, quod pervenit ad vos,
sicut et in totum mundum; et fructum profert,
sicut apud vos quoque, ex quo die vere audi-
7 vistis et cognovistis Dei gratiam: sicut et didi-
cistis ex Epaphra dilecto conservo nostro, qui
8 est fidus pro vobis minister Christi: qui et
declaravit nobis vestram per spiritum charita-
tem.

9 Propterea et nos, ex quo die *id* audivimus,
non desinimus pro vobis orare, et petere ut im-
pleamini agnitione voluntatis ejus, cum omni sa-
10 pientia et intelligentia spirituali. Ut ambuletis
sicut Domino convenit, cui per omnia placeatis,
omnis operis boni fructum proferentes, et cre-
11 scentes in agnitione Dei; omni potentia po-
tentes facti, secundum gloriosum robur ipsius,
ad omnem tolerantiam et patientem animum
12 cum gaudio; gratias agentes Patri, qui idoneos
nos fecit ad participandam sortem sanctorum in
13 luce: qui, *inquam*, eruit nos ex potestate tene-
brarum, ac transtulit in regnum Filii illius sui
14 dilecti; in quo habemus redemptionem per san-
guinem ipsius, *id est*, remissionem peccatorum;
15 qui est imago Dei invisibilis, et primogenitus
16 omnis rei creatæ: nam per eum condita sunt omnia
quæ in cœlis sunt, et quæ in terra, visibilia et
invisibilia; et throni, et dominatus, et imperia,
et potestates; omnia, *inquam*, per eum et ejus
17 respectu condita sunt: estque ipse ante omnia,
18 et omnia per eum consistunt: estque caput cor-
poris, *id est*, ecclesiæ, estque *etiam* principium
et primogenitus ex mortuis, ut inter omnes pri-
19 mas teneat: quoniam libuit *Patri* ut omnis ple-
20 nitudo in eo inhabitaret: et ut, pace per san-
guinem crucis ejus facta, per eum reconciliaret

omnia sibi; per eum, *inquam*, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis.

21 Itaque vos quum eratis quondam abalienati et hostes, mente operibus malis *intenta*, nunc sane
22 reconciliavit, in corpore illo carnis suæ, per mortem; ut sistat vos sanctos, et inculpabiles
23 et irreprehensibiles in conspectu suo: si quidem permanetis in fide fundati et stabiles nec dimovemini a spe evangelii quod audistis, *evangelii*, *inquam*, prædicati toti creato mundo qui sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus minister;
24 qui nunc gaudeo de iis quæ patior pro vobis, et reliquias afflictionum Christi vicissim expleo in carne mea, pro corpore ipsius, quod est ec-
25 clesia: cujus *ecclesiæ* factus sum minister ex dispensatione Dei, quæ data est mihi erga vos,
26 ad implendum Dei sermonem; *nempe* mysterium illud quod absconditum fuit a seculis et ætatibus, nunc autem factum est conspicuum sanctis
27 ejus, quibus voluit Deus notum facere quæ sint illæ divitiæ gloriosi hujus mysterii inter gentes, qui est Christus inter vos, spes illa gloriæ:
28 quem nos annunciamus, admonendo quosvis, et quosvis docendo cum omni sapientia, ut quos-
29 vis sistamus perfectos in Christo Jesu: ad quod etiam laboro, decertans secundum vim illam efficacem ipsius agentem in me potenter.

2 Velim enim vos scire quantum certamen sustineam pro vobis et iis qui *sunt* Laodiceæ, et quotquot non viderunt faciem meam in carne:
2 ut consolationem accipiant eorum corda, ipsis charitate compactis, et omni opulentia plene certioratæ intelligentiæ, ad agnitionem mysterii
3 Dei ac Patris et Christi, in quo sunt omnes
4 thesauri sapientiæ ac notitiæ absconditi. Hoc autem *ideo* dico, ut nequis vos falso ratioci-

5 nando fallat sermonis probabilitate. Etsi enim
corpore absum, spiritu tamen sum vobiscum,
gaudens et videns vestrum ordinem et solidi-
tatem vestræ in Christum fidei.
6 Sicut igitur accepistis Christum Jesum Domi-
7 num, *ita* in eo ambulate; radicati et super-
structi in eo, ac confirmati fide, sicut edocti
estis, exundantes ea cum gratiarum actione.
8 Videte nequis sit qui vos deprædetur per philo-
sophiam et inanem seductionem, secundum tra-
ditionem hominum, secundum rudimenta mundi,
9 et non secundum Christum: nam in eo inhabitat
10 omnis plenitudo Deitatis corporaliter: et estis
in eo completi, qui est caput illud omnis impe-
11 rii ac potestatis: in quo etiam circumcisi estis
circumcisione quæ fit sine manibus, exuendo
corpus peccatorum carnis per circumcisionem
12 Christi: ei consepulti per baptismum, per quem
etiam cum eo suscitati estis per fidem efficacis
illius virtutis Dei, qui excitavit eum ex mortuis.
13 Vosque mortuos in offensis et præputio carnis
vestræ, cum eo vivificavit, vobis condonatis om-
14 nibus offensis: *ac* deleto quod adversum nos
erat rituum chirographo, quod, *inquam*, erat
nobis subcontrarium, *ipse* vero cruci affixum
15 sustulit e medio: *et* exspoliata imperia ac po-
testates traduxit palam, triumphatis illis per
eam.
16 Nequis igitur vos damnet ob cibum vel po-
tum, aut respectu festi, aut novilunii, aut sabba-
17 torum: quæ sunt umbra rerum futurarum, at
18 corpus *est* Christi. Nemo adversum vos recto-
ris partes sibi ultro sumat, in submissione animi
et religioso cultu angelorum, gradum inferens in
ea quæ non vidit, *et* temere turgens carnis suæ
19 intelligentia: neque retinens caput, ex quo totum

corpus per commissuras et connexus suppeditatum et compactum, augescit Dei augmento. Itaque, si mortui cum Christo, *liberi* estis ab elementis mundi, quid, ut viventes in mundo, placitis adstringimini, ne esitaris, neque gustaris, neque tetigeris? quæ omnia sunt *comparata* ipso usu ad corruptionem, *præscripta* ex præceptis et doctrinis hominum. Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario, et submissione animi, et in eo quod corpori non parcant, nec *tamen* ullius sunt pretii, *quum* ad ea *spectent* quibus farcitur caro.

3 ITAQUE, si ressurrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens. Superna satagite, non terrestria. 3 Nam mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quando vero Christus, vita *illa* nostra, conspicietur, tunc et vos cum eo conspiciemini in gloria. Mortificate igitur membra vestra terrestria, scortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditatem malam, et avaritiam, quæ est idololatria; ob quæ venit ira Dei super homines contumaces: quibus in *vitiis* et vos ambulastis quondam, quum in iis viveretis. At nunc deponite etiam vos hæc omnia, iram, excandescentiam, malitiam, maledicentiam, verborum obscœnitatem ab ore vestro. Nec mentimini alius adversus alium, quum exuti sitis illo vetere homine cum factis ipsius: et induti sitis novo illo, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipsum condidit; ubi non est Græcus et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus *est* Christus.

12 Induimini igitur, ut electi Dei, sancti et dilecti, visceribus miserationum, benignitate, animi

13 submissione, mansuetudine, animo patiente: sufferentes alii alios, et condonantes vobis mutuo, siquis adversus aliquem habuerit querelam; sicut et Christus condonavit vobis, ita et vos.
14 Super hæc autem omnia *induimini* charitate,
15 quæ est connexus perfectionis. Et pax Dei sit gubernatrix in cordibus vestris, ad quam etiam vocati estis in unum corpus: et benefici estote.
16 Sermo Christi inhabitet in vobis copiose cum omni sapientia, docendo et commonefaciendo vos mutuo psalmis, et hymnis, et cantionibus spiritualibus, cum gratia canendo in vestro corde
17 Domino. Et quicquid feceritis sermone aut facto, in nomine Domini Jesu Christi *istud agite*, gratias agentes Deo et Patri per eum.
18 Uxores, subjicite vos propriis viris, ut convenit in Domino.
19 Viri, diligite uxores, et ne estote adversus eas amarulenti.
20 Filii, auscultate parentibus in omnibus; hoc enim placet Domino.
21 Patres, ne irritate liberos vestros; ne concidant animo.
22 Servi, auscultate per omnia dominis secundum carnem, non obsequiis ad oculum exhibitis, ut qui hominibus placere student, sed cum simpli-
23 citate cordis, timentes Deum. Et quicquid feceritis, ex animo agite, tanquam Domino, et
24 non hominibus: scientes vos a Domino recepturos mercedem illam hæreditatis: nam Do-
25 mino Christo servitis. Qui vero injuriam intulerit, referet injuriam quam intulerit; nec est faciei acceptio.
4 Domini, jus et æquum servis exhibite: ut qui sciatis vos quoque habere Dominum in cœlis.
2 IN orationibus perdurate, invigilantes iis cum

3 gratiarum actione: orantes simul etiam pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi, propter quod etiam
4 sum vinctus: ut, *inquam*, illud manifestum faciam, sicut oportet me loqui.
5 Sapienter ambulate erga extraneos, opportuni-
6 tatem redimentes. Sermo vester semper cum gratia *sit*, sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.
7 Res meas omnes vobis notas faciet Tychicus, dilectus frater, et fidus minister, ac conservus in
8 Domino; quem misi ad vos ob hoc ipsum, ut cognoscat res vestras, et corda vestra console-
9 tur; cum Onesimo fido et dilecto fratre, qui est ex vobis. Omnia *igitur* vobis nota facient quæ hic aguntur.
10 Salutat vos Aristarchus, meus in captivitate socius, et Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis præcepta: si venerit ad vos, excipite
11 eum. Et Jesus, qui vocatur Justus; qui sunt ex circumcisione: hi soli *sunt* mihi adjutores in
12 regno Dei, qui fuere mihi solatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi, semper certans orationibus pro vobis, ut stetis per-
13 fecti et completi in omni voluntate Dei. Hoc enim de eo testor, eum multo vestri studio ardere, et eorum qui sunt Laodiceæ, et eorum qui
14 Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus ille dilectus, et Demas.
15 Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, et Nym-
16 pham, et ecclesiam quæ in domo ejus est. Et quum perlecta fuerit apud vos epistola, facite ut etiam in Laodicensium ecclesia recitetur; et
17 scriptam Laodicea, vos quoque legatis. Et dicite Archippo, Vide ut ministerium quod recepisti in Domino impleas.

18 Salutatio mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia *sit* vobiscum. Amen.

Scripta est ad Colossenses Roma, per Tychicum et Onesimum.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA PRIMA AD THESSALONICENSES.

1 PAULUS, et Silvanus, et Timotheus, ecclesiæ Thessalonicensium, *quæ est* in Deo Patre et Domino Jesu Christo. Gratia *sit* vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.

2 GRATIAS agimus Deo semper de omnibus vobis, mentionem vestri facientes in orationibus nostris:
3 indesinenter commemorantes efficacem vestram fidem, et laboriosam charitatem, et patientem illam exspectationem spei *illius* in Domino nostro Jesu Christo coram Deo et Patre no-
4 stro. Scientes, fratres a Deo dilecti, electionem
5 vestram. Quoniam evangelium nostrum constitit apud vos non sermone solum, sed etiam potentia et Spiritu Sancto, et plena certioratione multa: sicut nostis quales fuerimus inter vos,
6 vestri causa. Et vos imitatores nostri facti fuistis et Domini, excepto sermone cum afflictione
7 multa, cum gaudio Spiritus Sancti: adeo ut fueritis exemplaria omnibus credentibus in Mace-
8 donia et in Achaia. A vobis enim non solum personuit sermo Domini in Macedonia et Achaia,

verumetiam in omnem locum fides vestra, quæ
est in Deum, dimanavit, ut necesse non habe-
9 amus quicquam loqui. Siquidem ipsi de nobis
renunciant qualem ingressum habuerimus ad vos,
et quomodo converteritis vos ad Deum, relictis
10 idolis, ut serviretis Deo vivo et vero: et exspe-
ctaretis Filium ejus e cœlis, quem suscitavit ex mor-
tuis, *nempe* Jesum nos eruentem ab ira illa ventura.
2 NAM ipsi nostis, fratres, ingressum nostrum
2 ad vos non fuisse vanum: imo etiam *multa*
prius passi, et contumeliis affecti Philippis, sicut
nostis: libertate loquendi usi sumus in Deo no-
stro, ad prædicandum apud vos evangelium Dei
3 cum multo certamine. Exhortatio enim nostra
non fuit ex impostura, neque ex impuritate, ne-
4 que cum dolo; sed sicut approbati fuimus a
Deo quorum fidei committeretur evangelium, ita
loquimur, non ut hominibus placentes, sed Deo
5 exploranti corda nostra. Nec enim unquam ser-
mone assentatorio usi sumus, sicut nostis, nec
avaritiæ causa quicquam prætexuimus; Deus te-
6 stis est: neque ex hominibus quærentes gloriam
nec a vobis, nec ab aliis, quum possemus *vobis*
7 oneri esse, ut apostoli Christi. Sed fuimus man-
8 sueti inter vos. *Et* ut si nutrix foveat liberos
suos, ita *nobis* cupidis vestri libebat impartiri
vobis non solum evangelium Dei, sed etiam no-
stras ipsorum animas, quod chari nobis essetis.
9 Meministis enim, fratres, laboris nostri ac ærum-
næ: nocte enim ac die operando, ne cui oneri
essemus, prædicavimus apud vos evangelium Dei.
10 Vos testes *estis* et Deus, quomodo sancte, et
juste, et inculpate erga vos, qui creditis, nos
11 gesserimus. Sicut nostis quomodo unumquemque
vestrum, tanquam pater liberos suos, hortaba-
12 mur et consolabamur: et obtestabamur ut am-

bulantes sicut convenit Deo vocanti vos ad suum regnum ac gloriam.

13 Propterea etiam nos gratias agimus Deo sine intermissione, quod acceptum de Deo sermonem quem audistis ex nobis exceperitis, non ut sermonem hominum, sed (sicut est vere) ut Dei sermonem, qui etiam agit in vobis qui creditis.
14 Vos enim, fratres, imitatores facti estis ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa in Christo Jesu; quippe quum eadem passi sitis et vos a pro-
15 priis tribulibus, sicut et illi a Judæis; qui etiam Dominum Jesum et proprios prophetas occiderunt, et nos expulerunt; neque Deo placent, et
16 omnibus hominibus adversantur; prohibentes nos gentibus loqui ut serventur, ut semper compleant peccata sua: occupavit enim eos ira ad extremum usque.
17 NOS vero, fratres, orbati vobis ad temporis momentum, conspectu, non animo, eo amplius studuimus videre faciem vestram, cum multo de-
18 siderio. Ideo voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus) semel atque iterum, sed impedivit
19 nos Satanas. Nam quæ est nostra spes, aut gaudium, aut corona de qua glorier? Annon et vos in conspectu Domini nostri Jesu Christi in ejus
20 adventu? Vos enim estis gloria nostra et gaudium.
3 Quamobrem, quum nos non amplius continere-
mus, libuit nobis Athenis derelinqui solos:
2 misimusque Timotheum fratrem nostrum, ac ministrum Dei et adjutorem nostrum in evangelio Christi, ad vos stabiliendos et exhortan-
3 dos super fide vestra: ut nemo commoveatur afflictionibus istis: ipsi enim nostis ad id nos
4 esse constitutos. Etenim quum apud vos essemus, prædicebamus vobis fore ut affligeremur;
5 sicut et factum est, et nostis. Quamobrem et

ego non amplius *me* continens, misi *eum* ut cognoscerem fidem vestram: *veritus* ne quo modo tentasset vos tentator ille, et inanis redditus esset labor noster.

6 Nuper autem, quum venisset Timotheus ad nos a vobis, et lætum nuncium nobis attulisset de fide et charitate vestra, et quod bonam nostri memoriam retineatis, semper expetentes nos
7 videre, sicut nos quoque vos *expetimus;* propterea consolationem accepimus, fratres, ex vobis, in omni afflictione et necessitate nostra, per
8 vestram fidem: nunc enim vivimus, si vos per-
9 statis in Domino. Quam enim gratiarum actionem possimus Deo retribuere de vobis, super omni gaudio quo gaudemus propter vos coram
10 Deo nostro; nocte ac die magis ac magis rogantes ut videamus vestram faciem, et quæ desunt fidei vestræ sarciamus?

11 Ipse vero Deus et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad
12 vos. Faxit autem Dominus ut auctiores sitis et exundetis mutua inter vos charitate, et in om-
13 nes, quemadmodum et nos in vos: ut corda vestra inculpata stabiliat in sanctimonia coram Deo et Patre nostro in adventum Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis suis.

4 QUOD reliquum est igitur, fratres, rogamus vos et precamur per Dominum Jesum, ut sicut accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambu-
2 lare, et placere Deo, magis excellatis. Nostis enim quæ mandata dederimus vobis per Domi-
3 num Jesum. Nam hæc est voluntas Dei, *nempe* sanctimonia vestri, *id est,* ut abstineatis a scor-
4 tatione: ut sciat vestrum unusquisque suum vas
5 possidere cum sanctimonia et honestate: non in morbo cupiditatis, sicut gentes quæ non nove-

6 runt Deum: *et* ut ne *quis* opprimat et habeat
quæstui in negotio fratrem suum; nam vindex
est Dominus omnium istorum, sicut et antea
diximus vobis, et asseveranter testati sumus.
7 Non enim vocavit nos Deus ad impuritatem, sed
8 ad sanctimoniam. Proinde qui *hæc* dedignatur
non dedignatur hominem, sed Deum, qui etiam
dedit nobis spiritum sanctum.
9 Ceterum de fraterno amore non necesse habe-
mus scribere vobis: ipsi namque divinitus docti
10 estis ut diligatis alii alios. Nam et facitis hoc
erga cunctos fratres qui sunt in tota Macedonia:
hortamur autem vos, fratres, ut magis excellatis:
11 et contendatis quieti esse, et res vestras priva-
tas agere, ac operari propriis manibus vestris,
12 sicut vobis mandavimus; ut ambuletis decenter
erga extraneos, et nullius indigeatis.
13 NOLIM autem vos in ignorantia versari, fra-
tres, quod ad eos attinet qui obdormierunt, ut
ne tristitia afficiamini, sicut et ceteri qui spem
14 non habent. Nam si credimus Jesum mortuum
esse et resurrexisse, ita etiam Deus eos qui ob-
15 dormierint in Jesu adducet cum eo. Hoc enim
vobis dicimus verbis Domini, fore ut nos vivi
qui reliqui erimus in adventu Domini, non præ-
16 veniamus eos qui obdormierint. Nam ipse Do-
minus cum hortationis clamore, *id est*, cum voce
archangeli, et cum Dei tuba, descendet e cœlo;
et qui mortui fuerint in Christo, resurgent pri-
17 mum; deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapi-
emur simul cum eis in nubes, in occursum Do-
mini in aëra; et ita semper cum Domino erimus.
18 Itaque consolamini alii alios istis sermonibus.
5 PORRO de temporibus et opportunitatibus, fra-
2 tres, non est opus ut vobis scribatur. Ipsi enim
penitus scitis diem illum Domini, ut fur nocte

3 *venit*, ita venturum esse. Quum enim dicent,
Pax et securitas, tunc repentinum eis imminet
exitium, sicuti dolor partus mulieri gravidæ; et
4 nequaquam effugient. At vos, fratres, non estis
in tenebris, ut dies ille vos, tanquam fur, de-
5 prehendat. Omnes vos filii lucis estis, ac filii
diei: non sumus *filii* noctis, neque tenebrarum.
6 Nempe igitur ne dormiamus ut reliqui, sed vigi-
7 lemus et sobrii simus. Nam qui dormiunt, noctu
dormiunt: et qui inebriantur, noctu sunt ebrii.
8 At nos qui sumus diei, sobrii simus, induti tho-
race fidei, et charitatis, et pro galea, spe salu-
9 tis. Nam non constituit nos Deus ad iram, sed
ad salutem obtinendam per Dominum nostrum
10 Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis; ut,
sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum eo
11 vivamus. Quapropter adhortamini alii alios, et
ædificate singuli singulos, sicut et facitis.
12 ROGAMUS autem vos, fratres, ut agnoscatis
eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in
13 Domino, et admonent vos; et eos magis ac ma-
gis charos ducatis, propter opus ipsorum. Pa-
cem colite inter vos mutuo.
14 Precamur autem vos, fratres, monete inordi-
natos, consolamini eos qui pusillo animo sunt,
sublevate infirmos, patiente animo estote erga
15 omnes. Videte nequis malum pro malo cuipiam
reddat, sed beneficentiam semper sectamini, tum
inter vos mutuo, tum erga omnes.
16 Semper gaudete. 17 Sine interdictione orate.
18 In omnibus gratias agite: hæc enim est voluntas
19 Dei per Christum Jesum erga vos. Spiritum ne
20 exstinguite. Prophetias ne pro nihilo habete.
21 Omnia explorate; quod bonum fuerit retinete.
22 Ab omni specie mali abstinete.
23 Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos:

et integer vester spiritus, et anima, et corpus inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi
24 serventur. Fidelis *est* qui vocavit vos, qui etiam *id* efficiet.
25 Fratres, orate pro nobis. 26 Salutate fratres
27 omnes cum osculo sancto. Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc epistola omnibus sanctis fratribus.
28 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* vobiscum. Amen.

Ad Thessalonicenses prima scripta fuit Athenis.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA SECUNDA AD THESSALONICENSES.

1 PAULUS, et Silvanus, et Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium, *quæ est* in Deo Patre nostro
2 et Domino Jesu Christo: gratia *sit* vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.
3 GRATIAS agere debemus Deo semper de vobis, fratres, ut par est, quod vehementer augescat fides vestra, et abundet mutua uniuscujus-
4 que omnium vestrum charitas: adeo ut nos ipsi de vobis gloriemur apud ecclesias Dei, *id est*, de tolerantia vestra et fide in omnibus persecutionibus vestris et afflictionibus quas sufferti-
5 tis; *quæ res* indicium est justi judicii Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo etiam *ista*
6 patimini; siquidem justum est apud Deum vicissim reddere iis qui affligunt vos afflictionem:
7 vobis vero qui affligimini relaxationem nobiscum, revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis

8 suis potentibus, cum igne flammante, infligens
ultionem iis qui Deum nesciunt, neque auscul-
9 tant evangelio Domini nostri Jesu Christi: qui
pœnam pendent æterni exitii, *expulsi* a facie
10 Domini et a gloria roboris ipsius: quum venerit
ut glorificetur in sanctis suis, et admirandus fiat
in credentibus omnibus (quod fides habita fuerit
testimonio nostro apud vos) in die illo.
11 Cujus etiam rei gratia oramus semper pro
vobis, ut vos dignetur ista vocatione Deus no-
ster, et compleat totum *suæ* bonitatis libitum et
12 opus fidei potenter: ut glorificetur nomen Domini
nostri Jesu Christi in vobis, et vos in eo, ex
gratia Dei nostri et Domini Jesu Christi.
2 ROGAMUS autem vos, fratres, per adventum
Domini nostri Jesu Christi, et nostri ad eum aggre-
2 gationem, ne cito a mente dimoveamini, neque
terreamini, neque per spiritum, neque per ser-
monem, neque per epistolam tanquam per nos
3 *scriptam*, quasi instet dies ille Christi. Nequis
vos seducat ullo modo: *non* enim *adveniet dies
Christi*, quin venerit defectio prius, et revela-
tus fuerit homo ille peccati, filius, *inquam*, ille
4 perditionis, sese opponens ille et efferens su-
pra quicquid dicitur Deus, aut numen: adeo ut
in templo Dei tanquam Deus sedeat, præ se
5 ferens se esse Deum. Annon meministis me,
quum adhuc essem apud vos, hoc dixisse vobis?
6 Nunc vero quid *eum* retineat nostis, ut is suo
7 præstituto tempore reveletur. Jam enim agit
mysterium illud istius abolitionis legis: tantum
qui nunc retinet, *retinebit* usquedum e medio
8 tollatur. Et nunc revelabitur exlex ille, quem
Dominus absumet spiritu oris sui, et evanescere
9 faciet illo suo illustri adventu. *Illum, inquam*,
cujus adventus est ex efficacia Satanæ, cum

omni potentia, et signis, ac prodigiis mendaci-
10 bus; et cum omni seductione injustitiæ in iis
qui pereunt: propterea quod amorem veritatis
11 non receperunt, ut salvi fierent. Ideo igitur
mittet eis Deus efficaciam erroris, ut ipsi cre-
12 dant mendacio: ut damnenter omnes qui non cre-
diderint veritati, sed sibi placuerint in injustitia.
13 Nos autem debemus gratias agere Deo sem-
per de vobis, fratres dilecti a Domino, quod
elegerit vos Deus ab initio ad salutem per san-
ctificationem spiritus, et fidem habitam veritati,
14 quo vocavit vos per evangelium nostrum ad ac-
quirendam gloriam Domini nostri Jesu Christi.
15 Nempe igitur, fratres, perstate, et retinete
traditiones quas edocti estis tum per sermonem,
tum per epistolam nostram.
16 Ipse vero Dominus noster Jesus Christus, et
Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, et dedit
consolationem æternam et spem bonam per gra-
17 tiam, consoletur vestra corda, et stabiliat vos in
omni sermone et opere bono.
3 Quod reliquum est, orate, fratres, pro nobis,
ut sermo Domini currat, et glorificetur, sicut et
2 apud vos: et ut eripiamur a protervis ac scele-
ratis hominibus: non enim omnium est fides.
3 Sed fidelis est Dominus, qui stabiliet vos et cu-
4 stodiet ab illo maligno. Confidimus autem in
Domino de vobis, vos, quæ denunciamus vobis,
5 et facere et facturos esse. Dominus vero diri-
gat vestra corda ad Dei charitatem et Christi
patientem exspectationem.
6 Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine
Domini nostri Jesu Christi, ut subducatis vos
ab omni fratre qui inordinate ambulat, et non
ex tradita doctrina quam accepit a nobis.
7 Nam ipsi scitis quomodo oporteat nos imitari:

quoniam non inordinate nos gessimus inter vos:
8 neque gratis panem edimus *acceptum* a quoquam;
sed cum labore et ærumna nocte dieque ope-
9 rantes, ne cui vestrum oneri essemus. Non quod
hoc jus non habeamus; sed ut nosmetipsos pro
exemplari exhibeamus vobis ad nos imitandos.
10 Etenim quum essemus apud vos, hoc denuncia-
bamus vobis: quod siquis nolit operari, etiam
11 non edito. Audimus enim quosdam ambulare
inter vos inordinate, nihil agentes, sed inaniter
12 satagentes. Iis autem qui sunt istiusmodi de-
nunciamus, et hortamur *eos* per Dominum no-
strum Jesum Christum, ut cum quiete operantes,
suo pane vescantur.
13 Vos autem, fratres, ne segnes sitis in bene-
14 faciendo. Quod siquis non auscultat nostro per
epistolam sermoni, hunc notate; et ne commer-
15 cium habete cum eo, ut erubescat. Neque ut
inimicum ducite, sed admonete ut fratrem.
16 Ipse autem Dominus pacis semper det vobis pa-
cem omni modo. Dominus *sit* cum omnibus vobis.
17 Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in
18 omni epistola: ita scribo, Gratia Domini nostri
Jesu Christi *sit* cum omnibus vobis. Amen.

Ad Thessalonicenses secunda missa fuit Athenis.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA PRIMA
AD
TIMOTHEUM.

1 PAULUS, apostolus Jesu Christi ex man-
dato Dei servatoris nostri, et Domini Jesu
2 Christi, spei nostræ. Timotheo, germano filio

in fide: gratia *sit tibi*, misericordia, et pax a
Deo Patre nostro et Christo Jesu Domino nostro.
3 SICUT te sum precatus ut permaneres Ephesi,
quum profiscerer in Macedoniam, *vide*, ut de-
nuncies quibusdam ne diversam doctrinam do-
4 ceant; nec attendant fabulis et genealogiis nun-
quam finiendis, quæ potius quæstiones præbent
quam ædificationem Dei, quæ est per fidem.
5 Porro, finis mandati est charitas, ex puro corde,
et conscientia bona, et fide minime simulata:
6 a quibus nonnulli ut a scopo aberrantes, diver-
7 terunt ad vaniloquentiam; volentes esse legis
doctores, quum *tamen* non intelligant quæ lo-
8 quuntur, nec *ea* de quibus asseverant. Scimus
autem bonam esse legem, siquis ea legitime
9 utatur: hoc sciens, nempe legem justo positam
non esse, sed exlegibus et iis qui subjici no-
lunt, impiis et peccatoribus, nefariis et profanis,
10 parricidis et matricidis, homicidis, scortatoribus,
masculorum concubitoribus, plagiariis, mendaci-
bus, perjuris, et siquid aliud est quod sanæ
11 doctrinæ sit oppositum: *quæ est* secundum glo-
riosum evangelium beati Dei, quod concreditum
est mihi.
12 Gratiam igitur illi habeo qui me robustum
effecit, *id est*, Christo Jesu Domino nostro;
quod me fidum duxerit, utpote quem in mini-
13 sterio constituerit; qui prius eram blasphemus,
et persecutor, et injuriis alios afficiens, sed mi-
sericordia sum donatus; nam ignorans *id* facie-
14 bam, *nempe* fidei expers. Superabundavit autem
gratia illa Domini nostri cum fide et dilectione
quæ est in Christo Jesu.
15 Certus *est hic* sermo, et modis omnibus dignus
qui recipiatur, Christum Jesum venisse in mun-
dum ut peccatores servaret, quorum primus sum

16 ego. Verum propterea misericordia sum donatus, ut in me primo ostenderet Jesus Christus omnem illum patientem animum, ut essem exem-
17 plar credituris in eum ad vitam æternam. Regi autem seculorum incorruptibili, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor *sit* et gloria in secula seculorum. Amen.
18 Hoc mandatum commendo tibi, fili Timothee, *nempe* ut secundum prægressas de te prophe-
19 tias, milites per eas bonam illam militiam; retinens fidem et bonam conscientiam; qua expulsa, non-
20 nulli naufragium fidei fecerunt. Ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut castigati discant non blasphemare.

2 ADHORTOR igitur primum omnium, ut fiant deprecationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus;
2 pro regibus et quisbusvis in eminentia constitutis: ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate et veneratione.
3 Nam hoc bonum est et acceptum coram ser-
4 vatore nostro Deo, qui quosvis homines vult
5 servari, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim *est* Deus, unus etiam mediator Dei et ho-
6 minum, homo Christus Jesus; qui sese ipse dedit conveniens liberationis pretium pro quibusvis, *Christus*, *inquam*, testimonium illud suis
7 temporibus *destinatum*. Cui constitutus sum ego præco et apostolus, (veritatem dico per Christum, non mentior,) doctor, *inquam*, gentium cum fide ac veritate.
8 Volo igitur viros precari in quovis loco, puras manus attolentes absque ira et disceptatione.
9 Itidem et mulieres amictu honesto, cum verecundia et moderatione, ornare sese, non cincin-

nis, vel auro, vel margaritis, vel pretioso ve-
10 stitu; sed (quod decet mulieres pietatem in
11 Deum spondentes) operibus bonis. Mulier cum
12 silentio discito cum omni submissione. Mulieri vero docere non permitto, neque auctoritatem
13 usurpare in virum, sed ut sit in silentio. Ada-
14 mus enim prior formatus est; deinde Eva. Et Adamus non fuit seductus: sed mulier seducta,
15 causa transgressionis fuit. Servabitur tamen liberos gignendo, si manserint *ipsæ* in fide ac charitate, et sanctimonia cum moderatione.

3 CERTUS *est hic* sermo, Siquis episcopatum
2 desiderat, præclarum opus desiderat. Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, compo-
3 situm, hospitalem, aptum ad docendum: non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem; sed æquum, alienum a pugnis, alie-
4 num a pecuniæ amore: *qui* suæ domui bene præsit, qui liberos habeat subditos cum omni
5 honestate: (nam siquis propriæ domui præesse
6 nescit, quomodo ecclesiam Dei curabit?) non novitium, ne inflatus in criminationem incidat
7 diaboli. Oportet autem eum etiam bonum habere testimonium ab extraneis; ne in probrum incidat et laqueum diaboli.

8 Diaconos itidem venerabiles, non bilingues, non multo vino addictos, non turpem quæstum
9 facientes, tenentes mysterium fidei in pura con-
10 scientia. Atque hi etiam explorentur prius, de-
11 inde ministrent, si sint inculpati. Uxores itidem *eorum oportet esse* venerabiles, non calumnia-
12 trices, sobrias, fidas in omnibus. Diaconi sint unius uxoris mariti, qui liberis recte præsint,
13 et propriis domibus. Nam qui bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirunt, et mul-

tam loquendi libertatem per fidem quæ *est* in Christo Jesu.

14 Hæc tibi scribo, sperans fore ut citius ad te
15 veniam: sin autem tardavero, ut noris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna et stabilimentum veritatis.
16 Et ut in confesso est, magnum est pietatis mysterium: Deus conspicuus factus est in carne, justificatus est in spiritu, conspectus est ab angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam.

4 1 SPIRITUS autem diserte dicit, fore ut posterioribus præstitutis temporibus desciscant quidam a fide, attenti spiritibus deceptoribus ac
2 doctrinis dæmoniorum; per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est;
3 prohibentium contrahere matrimonium, *jubentium* abstinere a cibis, quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus,
4 et iis qui norunt veritatem. Nam quicquid condidit Deus, bonum *est*, nec quicquam rejiciendum *est*, si cum gratiarum actione sumatur:
5 sanctificatur enim per verbum Dei et preces.
6 Hoc si subjeceris fratribus, bonus eris minister Jesu Christi, innutritus in sermonibus fidei et præclaræ illius doctrinæ, quam assectatus es.
7 Ceterum profanas et aniles fabulas devita; sed
8 exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad pauca utilis est: at pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habeat vitæ
9 præsentis ac futuræ. Certus *est* hic sermo, et
10 omnibus modis dignus qui recipiatur. Nam idcirco etiam fatigamur, et convitiis afficimur, quod speremus in Deo vivo, qui est conservator omnium hominum, maxime *vero* fidelium.
11 Hæc denuncia et doce.

12 Nemo tuam juventutem contemnito, sed esto
exemplar fidelium in sermone, in conversatione,
13 in charitate, in spiritu, in fide, in puritate. In-
terim, dum venio, intentus esto lectioni, exhor-
14 tationi, doctrinæ. Ne negligito donum quod in
te est, quod datum est tibi per prophetiam, cum
15 impositione manuum ordinis seniorum. Hæc
meditare, in his esto; ut tuus profectus mani-
festus sit inter omnes. Intentus esto tibiipsi et
doctrinæ; *et* permane in istis: id enim si feceris, et teipsum servabis et eos qui te audierint.

5 SENIOREM ne increpato, sed hortare ut pa-
2 trem; juniores, ut fratres; mulieres natu gran-
diores, ut matres; juniores, ut sorores, cum
omni castitate.

3 Viduas honora quæ vere viduæ sunt. 4 Quod
siqua vidua liberos aut nepotes habet, discant
prius *in* propriam domum pietatem exercere, et
vicem rependere parentibus; hoc enim est ho-
5 nestum et acceptum in conspectu Dei. Porro
quæ vere vidua est ac sola relicta, spem posuit
in Deo, et permanet in deprecationibus et ora-
6 tionibus nocte ac die. At quæ lascivit, *ea* vi-
7 vens mortua est. Hæc igitur denunciato, ut sint
8 irreprehensibiles. Quod siquis suis, et maxime
domesticis, non providet, fidem abnegavit, et
est infideli deterior.

9 Vidua allegatur non minor annis sexaginta,
10 quæ fuerit unius viri uxor: in operibus bonis
bono testimonio ornata; si liberos educavit, si
fuit hospitalis, si sanctorum pedes lavit, si
afflictis subvenit, si omne bonum opus est assi-
11 due sectata. Porro juniores viduas recusa: post-
quam enim adversus Christum lascivierunt, nu-
12 bere volunt; damnandæ, quod primam illam
13 fidem irritam fecerint. Simul autem etiam otiosæ

esse discunt, circumeuntes domos: imo non solum otiosæ, sed etiam nugaces, et curiosæ,
14 garrientes quæ non oportet. Velim igitur juniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare adversario ad
15 convitiandum. Jam enim nonnullæ deflexerunt,
16 secutæ Satanam. Quod siquis fidelis aut siqua fidelis habet viduas, eis suppeditato quantum sufficit, et non onerator ecclesia, ut iis quæ veræ viduæ sunt subveniat.
17 Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentor; maxime qui laborant in sermone
18 et doctrina. Dicit enim scriptura, Bovi trituranti capistrum non impones (Deut. 25, 4): et, Dignus est operarius mercede sua (Matth. 10, 10. Luc. 10, 7).
19 Adversus presbyterum accusationem ne reci-
20 pito, nisi sub duobus aut tribus testibus. Eos qui peccant, in conspectu omnium argue, ut et reliqui metuant.
21 Obtestor etiam atque etiam in conspectu Dei et Domini Jesu Christi, et electorum angelorum, ut hæc observes, sine præjudicio, nihil faciens
22 in alteram partem inclinando. Manus cito ne cui imponito, neque communicato peccatis alienis: temetipsum purum conserva.
23 Ne amplius esto abstemius, sed vino pauculo utere, propter stomachum tuum et crebras tuas infirmitates.
24 Quorundam hominum peccata ante manifesta sunt, præeuntia damnationi: quosdam vero sub-
25 sequuntur: itidem et bona opera ante manifesta sunt: et ea quæ secus habent, occultari non possunt.

6 QUICUNQUE sub jugo sunt servi, suos dominos omni honore dignos ducunto, ne nomen

2 Dei et doctrina blasphemetur. Qui vero fideles
habent dominos, ne *eos* contemnant quod fratres
sint: sed potius inserviant, quod fideles sint ac
dilecti, qui beneficentiam illam itidem capessunt.
3 Hæc doce et exhortare. [3] Siquis diversam do-
cet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus
Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum
4 pietatem est doctrinæ, *is* inflatus est, nihil sci-
ens, sed insaniens circa quæstiones ac pugnas de
verbis; ex quibus nascitur invidia, lis, maledi-
5 centiæ, suspiciones malæ, perversæ exercita-
tiones hominum mente corruptorum, et qui pri-
vati sunt veritate, et quæstui habent pietatem:
6 abscede ab iis qui ejusmodi sunt. Est autem
quæstus magnus pietas cum animo sua sorte
7 contento. Nihil enim intulimus in mundum, vi-
8 delicet nec efferre quicquam possumus. Sed
habendo alimenta et quibus tegamur, hæc nobis
9 satis erunt. Qui vero volunt ditescere, incidunt
in tentationem et laqueum, et cupiditates multas
amentes et damnosas, quæ demergunt homines
10 in exitium et perniciem. Siquidem radix om-
nium malorum est amor pecuniæ; quam quidam
dum appetunt, aberrarunt a fide, et seipsos un-
diquaque transfixerunt doloribus multis.
11 Tu vero, o homo Dei, ista fuge: sectare autem
justitiam, pietatem, fidem, charitatem, toleran-
12 tiam, lenitatem. Decerta præclarum illud cer-
tamen fidei, apprehende vitam æternam, ad
quam et vocatus es, et professus præclaram illam
professionem in conspectu multorum testium.
13 Denuncio tibi coram Deo, qui vivificat omnia,
et Jesu Christo, qui testatam fecit coram Pon-
14 tio Pilato præclaram illam professionem, ut ser-
ves hanc præceptionem incontaminatus et irre-
prehensibilis, usque ad illustrem illum adventum

15 Domini nostri Jesu Christi: quem præstitutis
temporibus suis ostendet ille beatus princeps,
16 rex ille regum, et dominus dominorum, qui so-
lus habet immortalitatem, lucem habitans inac-
cessam, quem vidit nemo hominum, neque videre
potest; cui honor et robur æternum. Amen.
17 Iis qui sunt in hoc seculo divites denuncia,
ne efferantur animo, neque spem ponant in divi-
tiis incertis, sed in illo Deo vivo, qui præbet
18 nobis omnia copiose ad fruendum: ut sint bene-
fici, ut divites sint operibus bonis, faciles ad
19 impertiendum, facilis convictus: congerentes sibi
pro thesauro fundamentum bonum in posterum,
ut apprehendant æternam illam vitam.
20 O Timothee, depositum illud custodi, et aver-
sare profanos illos de rebus inanibus clamores,
21 et oppositiones falso nominatæ notitiæ: quam
nonnulli præ se ferentes, circa fidem aberrarunt
a scopo. Gratia sit tecum. Amen.

Ad Timotheum prima missa fuit Laodicea, quæ est metropolis Phrygiæ Pacatianæ.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA SECUNDA AD TIMOTHEUM.

1 PAULUS, apostolus Jesu Christi per volun-
tatem Dei, secundum promissionem vitæ quæ
2 est in Christo Jesu, Timotheo dilecto filio *sit*
gratia, misericordia, pax a Deo Patre et Christo
Jesu, Domino nostro.
3 GRATIAM habeo Deo, quem colo a majori-
bus cum pura conscientia, prout continuam tui

memoriam teneo in deprecationibus meis nocte
4 ac die: expetens te videre, memor tuarum la-
5 crymarum, ut gaudio replear: memoria repetens
eam quæ in te est non simulatam fidem, quæ
habitavit prius in avia tua Loide et matre
tua Eunica: persuasus sum autem quod in te
quoque.
6 Quam ob causam in memoriam revoco tibi,
ut exsuscites donum Dei quod est in te per im-
7 positionem manuum mearum. Non enim dedit
nobis Deus spiritum formidinis, sed potentiæ, et
8 charitatis, et sanitatis animi. Ne igitur te pu-
deat testimonii Domini nostri, neque te pudeat
mei, qui sum vinctus ipsius; sed esto mecum
particeps afflictionum evangelii ex potentia Dei;
9 qui servavit nos, et vocavit vocatione sancta;
non ex operibus nostris, sed ex suo præstituto,
et gratia, quæ data quidem est nobis in Christo
10 Jesu ante tempora seculorum; sed facta nunc
est conspicua per conspicuam apparitionem ser-
vatoris nostri Jesu Christi, qui tum mortem fe-
cit evanescere, tum vitam et incorruptibilitatem
11 in lucem produxit per evangelium: cujus causa
constitutus sum ego præco, et apostolus, ac
12 doctor gentium. Quam ob causam et hæc pa-
tior: sed non pudefio; novi enim cui crediderim,
et mihi persuasum est eum posse depositum
illud meum in illum diem servare.
13 Expressam formam teneto sanorum sermonum,
quos a me audisti, cum fide et charitate quæ
14 *est* in Christo Jesu. Præclarum illud depositum
custodi per Spiritum Sanctum qui inhabitat in
nobis.
15 Nosti hoc, quod se averterint a me omnes
qui sunt in Asia: ex quibus est Phygellus et
16 Hermogenes. Præstet misericordiam Dominus

Onesiphori familiæ: quoniam sæpe me recreavit,
17 et catenam meam non erubuit: imo quum esset
Romæ, studiosissime quæsivit me, et invenit.
18 Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud
Dominum in die illo; quam multa etiam Ephesi
subministrarit, tu optime nosti.

2 TU igitur, fili mi, corroborator per gratiam
2 quæ est in Christo Jesu. Et quæ audisti a me
inter multos testes, hæc committe fidis homini-
bus, qui sint idonei ad alios quoque docendos.
3 Tu igitur perfer adversa, ut bonus miles Jesu
4 Christi. Nemo qui militat implicatur hujus vitæ
negotiis, ut ei placeat a quo delectus est miles.
5 Quod si certet etiam aliquis, non coronatur nisi
6 legitime certaverit. Agricolam oportet prius la-
7 borando fructus percipere. Perpende quæ dico.
Det igitur tibi Dominus intelligentiam in om-
nibus.

8 Memento Jesum Christum suscitatum fuisse
ex mortuis, *factum* ex semine Davidis, secun-
9 dum evangelium meum: in quo adversa patior
ut nocens usque ad vincula; sed sermo Dei non
10 est vinctus. Ideo omnia tolero propter electos,
ut et ipsi salutem consequantur quæ est in
11 Christo Jesu, cum gloria æterna. Certus *est hic*
sermo: nam si cum *eo* mortui sumus, cum *eo*
12 etiam vivemus: si *crucem* toleramus, etiam con-
regnabimus; si abnegamus, et ille abnegabit
13 nos: si infidi sumus, ille *tamen* fidus manet, ne-
gare seipsum non potest.

14 Hæc suggere, obtestans etiam atque etiam
in conspectu Domini ne de verbis pugnent,
quod nullam adfert utilitatem, *imo* auditores
subvertit.

15 Stude teipsum probatum sistere Deo, opera-
rium qui non erubescat, *et* qui recte sermonem

16 veritatis secet. Profanos autem illos de rebus
inanibus clamores cohibe: ad majorem enim
17 procedent impietatem: et sermo eorum depascet
ut gangræna: ex quibus est Hymenæus et Phi-
18 letus; qui circa veritatem aberrarunt a scopo,
dicentes resurrectionem jam esse factam: et sub-
19 vertunt quorundam fidem. Solidum tamen fun-
damentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit
Dominus eos qui sunt sui: et, Abscedat ab in-
20 justitia quisquis nominat nomen Christi. Ceterum
in magna domo non tantum sunt vasa aurea et
argentea, sed etiam lignea ac testacea; et alia
21 quidem ad decus, alia vero ad dedecus. Siquis
igitur sese ab his expurgarit, erit vas ad decus,
sanctificatum, et accommodum usibus Domini, *et*
ad omne opus bonum comparatum.
22 Juveniles autem cupiditates fuge: sed sectare
justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui
23 invocant Christum ex puro corde. Stultas autem
et ineruditas illas quæstiones devita, sciens quod
24 gignant pugnas. Servum autem Domini non
oportet pugnare, sed mansuetum esse erga om-
25 nes, aptum ad docendum, tolerantem malos: cum
lenitate erudientem eos qui contrario animo
sunt affecti; *experturum* num aliquando daturus
sit eis Deus resipiscentiam ad agnitionem veri-
26 tatis; et sanitate mentis recepta ex diaboli la-
queo, ab eo captivi facti, *convertantur* ad illius
voluntatem.

3 ILLUD autem scito, forte ut extremis diebus
2 instent tempora molesta. Erunt enim homines
sui amantes, pecuniæ avidi, gloriosi, superbi,
maledici, parentibus non obedientes, ingrati,
3 profani, charitatis expertes, implacabiles, calum-
niatores, intemperantes, immites, minime aman-
4 tes bonorum, proditores, præcipites, inflati, vo-

luptatum amantes potius quam amantes Dei;
5 habentes informationem pietatis, sed qui vim
6 ejus abnegarint: istos igitur aversare. Ex his
enim sunt isti qui irrepunt in familias, et capti-
vas ducunt mulierculas, cumulatas peccatis, actas
7 cupiditatibus variis, semper discentes, sed quæ
nunquam ad cognitionem veritatis venire possint.
8 Quemadmodum autem Jannes et Jambres obsti-
terunt Mosi, ita et hi obsistunt veritati, homines
9 mente corrupti, rejectanei circa fidem. Sed non
procedent amplius; nam amentia istorum evidens
erit omnibus, ut et illorum fuit.
10 Tu vero assecutus es doctrinam meam, vitæ
meæ rationem, propositum, fidem, patientem ani-
11 mum, charitatem, tolerantiam, persecutiones,
perpessiones, quæ mihi acciderunt Antiochiæ,
Iconii, Lystris; quas persecutiones sustinuerim:
12 sed ex omnibus eripuit me Dominus. Sed et
omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu,
13 persecutionem patientur. Mali autem homines
et impostores procedent in pejus, tum seducen-
tes, tum seducti.
14 At tu maneto in iis quæ didicisti, et quæ tibi
15 concredita sunt, sciens a quo didiceris; teque
a puero sacras literas novisse, quæ te possunt
sapientem reddere ad salutem, per fidem quæ
16 est in Christo Jesu. Tota scriptura divinitus
est inspirata, et utilis ad doctrinam, ad redar-
gutionem, ad correctionem, ad disciplinam quæ
17 est in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad
omne opus bonum perfecte instructus.
4 OBTESTOR te igitur etiam atque etiam ego in
conspectu Dei et Domini Jesu Christi, qui judi-
caturus est vivos et mortuos, in illustri illo suo
2 adventu et regno suo; prædica sermonem illum,
insta tempestive, intempestive; argue, objurga,

exhortare cum omni animi patientia et doctrina.
3 Nam erit tempus quum sanam doctrinam non
tolerabunt; sed auribus prurientes, ipsi sibi se-
cundum suas illas peculiares cupiditates coacer-
4 vabunt doctores: et a veritate quidem aures
5 avertent, ad fabulas vero divertent. At tu vigi-
lans esto in omnibus, perfer adversa, opus
perage evangelistæ, ministerii tui plenam fidem
facito.
6 Nam ego jam libor, et præstitutum tempus
7 meæ dimissionis instat. Certamen illud præcla-
rum decertavi, cursum ad finem perduxi, fidem
8 servavi. Quod reliquum est, reposita est mihi
justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in
illo die, justus judex: non solum autem mihi,
sed et omnibus qui expetiverint illustrem illius
ipsius adventum.
9 Stude mox ad me venire: 10 nam Demas me
deseruit, amore inductus præsentis seculi, et pro-
fectus est Thessalonicam; Crescens in Galatiam,
11 Titus in Dalmatiam. Lucas mecum est solus.
Marcum assumptum adduc tecum; est enim mihi
12 perutilis ad ministerium. Porro Tychicum misi
13 Ephesum. Penulam quam reliqui Troade apud
Carpum, adfer quum venies, et libros, maxime
membranas.
14 Alexander faber ærarius multa mala mihi ex-
hibuit: reddat ei Dominus secundum facta ipsius.
15 Quem et tu cave: vehementer enim obstitit ser-
monibus nostris.
16 In prima mea defensione nemo mihi adfuit,
sed omnes me deseruerunt: utinam ne *hoc* illis
17 imputetur. Sed Dominus mihi adfuit, et corro-
boravit me, ut per me plene certioraretur præ-
conium, quod audirent omnes gentes; et ere-
18 ptus fui ex ore leonis. Et eripiet me Dominus

ab omni opere malo, servabitque regno suo cœlesti; cui gloria in secula seculorum. Amen.
19 Saluta Priscam et Aquilam, et Onesiphori fa-
20 miliam. Erastus mansit Corinthi: Trophimum
21 autem reliqui Mileti ægrotantem. Stude venire ante hiemem. Salutat te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes.
22 Dominus Jesus Christus *sit* cum spiritu tuo. Gratia *sit* vobiscum. Amen.

Scripta est Roma secunda ad Timotheum, qui primus Ephesi ordinatus fuit episcopus, quum Paulus iterum sisteretur Cæsari Neroni.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA
AD
TITUM.

1 PAULUS, servus Dei, apostolus autem Jesu Christi, secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem;
2 ad spem vitæ æternæ, quam promiserat Deus ille mentiri nescius, ante tempora seculorum,
3 manifestam autem fecit præstitutis temporibus suis, *videlicet*, sermonem illum suum per præconium, quod concreditum est mihi ex imperio
4 servatoris nostri Dei: Tito, germano filio in communi fide. Gratia *sit tibi*, misericordia, et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo servatore nostro.
5 Hujus rei gratia dereliqui te in Creta, ut quæ desunt corrigas, et constituas oppidatim
6 presbyteros, sicut ego tibi ordinavi. Siquis est inculpabilis, unius uxoris vir, liberos habens

fideles, qui non sint obnoxii crimini luxus, aut
7 subjici nescii. Oportet enim episcopum inculpabilem esse, tanquam Dei dispensatorem, non sibi pertinaciter placentem, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum
8 facientem; sed hospitalem, bonorum amantem,
9 temperantem, justum, pium, continentem; tenacem fidi illius secundum doctrinam sermonis, ut possit et *auditores* exhortari doctrina illa sana, et contradicentes convincere.
10 Sunt enim multi subjici nescii, et vaniloqui, et mentium deceptores, maxime qui sunt ex
11 circumcisione: quibus oportet os obturare; qui totas domos subvertunt, docentes quæ non
12 oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex ipsis proprius ipsorum propheta: Cretenses sem-
13 per mendaces, malæ feræ, ventres pigri. Testimonium hoc est verum: quam ob causam eos
14 redarguito præcise, ut sani sint in fide, non attenti Judaicis fabulis et præceptis hominum aversantium veritatem.
15 Omnia quidem munda mundis, pollutis autem et incredulis nihil est mundum, sed polluta est
16 eorum et mens et conscientia. Deum profitentur se scire; sed factis negant, quum sint abominandi, et non obedientes *sermoni*, et ad omne opus bonum rejectanei.

2 AT tu loquere quæ decent sanam doctrinam:
2 ut senes sobrii sint, venerabiles, temperantes,
3 sani fide, charitate, tolerantia: anus itidem, ut *sint* habitu qui sanctimoniam deceat, non calumniatrices, non vino multo mancipatæ, honestatis
4 magistræ: ut sapere doceant adolescentulas, ut
5 sint maritorum ac liberorum amantes, temperantes, castæ, domi manentes, bonæ, quæ sese subjiciant suis viris; ne sermo Dei blasphemetur.

6 Adolescentulos itidem adhortare, ut sint mo-
7 derati: per omnia teipsum præbens exemplar
bonorum operum, in doctrina integritatem, gra-
8 vitatem, sermonem sanum, qui damnari non
possit; ut qui *se* ex adverso *opponit*, erube-
scat, nihil habens quod de vobis dicat mali.
9 Servos *hortare*, ut suis dominis sese subjici-
ant, ut in omnibus *eis* placeant, non responsa-
10 tores; nihil intervertentes, sed omnem bonam
fidem ostendentes, ut doctrinam servatoris nostri
Dei ornent in omnibus.
11 Illuxit enim gratia illa Dei salutifera quibus-
12 vis hominibus; erudiens nos, ut abnegata impie-
tate et mundanis cupiditatibus, temperanter, et
13 juste, et pie vivamus in præsenti seculo; ex-
spectantes beatam illam spem, et illustrem illum
adventum gloriæ magni illius Dei ac servatoris
14 nostri, *nempe* Jesu Christi; qui dedit semet-
ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni
transgressione legis et purificaret sibiipsi popu-
lum peculiarem, accensum studio bonorum operum.
15 Hæc loquere et exhortare, et argue cum omni
imperio: nemo te despiciat.
3 SUGGERE ipsis, ut sese subjiciant imperiis ac
potestatibus, ut obtemperent, ut ad omne opus
2 bonum sint parati: ne quem maledictis incessant,
ut sint a pugnis alieni, æqui, omnem exhibentes
lenitatem erga quosvis homines.
3 Nam eramus quondam et nos amentes, non
obedientes *sermoni*, seducti servientes cupidita-
tibus ac voluptatibus variis, in malitia et invi-
dia degentes, odiosi, alii alios odio prosequen-
4 tes. Sed postquam benignitas et erga homines
amor conspicuus factus est servatoris nostri Dei:
5 non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed
ex sua misericordia servavit nos, per lavacrum

regenerationis et renovationis Spiritus Sancti:
6 quem effudit super nos copiose per Jesum Chri-
7 stum servatorem nostrum: ut justificati illius gratia
hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ.
8 Certus *est* hic sermo, et hæc volo te asseve-
rare, ut qui crediderunt Deo, curent bene agendo
9 præcedere. Hæc illa sunt bona, et hominibus
utilia: stultas autem quæstiones, et genealogias,
et contentiones, ac pugnas legales cohibe; sunt
enim inutiles et vanæ.
10 Hæreticum hominem post unam et alteram
11 admonitionem devita: ut qui noris eversum esse
eum qui sit ejusmodi, et peccare, ut qui suopte
judicio sit condemnatus.
12 QUUM misero Arteman ad te, aut Tychicum,
stude venire ad me Nicopolin: nam illic decrevi
13 hiemare. Zenam legis interpretem et Apollo stu-
diose deducendum curato, nequid illis desit. Di-
14 scant autem etiam nostri bene agendo præcedere ad
necessarios usus, ut non sint fructus expertes.
15 Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos
qui diligunt nos in fide. Gratia *Dei sit* cum
omnibus vobis. Amen.

Ad Titum, qui primus Cretensium ecclesiæ ordinatus fuit episcopus, scripta ex Nicopoli Macedoniæ.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA
AD
PHILEMONEM.

1 PAULUS, vinctus Christi Jesu, et Timotheus
frater, Philemoni dilecto et adjutori nostro, et
2 Apphiæ dilectæ, et Archippo commilitoni nostro,

3 et ecclesiæ quæ domi tuæ est: gratia *sit* vobis et
pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.
4 GRATIAS ago Deo meo, semper mentionem
5 tui faciens in orationibus meis: quod audiam tuam
charitatem ac fidem quam habes erga Dominum
6 Jesum, et erga omnes sanctos: ut communicatio
fidei tuæ efficax fiat agnitione omnis ejus boni
7 quod est in vobis per Christum Jesum. Gaudium enim habemus multum et consolationem
super charitate tua, quod viscera sanctorum refocillata sunt per te, frater.
8 Quapropter, quamvis multam in Christo liber-
9 tatem habeam mandandi tibi quod convenit: *tamen* propter charitatem potius precor, quum
talis sim, nempe Paulus senex, nunc autem etiam
10 vinctus Jesu Christi. Precor autem pro filio
meo, quem genui in vinculis meis, Onesimo;
11 quondam tibi inutili, nunc vero tibi et mihi per-
12 utili: quem remisi: tu autem eum, *id est*, vi-
13 scera mea, admissum excipe: quem ego cupiebam apud me retinere, ut pro te ministraret
14 mihi in vinculis evangelii: sed absque tua sententia nihil volui facere, ut non velut ex necessitate sit beneficium hoc tuum, sed sponte col-
15 latum. Utique enim propterea separatus fuit *abs te* ad tempus, ut eum *a me* perpetuum recipias;
16 non jam ut servum, sed amplius quam servum, fratrem *videlicet* dilectum, maxime mihi, quanto autem magis tibi et in carne et in Domino?
17 Itaque si me socium habes, excipe admissum
18 eum tanquam me. Quod siqua te injuria affecit,
19 aut debitor est, hoc mihi imputato. Ego Paulus scripsi mea manu, ego dependam: ut ne dicam tibi, quod teipsum etiam mihi insuper debeas.
20 Etiam, frater, *hunc* ego fructum abs te consequar in Domino: refocilla mea viscera in Domino.

21 Scripsi tibi, confisus fore ut auscultes, ut qui
norim te etiam amplius quam dico facturum esse.
22 Simul autem etiam para mihi hospitium: spero
enim me per preces vestras donatum iri vobis.
23 Salutant te Epaphras, (meus in captivitate
24 propter Christum Jesum socius,) Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adjutores mei.
25 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum
spiritu vestro. Amen.

Ad Philemonem missa fuit Roma per Onesimum servum.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA
AD
HEBRÆOS.

1 MULTIFARIE et multipliciter olim Deus locutus patribus in prophetis, ultimis diebus hisce
2 locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem omnium, per quem etiam mundum condi-
3 dit; qui quum sit effulgentia gloriæ, et character personæ illius, sustineatque omnia verbo
illo suo potente, purificatione peccatorum nostrorum per seipsum facta, consedit ad dex-
4 tram majestatis illius in *locis* excelsissimis; tanto
præstantior factus angelis, quanto excellentius
præ illis sortitus est nomen.
5 Nam cui dixit unquam angelorum, Filius
meus es tu, ego hodie genui te (Ps. 2, 7)?
Ac rursum, Ego ero ei Pater, et ipse erit
6 mihi Filius (2 Reg. 7, 14)? Rursum autem,
quum inducit primogenitum in orbem terrarum,
dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei
7 (Ps. 97, 7). Et de angelis quidem dicit, Qui

angelos suos facit ventos, et administros suos ignis flammam (Ps. 104, 4). Ad
8 Filium autem, Thronus tuus, Deus, in seculum seculi; virga recta, virga regni
9 tui. Dilexisti justitiam, et odisti legis transgressionem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exsultationis,
10 ultra consortes tuos (Ps. 45, 6, 7). Et, Tu in initio, Domine, terram fundasti, et
11 opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanes; et omnes
12 ut vestimentum veterascent, ac velut amictum circumvolves eos, et mutabuntur: tu autem idem es, et anni tui non deficient (Ps. 102, 25—27).
13 Ad quem autem angelorum dixit unquam, Sede ad dextram meam, usquedum ponuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum (Ps. 110, 1)?
14 Nonne omnes sunt sacram functionem obeuntes spiritus, qui ministerii causa emittuntur propter hæredes salutis futuros?

2 Propterea oportet nos eo amplius attendere ea
2 quæ audivimus, nequando perfluamus. Etenim, si per angelos dictus sermo fuit firmus, omnisque transgressio et inobedientia justam merce-
3 dis retributionem retulit; quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem; quæ quum primum enarrari cœpisset per *ipsum* Dominum, fuit ab iis qui *ipsum* audierant nobis
4 confirmata; testimonium illis præbente Deo et signis, et prodigiis, variisque virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus, pro sua voluntate.
5 Non enim angelis subjecit mundum illum futurum, de quo loquimur. Testificatus est autem
6 etiam atque etiam quidam alicubi, dicens, Quid est homo, ut memor sis ejus, aut filius

7 hominis, ut eum respicias? Fecisti eum
parumper inferiorem angelis; gloria et
honore coronasti eum, et constituisti
8 eum super opera manuum tuarum. Omnia
subjecisti sub pedibus ejus (Ps. 8, 4–6).
Enimvero per hoc quod ei subjecit omnia,
nihil omisit quod non sit ei subjectum. At nunc
9 nondum videmus ei omnia esse subjecta. Sed
Jesum illum videmus gloria et honore corona-
tum, qui parumper fuit inferior angelis factus,
propter mortis perpessionem; ut beneficio Dei
10 pro omnibus mortem gustaret. Decebat enim ut
ipse propter quem sunt hæc omnia, et per quem
sunt hæc omnia, multos filios in gloriam addu-
cendo, principem salutis ipsorum per perpes-
siones consummaret.
11 Nam et qui sanctificat, et qui sanctificantur,
ex uno sunt omnes: quam ob causam non eru-
12 bescit eos vocare fratres, dicens, Annunciabo
nomen tuum fratribus meis; in medio
ecclesiæ tibi hymnos canam (Ps. 22, 22).
13 Et rursum, Ego fretus ero ipso (Es. 8, 17).
Et iterum, Ecce ego et pueri quos mihi
dedit Deus (Es. 8, 18).
14 Quoniam igitur pueri participes sunt carnis
et sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps
factus est eorundem, ut per mortem evanescere
faceret eum penes quem est mortis robur, hoc
15 est diabolum: et liberos redderet quotquot metu
mortis per omnem vitam damnates erant servi-
tutis.
16 Non enim utique angelos assumpsit, sed se-
17 men Abrahami assumpsit. Unde debuit per
omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset
et fidus pontifex in iis quæ apud Deum *agenda*
18 *forent*, ad expiandum peccata populi: nam ex

eo quod perpessus fuit, quum tentatus est, potest et iis qui tentantur succurrere.

3 UNDE, fratres sancti, vocationis cœlestis consortes considerate legatum et pontificem pro-
2 fessionis nostræ, Christum Jesum; fidum ei qui ipsum constituit; ut et Moses *fidus fuit* in tota
3 domo ipsius (Num. 12, 4). *Tanto* namque ampliore gloria præ Mose hic dignus est habitus, quanto majorem habet honorem is qui construxit domum
4 quam domus ipsa. Omnis enim domus apparatur a quopiam: qui vero construxit hæc omnia
5 *est* Deus. Et Moses quidem fidus *fuit* in tota domo ipsius, ut famulus, ad testificanda quæ post
6 erant dicenda: at Christus, ut Filius, domui suæ præest: cujus domus sumus nos, si modo fiduciam et spem illam de qua gloriamur, ad finem usque firmam retinuerimus.

7 Quapropter, sicut dicit Spiritus ille Sanctus,
8 Hodie si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra, sicut in exacerbatione, in die tentationis illius in deserto;
9 ubi tentaverunt me patres vestri, exploraverunt me, et viderunt opera mea per
10 annos quadraginta. Quapropter infensus fui isti genti, et dixi, Semper errant corde, neque cognoverunt vias meas.
11 Itaque juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam (Ps. 95, 7–11).

12 Videte, fratres, nequando sit in ullo vestrum cor malignum incredulum, desciscendo a Deo
13 vivo: sed exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus: nequis ex vobis indu-
14 retur seductione peccati. Christi enim consortes facti sumus, si modo principium illud, quo sustenta-
15 mur, firmum retinuerimus ad finem usque: *interim* dum dicitur, Hodie si vocem ejus

audieritis ne obdurate corda vestra, ut
in exacerbatione.
16 Nam quidam, quum audissent, exacerbarunt
Dominum: non omnes tamen ii qui exierant ex
17 Ægypto per Mosen. Quibus autem infensus fuit
quadraginta annis? nonne iis qui peccaverant,
18 quorum artus conciderunt in deserto? Quibus
autem juravit non ingressuros in requiem suam,
19 nisi iis qui non obedierant sermoni? Et vide-
mus non potuisse ingredi propter incredulitatem.
4 Metuamus igitur, nequando derelicta promis-
sione introeundi in requiem ejus, videatur aliquis
2 ex vobis illa fuisse per tarditatem exclusus. Ete-
nim nobis evangelizatum est, sicut et illis: at non
profuit illis auditus sermo, ut qui fide contempe-
3 ratus non fuerit apud eos qui audierant. Introi-
mus enim in requiem nos qui credidimus; sicut
dixit, Itaque juravi in ira mea, si ingres-
suri sint in requiem meam: licet operibus
4 a jacto mundi fundamento factis. Ita enim dixit
quodam in loco de septimo die, Et requie-
vit Deus die septimo ab omnibus operi-
5 bus suis (Gen. 2, 3). Et hic rursum, Si introi-
6 bunt in requiem meam. Quia igitur reliquum
est ut aliqui introeant in eam, et ii quibus prius
evangelizatum fuit non introierunt propter con-
7 tumaciam: rursum quendam præfinit diem; Hodie,
apud Davidem dicens, tanto post tempore, (prout
dictum est) Hodie sie vocem ejus audieri-
8 tis, ne obdurate corda vestra. Nam si
Jesus eos in requie collocasset, nequaquam de
9 alio posthac die locutus fuisset. Itaque reliquus
10 est aliquis sabbatismus populo Dei. Nam qui
ingressus est in requiem ejus, requievit et ipse
ab operibus suis, quemadmodum a suis Deus.
11 Studeamus igitur ingredi in illam requiem,

nequis in idem incidat contumaciæ exemplum.
12 Vivus enim *est* sermo Dei et efficax, et penetrantior quovis gladio ancipiti, et pertingit usque ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumque et medullarum, et dijudicat cogitationes
13 et conceptus cordis. Nec est ulla res creata non manifesta in conspectu ipsius: imo omnia *sunt* nuda et intime patentia oculis ejus quicum nobis est negotium.
14 HABENTES igitur pontificem magnum, qui transivit cœlos, Jesum Filium Dei, retineamus
15 hanc professionem. Non enim habemus pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter,
16 absque *tamen* peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ; ut consequamur misericordiam, et gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.

5 NAM omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ apud Deum *agenda sunt;* ut offerat dona et victimas pro
2 peccatis; qui, quantum satis est, possit miserari vicem ignorantium et aberrantium; quod et ipse
3 circumdatus sit infirmitate. Et propter hanc debeat, sicut pro populo, ita et pro seipso offerre *victimam* pro peccatis.
4 Neque sibiipsi quisquam sumit hunc honorem,
5 sed qui vocatur a Deo, sicut et Aaron. Ita et Christus non ipse sibi hanc gloriam tribuit, ut fieret pontifex, sed is qui dixerat ei, Filius meus es tu, ego hodie genui te (Ps. 2,7).
6 Sicut et in alio *psalmo* dicit, Tu *es* sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec (Ps. 110, 4).
7 Qui in diebus carnis suæ, deprecationibus et supplicationibus oblatis, cum clamore valido et

lacrymis, apud eum qui poterat ipsum servare
a morte, et exauditis precibus *liberatus* ex metu,
8 quamvis Filius esset, *tamen* ex iis quæ passus
9 est didicit obedientiam; et consummatus, factus
est auctor salutis æternæ omnibus ei auscultan-
10 tibus: pronunciatus a Deo pontifex secundum
ordinem Melchisedec.
11 De quo nobis multa sunt dicenda, eaque diffi-
cilia explicatu; quandoquidem segnes facti estis
12 auribus. Vos enim quos oportuit pro temporis
ratione doctores esse, rursum necesse habetis
doceri quæ sint rudimenta initii eloquiorum Dei:
factique estis ii quibus lacte sit opus, et non
13 solido cibo. Enimvero cui cum lacte res est, is
rudis est sermonis justitiæ: (infans enim est:)
14 sed adultorum est solidus cibus, eorum *videlicet*
qui propter habitum sensus habent exercitatos
ad discretionem boni ac mali.
6 Quapropter omisso qui in Christo rudes in-
choat sermone, ad perfectionem feramur: non
jacientes rursum fundamentum resipiscentiæ ab
2 operibus mortuis, et fide in Deum, baptismatum
doctrinæ, ac manuum impositionis, et resurre-
3 ctionis mortuorum, et judicii æterni. Atque id
faciemus, si quidem permiserit Deus.
4 Nam fieri non potest ut qui semel fuerint
5 illuminati, gustaverintque donum illud cœleste,
et participes facti fuerint Spiritus Sancti, gusta-
verintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri
6 seculi; si prolabantur, denuo renoventur ad resi-
piscentiam; ut qui rursum sibi Filium Dei cruci-
7 figant, et ad ignominiam exponant. Nam terra,
quæ imbrem sæpius in se venientem combiberit,
et progenuerit herbam accomodam iis per quos
8 excolitur, particeps fit benedictionis a Deo: at
quæ profert spinas et tribulos, rejectanea *est* et

maledictioni proxima, cujus exitus *tendit* ad exustionem.

9 Sed nobis persuasimus de vobis, dilecti, quæ meliora sunt et saluti adhærentia, etiamsi ita
10 loquamur. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et laboriosæ charitatis quam ostendistis erga ipsius nomen; *ut* qui
11 ministraveritis sanctis, et ministretis. Cupimus autem ut unusquisque vestrum idem studium ad finem usque ostendat, ad plenam spei certiora-
12 tionem: ut ne sitis segnes, sed imitatores eorum qui per fidem ac patientem animum hæreditario jure obtinent promissionem.

13 Deus enim pollicitus Abrahamo, quum non posset per quenquam majorem jurare, juravit per
14 seipsum, dicens, Certe benedicens benedicam tibi, et multiplicans multiplicabo te
15 (Gen. 22, 16. 17). Atque ita patiente animo usus,
16 adeptus est promissum. Nam homines quidem per eum jurant qui sit major: atque iisdem omnis controversiæ finis est jusjurandum ad confirmationem
17 *adhibitum*. Qua in re Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem
18 consilii sui, fide jussit jurejurando: ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut mentitus sit Deus, validam consolationem habemus *nos*, qui cursum *eo* corripuimus, ut spem propo-
19 sitam retineamus; quam velut animæ anchoram habemus tutam ac firmam, et ingredientem usque
20 in ea quæ sunt intra velum: quo præcursor pro nobis ingressus est Jesus, factus secundum ordinem Melchisedeci pontifex in æternum.

7 Nam hic Melchisedecus rex *erat* Salem, sacerdos Dei altissimi, qui occurrit Abrahamo rever-
2 tenti a cæde regum, et benedixit ei: (cui et decimas ex omnibus impartitus est Abrahamus:)

qui primum quidem ex interpretatione dicitur rex justitiæ, deinde vero etiam rex Salem, quod est
3 rex pacis: sine patre, sine matre, sine genere; nec initium dierum, neque vitæ finem habens: sed assimilatus Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.
4 Spectate vero quantus hic *fuerit*, cui Abrahamus etiam ille patriarcha dederit decimas spo-
5 liorum. Et ii quidem qui sunt ex filiis Levi sacerdotium capessentes, præceptum habent decimarum accipiendarum a populo secundum legem, hoc est, a fratribus suis, licet egressis ex
6 lumbis Abrahami. Is vero, cujus genus ad illos non refertur, decimavit Abrahamum, et habenti
7 promissiones benedixit. Porro sine ulla controversia, id quod minus est, ab eo quod majus
8 est benedicitur. Atque hic quidem homines qui moriuntur, decimas accipiunt: illic autem is, de
9 quo testatum est quod vivat. Et (ut ita loquar)
) in Abrahamo decimatus est etiam ipse Levi, qui
10 decimas solet accipere. Nam is adhuc in lumbis patris erat, quum occurreret Abrahamo Melchisedecus.
11 Porro, si consummatio per Leviticum sacerdotium erat, (nam sub hoc sancita lex est populo,) quid amplius erat opus alium exoriri sacerdotem secundum ordinem Melchisedeci, nec secundum
12 ordinem Aaronis dici? Mutato enim hoc sacer-
13 dotio, necessario quoque legis mutatio fit. Nam *is* de quo hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet,
14 de qua nullus attendit altari. Clarum est enim e Juda exortum esse Dominum nostrum cui tribui
15 nihil de sacerdotio locutus est Moses. *Idque* eo etiam amplius clarum est *eo* quod ad simili-
16 tudinem Melchisedeci exsurgit sacerdos alius, qui non ex lege, cujus præceptum est carnale, factus

17 est *sacerdos*, sed ex vi indissolubilis vitæ. Testificatur enim ad hunc modum, Tu *es* sacerdos
in æternum secundum ordinem Melchise-
18 deci (Ps. 110, 4). Fit enim irritum præcedens præceptum, propter ipsius infirmitatem et inutilitatem.
19 Nihil enim consummavit lex, sed superintroducta spes potior, per quam appropinquamus Deo.
20 Etiam quatenus non absque jurejurando *super-*
21 *introducta est*. Nam illi quidem absque jurejurando, sacerdotes facti sunt: hic vero cum jurejurando, per eum qui dixit ei, Juravit Dominus,
et non pœnitebit eum, Tu *es* sacerdos in
æternum secundum ordinem Melchisedec.
22 Tanto melioris pacti sponsor factus est Jesus.
23 Et illi quidem plures facti sunt sacerdotes,
24 quod mors prohiberet eos permanere: at iste, propterea quod in æternum manet, habet sacer-
25 dotium nunquam transiturum. Unde et servare absolutissime potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro eis.
26 Talis enim nos decebat pontifex, sanctus, ab omni malo remotus, sine labe, separatus a pec-
27 catoribus, et sublimior cœlis factus. Cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde *pro peccatis* populi: hoc enim fecit semel,
28 quum semetipsum obtulit. Lex enim homines constituit pontifices infirmitate laborantes; at sermo jurisjurandi post legem *concepti*, Filium *constituit* in æternum consummatum.

8 CETERUM eorum quæ dicimus *hæc* summa
2 est, Talem *nos* habere pontificem, qui consedit ad dextram throni majestatis illius in cœlis, sanctuarii minister, ac veri illius tabernaculi quod fixit Dominus, et non homo.
3 Omnis enim pontifex ad offerenda dona et victi-

mas constituitur: unde necesse fuit hunc quoque
4 habere quod offerret. Nam si esset in terra, ne
sacerdos quidem esset, manentibus illis sacerdoti-
5 bus, qui secundum legem offerunt dona; ut qui ex-
emplaris et umbræ cultum præstent rerum cœle-
stium, sicut divinitus dictum est Mosi, quum esset
absoluturus tabernaculum, Vide enim, inquit, *ut*
facias omnia ad exemplar quod ostensum
6 est tibi in monte (Ex. 25,40). At nunc *noster ille*
pontifex tanto præstantiorem sacram functionem
sortitus est, quanto præstantioris pacti est media-
tor, quod præstantioribus promissis sancitum est.
7 Nam si prius illud tale fuisset, ut nihil in eo
posset requiri, haudquaquam fuisset secundo
8 quæsitus locus. Nam incusans eos inquit, Ecce,
dies venient, dicit Dominus, quum per-
agam cum domo Israel et cum domo Juda
9 pactum novum: non secundum pactum,
quod feci cum patribus ipsorum, quo die
prehendi manum ipsorum, ut educerem
eos ex Ægypto: nam ipsi non perstite-
runt in illo meo pacto, et ego despexi
10 eos, dicit Dominus. Quamobrem hoc est
pactum quod paciscar domui Israelis post
dies illos, dicit Dominus: Indam leges
meas menti eorum, et cordi eorum inscri-
bam: et ero ipsis Deus, et ipsi erunt
11 mihi populus: neque docebunt singuli
proximum suum, et singuli fratrem suum,
dicentes, Cognosce Dominum: nam om-
nes cognoscent me, ab eo qui pusillus
fuerit inter eos, ad eum usque qui ma-
12 gnus fuerit inter eos. Ero enim propi-
tius injuste factis eorum, et peccatorum
ipsorum et transgressionum ipsorum non
recordabor amplius (Jer. 31, 31—34).

13 Dum novum dicit, antiquavit prius: porro quod
antiquatur ac senescit, prope est ut evanescat.
9 HABUIT igitur prius *pactum* etiam ritus cul-
2 tus et sanctuarium mundanum. Tabernaculum
enim apparatum fuit; prius *quidem*, in quo *erat*
candelabrum, et mensa, et propositi panes, quod
3 Sancta vocant: post secundum autem velum *erat*
tabernaculum, quod vocant Sancta Sanctorum;
4 aureum habens thuribulum, et arcam pacti undi-
que circumtectam auro; in qua *erat* urna aurea
habens manna, et virga illa Aaronis quæ ger-
5 minavit, et tabulæ illæ pacti; supra hanc autem
arcam erant cherubim gloriosi obumbrantes
propitiatorium, de quibus non est nunc dicen-
dum singulatim.
6 His vero sic constructis, in prius quidem
tabernaculum quovis *tempore* ingrediuntur sacer-
7 dotes qui cultus obeunt: in secundum autem se-
mel quotannis solus pontifex, non absque san-
guine, quem offert pro seipso et *pro* populi
8 erratis; hoc declarante Spiritu Sancto, nondum
factam fuisse manifestam ad sacrarium viam,
9 priore tabernaculo adhuc consistente: quod *erat*
exemplar pro tempore illo tunc præsente quo
dona sacrificiaque offeruntur, quæ non possunt
10 in conscientia consummare cultorem, in cibis
duntaxat et potionibus, et diversis ablutionibus,
ac ritibus carnalibus, usque ad præstitutum tem-
pus directionis imposita.
11 Adveniens autem Christus pontifex futurorum
bonorum, per majus et perfectius tabernaculum
non manufactum, id est, non hujus structuræ;
12 neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed
per proprium sanguinem, ingressus est semel
in sacrarium, æternam redemptionem adeptus.
13 Nam si sanguis taurorum et hircorum, et cinis

juvencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad car-
14 nis puritatem; quanto magis sanguis Christi, qui
per spiritum æternum seipsum obtulit inculpabi-
lem Deo, emundabit conscientiam vestram a
mortuis operibus ad colendum Deum vivum?
15 Itaque ob id novi pacti mediator est, ut morte
ad redemptionem earum transgressionum inter-
cedente quæ fuerant sub priore pacto, qui vocati
erant promissam æternam hæreditatem accipe-
16 rent. Nam ubi testamentum est, mors intercedat
17 necesse est testatoris. Testamentum enim in
mortuis ratum est; quandoquidem nondum valet
18 quum vivit testator. Unde ne prius quidem
19 illud absque sanguine dedicatum fuit. Quum
enim Moses omnia præcepta secundum legem
recitasset toti populo, sumpto sanguine vitulorum
et hircorum, cum aqua, et lana coccina, et hys-
sopo, simul et ipsum librum et totum populum
20 aspersit, dicens, Hic *est* sanguis ille hujus pacti,
21 quod mandavit vobis Deus. Insuper autem et
tabernaculum et omnia vasa sacræ illius fun-
22 ctionis sanguine illo similiter aspersit. Et om-
nia fere secundum legem sanguine purificantur;
et absque sanguinis effusione non fit remissio.
23 Itaque necesse *fuit* exemplaria quidem eorum
quæ sunt in cœlis, hisce rebus purificari; ipsa
vero cœlestia potioribus quam hæ sint victimis.
24 Non enim in manufactum sacrarium ingressus
est Christus, quod sit exemplar vero *sacrario*
respondens; sed in ipsum cœlum, ut compareat
25 nunc apud faciem Dei pro nobis. Neque ut
sæpe offerat semetipsum, sicut pontifex ingredi-
tur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno:
26 (alioquin oportuisset eum sæpe passum fuisse a
jacto mundi fundamento;) sed nunc semel in
consummatione seculorum, ad peccatum per im-

molationem suiipsius e medio tollendum factus
27 est conspicuus. Et sicut illud statutum est ho-
minibus ut semel moriantur, postea vero judi-
28 cium; ita et Christus semel oblatus ut *in seipso*
attolleret multorum peccata; secundo absque pec-
cato cernetur iis qui ipsum exspectant, ad salu-
tem.

10 Lex enim umbram obtinens futurorum bono-
rum, non ipsam expressam formam rerum, iis
hostiis quas singulis annis easdem continenter
offerunt, nunquam potest accedentes consummare:
2 alioqui desiissent offerri, propterea quod sacri-
ficantes, semel purgati, nullorum peccatorum
3 amplius essent sibi conscii. At in istis *fit* re-
4 petita mentio peccatorum quotannis. Non enim
potest sanguis taurorum et hircorum auferre
5 peccata. Quapropter ingrediens mundum, dicit,
Sacrificium et oblationem noluisti, cor-
6 pus autem adaptasti mihi: holocauto-
mata et *hostiam* pro peccato non appro-
7 basti: tunc dixi: Ecce, adsum (in capite
libri scriptum est de me) ut faciam, Deus,
voluntatem tuam (Ps. 40, 6—8).
8 Quum superius dixisset, Sacrificium, et obla-
tionem, et holocautomata, et *hostiam* pro pec-
cato noluisti, neque grata habuisti, (quæ secun-
9 dum legem offeruntur,) tunc dixit, Ecce, adsum,
ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Aufert prius,
10 ut posterius statuat. Qua voluntate sanctificati
sumus, per oblationem corporis Jesu Christi se-
mel *factam*.
11 Omnis igitur sacerdos adstat quotidie sacram
functionem obiens, et easdem sæpius offerens
hostias, quæ nunquam possint auferre peccata:
12 Hic vero, una pro peccatis oblata in perpetuum
13 victima, consedit ad dextram Dei: quod reliquum

est exspectans, donec ejus inimici positi sint pro
14 scabello pedum ipsius. Unica enim oblatione
consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur.
15 Testificatur autem *hoc* nobis Spiritus etiam ille
16 Sanctus: nam posteaquam prius dixit, Hoc illud
est pactum quod peragam cum eis post
dies illos, dicit Dominus; Indam leges
meas cordibus eorum, et mentibus ipso-
17 rum inscribam eas; tunc dicit, Peccatorum
ipsorum et transgressionum nequaquam
18 recordabor amplius (Jer. 31, 33. 34). Porro,
ubi *est* horum remissio, non *est* amplius oblatio
pro peccato.

19 Quum igitur, fratres, habeamus libertatem in-
20 grediendi sacrarium per sanguinem Jesu, ea via
quam dedicavit nobis recentem et vivam, per
21 velum, hoc est, per carnem suam; *quumque ha-
beamus* sacerdotem magnum, præfectum domui
22 Dei: accedamus cum vero corde, et per plenam
certiorationem fidei, aspersione purgatis cordibus
23 a conscientia mala: et abluto corpore aqua pura,
retineamus professionem spei non vacillantem;
24 (fidelis enim *est* qui promisit;) et observemus
alii alios, ut nos acuamus ad charitatem et bona
25 opera: non deserentes aggregationem nostri mu-
tuam, sicuti mos *est* quibusdam, sed adhortantes
alii alios: idque eo magis quod videtis illum
diem appropinquare.

26 Nam si ultro peccaverimus post acceptam co-
gnitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reli-
27 qua est hostia; sed horrenda quædam exspecta-
tio judicii, et ignis fervor, qui devoraturus est
28 adversarios. Qui aspernatus fuerit Mosis legem,
absque misericordia ex duorum aut trium testi-
29 monio moritur: quanto (putatis) acerbiore supplici
dignus censebitur qui Filium Dei conculcarit,

et sanguinem pacti, per quem fuerat sanctificatus,
profanum duxerit, et spiritum gratiæ contumelia
30 affecerit? Novimus enim eum qui dixit, Meum
est ulcisi, ego rependam, dicit Dominus
(Deut. 32, 35): et rursum, Dominus jus dicet
populo suo (Deut. 32, 36).
31 Horrendum est incidere in manus Dei vivi.
32 Revocate vero in memoriam superiores dies,
quibus, postquam illustrati fuistis, ingens certa-
33 men afflictionum tolerastis; partim quidem, dum
et cum probris et cum afflictionibus, spectaculum
facti estis; partim vero dum socii facti estis
34 eorum qui sic agitantur. Nam et vinculis meis
mecum affecti fuistis, et direptionem eorum quæ
vobis suppetebant cum gaudio excepistis, ut qui
sciretis *vos* habere apud vos potiorem substan-
tiam in cœlis, et permanentem.
35 Ne igitur abjicite liberam illam professionem
vestram, quæ magnam habet præmii retributio-
36 nem. Nam patiente animo vobis est opus, ut
voluntati Dei obsecuti reportetis promissionem
37 illam. Adhuc enim pusillum quantumcun-
que, et qui venturus est veniet, neque tar-
38 dabit. Justus autem ex fide vivet (Hab. 2,
3-4): at si *quis* se subduxerit, non est gra-
39 tum animo meo (Hab. 2, 4). At nos non ii
sumus qui nos subducamus ad exitium, sed qui
credamus ad animæ salutem.
11 EST autem fides illud quo subsistunt quæ spe-
rantur, et quæ demonstrat quæ non cernuntur.
2 Ob eam enim testimonio fuerunt ornati majores.
3 Per fidem intelligimus compactum fuisse mun-
dum verbo Dei, ut quæ videmus non sint ex
apparentibus facta.
4 Abel, per fidem, majoris pretii sacrificium ob-
tulit Deo quam Cain: per quam testimonium ob-

tinuit, quod esset justus, testimonium perhibente Deo de donis ejus: et mortuus adhuc per eam loquitur.

5 Per fidem, Enoch fuit translatus, ne videret mortem; nec fuit inventus, propterea quod transtulerat eum Deus: priusquam enim transferretur, testimonium obtinuerat quod gratus fuerit Deo.
6 Atqui fieri non potest ut absque fide quisquam *Deo* sit gratus: nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse *Deum*, et præmia retribuere iis qui ipsum requirunt.
7 Per fidem, divinitus admonitus Noe de iis quæ nondum videbantur, veritus construxit arcam ad servandam domum suam: per quam *arcam* condemnavit mundum, et ejus quæ ex fide est justitiæ factus est hæres.
8 Per fidem, vocatus Abrahamus auscultavit *Deo*, abeundo in locum quem accepturus erat in hæreditatem, et exivit, nesciens quo esset venturus.
9 Per fidem, commoratus est in terra promissa ut aliena, commoratus in tabernaculis cum Isaaco et Jacobo, cohæredibus ejusdem promissionis:
10 exspectabat enim civitatem illam habentem fundamenta, cujus artifex et conditor est Deus.
11 Per fidem, et ipsa Sara vim ad ejaculatum semen *concipiendum* accepit, ac præter præstitutum tempus ætatis peperit, quod fidelem *esse*
12 duxerit eum qui promiserat. Quapropter et ex uno, eoque jam emortuo, nati sunt *posteri*, quanta est astrorum cœli multitudo, et quasi arena illa innumerabilis quæ est ad oram maris.
13 Secundum fidem mortui sunt isti omnes, non adepti promissa, sed eminus ea conspicati, postquam *ipsis* fuissent persuasa et *ea* amplexi fuissent, ac sese professi hospites et advenas esse
14 in terra. Nam qui hæc dicunt, palam ostendunt

15 se patriam quærere. Quod si illius memores
fuissent, ex qua exierant, habere poterant tem-
16 pus ad revertendum: atqui potiorem expetunt,
hoc est, cœlestem: quapropter Deum non pudet
eorum, *id est*, cognominari Deus eorum; para-
verat enim eis urbem.

17 Abrahamus, quum tentaretur, obtulit Isaacum
per fidem; unigenitum, inquam, illum obtulit is
18 qui promissiones exceperat; ad quem dictum
19 fuerat, In Isaaco vocabitur tibi semen
(Gen. 21, 12): ratiocinatus Deum potentia præditum
esse etiam suscitandi ex mortuis; unde etiam
illum similitudine quadam recepit.

20 Per fidem, de futuris benedixit Isaacus Jacobo
et Esavo.

21 Per fidem, Jacobus moriens singulis filiis Jo-
seph benedixit; et adoravit super extremo ba-
culo suo (Gen. 47, 31).

22 Per fidem, Josephus obiens de egressione fili-
orum Israel meminit, deque ossibus suis præcepit.

23 Per fidem, Moses, quum natus esset, occulta-
tus est menses tres a parentibus suis, quod vi-
derent venustum esse puerulum; et non metu-
erunt edictum regis.

24 Per fidem, Moses jam grandis renuit vocari
25 filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul malis
vexari cum populo Dei, quam temporariam re-
26 tinere peccati fruitionem; majores ducens divitias
proprum Christi, quam Ægyptiorum thesauros:
intuebatur enim in præmii retributionem.

27 Per fidem, dereliquit Ægyptum, non metuens
excandescentiam regis: nam, ut qui videret eum
28 qui est invisibilis, *ita* forti animo fuit. Per fidem,
peregit pascha et affusionem illam sanguinis, ne
qui disperdidit primogenita ipsorum, ipsos tan-
geret.

29 Per fidem, transgressi sunt rubrum mare veluti
per terram; cujus *maris* facto periculo Ægyptii
absorpti sunt.
30 Per fidem, mœnia Jericho conciderunt, circum-
data ad dies septem.
31 Per fidem, Rahab meretrix illa non periit una
cum iis qui non obedierant, quum pacifice ex-
cepisset hospitio exploratores.
32 Et quid præterea loquor? deficiet enim me
tempus narrantem de Gedeone, de Barac, et
Sampsone, et Jephthe, et Davide, et Samuele,
33 ac prophetis; qui per fidem debellarunt regna,
exercuerunt justitiam, adepti sunt promissiones,
34 obstruxerunt ora leonum, exstinxerunt vim ignis,
effugerunt acies gladii, corroborati sunt ex in-
firmitate, effecti sunt validi in bello, exercitus
35 exterorum in fugam verterunt: mulieres acce-
perunt ex resurrectione mortuos suos: alii vero
distenti sunt, non acceptata liberatione, ut po-
36 tiorem resurrectionem consequerentur: alii rursus
ludibria et flagella sunt experti, insuper et vin-
37 cula et carcerem: lapidati sunt, dissecti sunt,
tentati sunt, gladio cæsi mortui sunt, oberrarunt
cum ovillis et caprinis pellibus, destituti, afflicti,
38 male habiti: quibus indignus erat mundus, in
desertis errantes, et montibus, ac speluncis, et
39 cavernis terræ. Atque omnes hi testimonium ob-
tinuerunt per fidem, non obtinuerunt promissum
40 illud: quoniam Deus de nobis potius quiddam
providerat, ne absque nobis consummarentur.
12 Proinde nos quoque, quum tanta nos circum-
stet testium nubes, abjecto omni pondere, et
peccato facile nos circumcingente, toleranter pro-
2 positum nobis stadium decurramus; intuentes in
fidei ducem ac consummatorem Jesum, qui pro
sibi proposito gaudio toleravit crucem, ignominia

contempta, et ad dextram throni Dei consedit.
3 Etenim reputate, quis ille sit qui talem toleravit
a peccatoribus adversus sese contradictionem, ne
vestris animabus fracti fatiscatis.
4 Nondum ad sanguinem usque restitistis, ad-
5 versus peccatum decertando. Et obliti estis ad-
hortationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur,
Fili mi, ne parvi facito castigationem
Domini, neque animo frangitor quum ab
6 eo argueris: quem enim diligit Dominus,
castigat: flagellat autem quemcunque fi-
7 lium agnoscit (Prov. 3,11.12). Si castigationem
suffertis, Deus sese vobis exhibet ut filiis: quis
8 enim est filius quem non castiget pater? Quod
si estis absque castigatione, cujus participes sunt
9 omnes, nempe supposititii estis, non filii. Deinde
carnis quidem nostræ castigatores patres habui-
mus, et reveriti sumus: annon *vero* multo magis
10 subjiciemur Patri spirituum, et vivemus? Nam
illi ad paucos dies, prout ipsis videbatur, nos
castigabant: hic autem ad commodum nostrum,
ut participes simus sanctitatis ipsius.
11 Omnis autem castigatio in præsens quidem
non videtur esse gaudii, sed tristitiæ; at postea
fructum tranquillum justitiæ reddit iis qui per
eam fuerint exercitati.
12 Quapropter manus remissas, et genua soluta,
13 surrigite; et rectas orbitas facite pedibus vestris,
ne quod claudum *est* deflectat *de via*, sed ut
14 sanetur potius. Pacem sectamini cum omnibus,
et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Domi-
15 num; prospicientes, nequis deficiat a gratia Dei;
nequa radix amara suppullulans obturbet, et per
16 hanc polluantur multi: nequis sit scortator, aut
profanus, velut Esau qui unico edulio vendidit
17 suum jus primogeniti. Scitis enim eum etiam

postea, quum vellet hæreditario jure benedictionem assequi, reprobatum fuisse: non enim reperit resipiscentiæ locum, quamvis cum lacrymis *benedictionem* illam exquisisset.

18 Non enim accessistis ad contrectabilem montem, et ardentem ignem, ac turbinem, et cali-
19 ginem, et procellam, tubæque sonitum, et vocem verborum, quam qui audierant cum excusatione
20 petierunt ne amplius sibi fieret sermo: (non enim ferebant quod edicebatur, Si vel bestia tetigerit montem, lapidabitur aut sagitta
21 configetur (Ex. 19, 12. 13): et Moses, adeo horrendum erat visum quod apparebat, dixit, Expavefactus sum actremebundus (Deut. 9, 19):
22 sed accessistis ad montem Sion et civitatem Dei
23 vivi, Hierosolymam cœlestem, et myriadas angelorum, conventum universalem, et concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem universorum Deum, et spiritus justorum
24 consummatorum; et ad novi pacti mediatorem Jesum, et sanguinem aspersionis, potiora loquentem quam loquatur Abelus.

25 Videte ne recusetis eum qui loquitur. Nam si illi non effugerunt qui recusarunt divinitus loquentem in terra; multo magis nos, qui eum qui
26 de cœlis *est* aversaremur: cujus vox tunc concussit terram: nunc autem denunciavit, dicens, Adhuc semel ego concutiam non solum
27 terram, sed etiam cœlum (Hag. 2, 6). Porro illud, Adhuc semel, declarat instabilium rerum, ut puta factitiarum, amotionem, ut maneant quæ
28 sunt stabilia. Quapropter regnum assumentes quod concuti non potest, retineamus gratiam, per quam ita colamus Deum, ut ei grati simus
29 cum verecundia et reverentia. Etenim Deus noster consumens ignis est (Deut. 4, 24).

13 FRATERNUS amor maneto. 2 Hospitalitatis
ne estote immemores: per hanc enim quidam
3 inscii exceperunt angelos hospitio. Memores
estote vinctorum, tanquam una cum illis vincti;
eorum qui malis premuntur, ut qui et ipsi sitis
4 in corpore. Honorabile *est* inter quosvis con-
jugium, et cubile impollutum: scortatores autem
5 et adulteros condemnabit Deus. Sint mores *ve-
stri* alieni a pecuniæ amore: *estote* contenti præ-
sentibus: dixit enim ipse, Nequaquam te omit-
tem, neque unquam te deseram (Jos. 1, 5).
6 Adeo ut confidenti animo dicamus, Dominus
est mihi auxiliator, nec metuam quid fa-
ciat mihi homo (Ps. 118, 6).
7 Memores estote ductorum vestrorum, qui lo-
cuti sunt vobis sermonem Dei: quorum imitamini
fidem, contemplantes quis fuerit exitus conver-
sationis ipsorum.
8 Jesus Christus heri et hodie idem *est*, et in
secula.
9 Doctrinis variis et peregrinis ne circumferimini;
bonum enim est gratia constabiliri cor, non cibis,
unde nullam perceperunt utilitatem qui in iis
ambularunt.
10 Habemus altare, ex quo edendi non habent
11 jus qui tabernaculo cultum præstant. Quorum
enim animalium sanguis infertur pro peccato in
sacrarium per pontificem, eorum corpora exurun-
12 tur extra castra. Quapropter et Jesus, ut sancti-
ficaret populum per proprium sanguinem, passus
13 est extra portam. Exeamus igitur ad eum extra
14 castra, probrum ejus portantes. Non enim habe-
mus hic permanentem civitatem, sed futuram
15 illam inquirimus. Per ipsum igitur assidue attol-
lamus ad Deum sacrificium laudis, id est, fructum
16 labiorum celebrantium nomen ejus. Beneficentiæ

vero et communicationis ne obliviscimini: talibus enim victimis delectatur Deus.

17 Parete ductoribus vestris, et obsecundate: excubant enim ipsi pro animabus vestris tanquam rationem reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, et non suspirantes: id enim est vobis inutile.

18 Orate pro nobis; confidimus enim nos bonam conscientiam habere, ut qui in omnibus cupia-
19 mus bene versari. Amplius autem precor vos ut id faciatis, ut eo citius restituar vobis.

20 Deus vero pacis, qui magnum illum ovium, per sanguinem pacti æterni, pastorem, Dominum no-
21 strum Jesum ex mortuis reduxit, compingat vos in omni opere bono ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis quod gratum sit in conspectu suo, per Jesum Christum; cui *sit* gloria in secula seculorum. Amen.

22 Precor autem vos, fratres, sufferte hunc sermonem cohortationis hujus: nam paucis *de hoc* scripsi
23 vobis. Scitote fratrem *nostrum* Timotheum solutum esse, cum quo (si celerius venerit) videbo vos.

24 Salutate omnes ductores vestros et omnes sanctos. Salutant vos Itali.

25 Gratia *sit* cum omnibus vobis. Amen.

Ad Hebræos scripta est ex Italia per Timotheum.

JACOBI APOSTOLI
EPISTOLA CATHOLICA.

1 JACOBUS, Dei ac Domini Jesu Christi servus, duodecim tribubus dispersis, salutem.

2 Pro summo gaudio ducite, fratres mei, quo-
3 ties in exploraciones varias incideritis; *illud*

scientes, experimentum fidei vestræ efficere to-
4 lerantiam. Ceterum tolerantia opus integrum
habeat, ut sitis integri toti, in nullo deficientes.
5 Quod si cui vestrum deest sapientia, petito a
Deo, qui dat *eam* omnibus benigne, nec expro-
6 brat; et dabitur ei. Sed postulet cum fide, ni-
hil ambigens; nam qui ambigit, similis est flu-
7 ctui maris, qui ventis agitatur et jactatur. Non
enim existimet homo ille se quicquam acceptu-
8 rum a Domino: *ut qui sit* vir animo duplici *et*
inconstans in omnibus viis suis.
9 Porro, frater qui est humilis conditionis, glo-
10 rietur in sublimitate sua: qui vero dives est, in
submissione sui: quoniam veluti flos herbæ præ-
11 teribit. Nam, *ut* exortus est sol cum æstu, et
arefecit herbam, et flos illius decidit, et specta-
bilis decor ipsius periit: ita et dives in gressibus
suis marcescet.
12 Beatus *est* vir qui explorationem tolerat: quo-
niam probus compertus, accipiet coronam vitæ,
quam promisit Dominus iis qui ipsum diligunt.
13 Nemo, quum exploratur, dicat, A Deo tentor:
nam Deus tentari malis non potest, nec quen-
14 quam tentat. Sed unusquisque tentatur dum a
15 propria cupiditate abstrahitur et inescatur. De-
inde cupiditas, posteaquam concepit, parit pec-
catum: peccatum vero peractum gignit mortem.
16 Ne errate, fratres mei dilecti. 17 Omnis donatio
bona, et omne integrum munus, est superne, de-
scendens a Patre luminum, apud quem non inest
18 transmutatio aut conversionis obumbratio. *Is*
quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, ut
essemus primitiæ quædam eorum quæ creavit.
19 Itaque, fratres mei dilecti, sit omnis homo ce-
ler ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus
20 ad iram; nam ira viri justitiam Dei non exse-

21 quitur. Quapropter, abjectis omnibus sordibus
et excremento malitiæ, cum lenitate excipite in-
sititium illum sermonem, qui potest servare ani-
mas vestras.
22 Effectores vero estote sermonis; nec estote
auditores solum, falso ratiocinando fallentes vos-
23 metipsos. Nam siquis auditor est sermonis, et
non effector, is similis est viro consideranti fa-
24 ciem suam nativam in speculo; nam simulatque
consideravit seipsum, abiit, et statim oblitus est
25 qualis esset. At is qui introspexerit in perfectam
illam legem libertatis, et permanserit *in ea*, quia
non fuerit auditor obliviosus, sed effector operis,
is, *inquam*, beatior erit in opere suo.
26 Siquis videtur religiosus esse inter vos, non
frenans linguam suam, sed suum ipsius cor se-
27 ducens; hujus vanus est cultus. Religiosus autem
cultus purus apud Deum et Patrem, hic est, In-
visere orphanos et viduas in afflictione ipsarum,
et immaculatum sese servare a mundo.
2 FRATRES mei, ne cum acceptione faciei
habete fidem Domini nostri Jesu Christi gloriosi.
2 Nam siquis in cœtum vestrum ingrediatur, aure-
um gestans annulum, veste splendida, ingredia-
3 tur autem et pauper cum sordida veste; et re-
spexeritis ad eum qui vestem gerit splendidam,
et dixeritis ei, Tu sede hic bene: pauperi vero
dixeritis, Tu sta illic, aut sede hic subter sca-
4 bellum meum: nonne discrimen feceritis apud
vos, et facti fueritis judices male ratiocinantes?
5 Audite, fratres mei dilecti, Nonne Deus elegit
pauperes mundi hujus, *ut fierent* divites fide, et
hæredes regni quod promisit iis qui ipsum dili-
6 gunt? At vos contumelia affecistis pauperem.
Nonne divites per tyrannidem opprimunt vos,
7 et trahunt vos ad tribunalia? Nonne blasphe-

mant præclarum illud nomen a quo estis cogno-
8 minati? Quod si legem regiam præstatis secun-
dum scripturam, Diliges proximum tuum ut
9 teipsum (Lev. 19, 18), bene facitis: sin vero fa-
ciem respicitis, peccatum committitis, et redar-
10 guimini a lege ut transgressores. Quisquis enim
totam legem observaverit, impegerit autem in
11 uno damnas factus est omnium. Nam qui dixit,
Ne mœcheris (Ex. 20, 14), dixit etiam, Ne oc-
cidas (Ex. 20, 13). Quod si non fueris mœcha-
tus, occideris autem, factus es transgressor legis.
12 Ita loquimini et ita facite, ut per legem liber-
13 tatis judicandi. Nam condemnatio absque mi-
sericordia *erit* ei qui non præstiterit misericor-
diam: et gloriatur misericordia adversus damna-
tionem.
14 QUÆ utilitas, fratres mei, si fidem dicat ali-
quis habere se, opera vero non habeat? num
15 potest fides illa eum servare? Quod si frater
aut soror nudi fuerint et destituti quotidiano
16 victu, dicat autem eis aliquis vestrum, Abite
cum pace, calescite, et saturamini; non tamen
dederitis eis quæ sunt commoda corpori, quæ
17 *erit* utilitas? Ita quoque fides, si opera non
18 habeat, mortua est per se. Quinimo dicet aliquis,
Tu fidem habes, et ego opera habeo: ostende mihi
fidem tuam absque operibus tuis, et ego osten-
19 dam tibi ex operibus meis fidem meam. Tu
credis Deum unum esse: bene facis: dæmonia
20 quoque *istud* credunt, sed horrescunt. Vis autem
nosse, homo vane, fidem *quæ est* absque operi-
21 bus mortuam esse? Abrahamus pater ille noster
nonne ex operibus justificatus est, quum obtu-
22 lisset Isaac filium suum super altare? Vides
fidem administram fuisse operum ipsius, et ex
23 operibus fidem ad finem perductam fuisse? Ita-

que impleta est scriptura quæ dicit, Credit autem Abraham Deo, et imputatum est ei ad justitiam (Gen. 15, 6), et amicus Dei
24 (Es. 41, 8) vocatus est. Videtis igitur ex operibus
25 justificari hominem, et non ex fide tantum? Similiter autem etiam Rahaba illa meretrix, annon ex operibus justificata est, quum excepisset nun-
26 cios illos, et alia via emisisset? Nam sicut corpus absque spiritu mortuum est, ita et fides illa *quæ est* absque operibus mortua est.

3 NE estote multi doctores, fratres mei, quum
2 sciatis fore, ut gravius judicium auferamus. In multis enim impingimus omnes.

Siquis in sermone non impingit, hic perfectus est vir, ut qui possit freno moderari totum
3 etiam corpus. Ecce, equis frena in ora immittimus, ut pareant nobis, et totum corpus eorum
4 circumagimus. Ecce, naves quoque, quum tantæ sint, et a ventis sævis agitentur, circumaguntur a minimo gubernaculo, quocunque im-
5 pulsus rectoris voluerit: ita et lingua pusillum membrum est, et sese effert magnifice. Ecce,
6 exiguus ignis quantam materiam incendit! Et lingua flamma *est*, *et* mundus injustitiæ: ita, *inquam*, lingua constituta est inter membra nostra, maculans totum corpus, inflammans rotam genituræ nostræ, et inflammata a gehenna.

7 Omnis enim natura et ferarum et volucrum, serpentiumque et marinorum, domatur et domita
8 est a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest; malum *est* quod coercere non possis: plena *est* veneno mortifero.
9 Per ipsam benedicimus Deo et Patri, et per ipsam exsecramur homines ad similitudinem Dei
10 factos. Ex eodem ore procedit benedictio et

maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita
fieri. Num fons ex eodem foramine fundit dul-
11 cem et amaram *aquam?* Num potest, fratres
12 mei, ficus oleas edere, aut vitis ficus? ita fons
salsam et dulcem aquam edere?
13 Quis sapiens et scientia præditus *est* inter
vos? Demonstret ex bona conversatione opera
14 sua cum lenitate sapientiæ. Quod si invidiam
amaram habetis, et irritationem in corde vestro,
ne gloriamini, et ne mendaces estote adversus
15 veritatem. Non est *enim* ista sapientia superne
descendens, sed terrestris, animalis, dæmoniaca.
16 Ubi enim invidia est et rixa, ibi inquieta vita
17 et omne opus pravum. Quæ autem superne *est*
sapientia, primum quidem pura est, deinde paci-
fica, æqua, obsequens, plena misericordiæ et
fructuum bonorum, absque disceptatione, minime
18 simulata. Fructus autem justitiæ seritur cum
pace iis qui dant operam paci.
4 UNDE bella et pugnæ inter vos? Nonne
hinc, *nimirum* ex voluptatibus vestris, quæ mi-
2 litant in membris vestris? Concupiscitis, et non
habetis: invidetis et ardenter affectatis, nec po-
testis adipisci: pugnatis et bellatis, nec obtinetis,
3 propterea quod non petitis. Petitis, et non ac-
cipitis, eo quod male petatis, ut in voluptates
vestras insumatis.
4 Adulteri et adulteræ, nescitis amicitiam mundi
inimicitiam esse adversus Deum? Quicunque
ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei
5 constituitur. An putatis scripturam inaniter di-
cere, Ad invidiam fertur spiritus qui sedem po-
6 suit in nobis? Sed majorem offert gratiam, quia
dicit, Deus superbis obsistit, submissis
autem dat gratiam (Prov. 3, 34).
7 Subjicite igitur vos Deo; obsistite diabolo, et

8 fugiet a vobis. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis: emundate manus, *vos* peccatores, et purificate corda, *vos* duplices animo.
9 Sensu ærumnæ tangimini, et lugete, et flete: risus vester in luctum convertatur, et gaudium in
10 mœrorem. Submittite vos in conspectu Domini, et extollet vos.
11 Ne alii aliis obloquimini, fratres: qui obloquitur fratri, quique damnat fratrem suum, obloquitur legi, et damnat legem: quod si damnas legem,
12 non es observator legis, sed judex. Unus est legislator qui potest servare et perdere: tu quis es, qui damnas alium?
13 AGE nunc qui dicitis, Hodie vel cras proficiscemur in illam urbem, et agemus ibi annum
14 unum, et mercabimur, et lucrabimur. Qui ignoratis quid *futurum sit* postridie: quæ est enim vita vestra? vapor enim est ad exiguum *tempus*
15 apparens, et deinde disparens. Pro eo quod dicere debuistis, Si Dominus voluerit, et vivamus, faciemus hoc aut illud. Nunc autem gloriamini in jactantiis vestris: omnis ejusmodi glo-
17 riatio mala est. Igitur qui noverit recte facere, nec facit, is peccato tenetur.

5 AGE nunc, divites, flete, ejulantes super
2 ærumnis vestris superventuris. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra sunt a tineis
3 vorata: aurum et argentum vestrum ærugine vitiatum est, et ærugo eorum testabitur adversum vos, et exedet carnes vestras velut ignis: thesaurum recondidistis in ultimos dies. Ecce,
4 merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, qua illos fraudastis, clamitat: et vociferationes eorum qui messuerunt, in aures Do-
5 mini Sabaoth introierunt. In deliciis vixistis super terram, et lascivistis: enutristis corda

6 vestra, ut in die epuli. Condemnastis, occidistis
justum: non obsistit vobis.
7 Patiente igitur animo estote, fratres, usque
ad Domini adventum. Ecce, agricola exspectat
pretiosum fructum terræ, patiente animo eum
exspectans, dum accipiat pluviam matutinam et
8 serotinam. Patientes estote et vos, *et* stabilite
corda vestra, quoniam adventus Domini appro-
9 pinquat. Ne suspirate alius adversus alium, fra-
tres, ut ne condemnemini; ecce, judex ante fores
adstat.
10 Sumite, fratres mei, pro exemplari vexationis
ac lenitatis, prophetas qui locuti sunt in nomine
11 Domini. Ecce, beatos prædicamus eos qui tole-
rantes sunt: tolerantiam Job audistis, et finem
Domini vidistis: nam abundat intima misericordia
Dominus et est miserator.
12 Ante omnia vero, fratres mei, ne jurate, ne-
que per cœlum, neque per terram, neque ullum
jusjurandum; sit autem vestrum Est, est, et Non,
non: ne in condemnationem incidatis.
13 Æger est animo quispiam inter vos? oret. Æquo
14 animo est aliquis? psallat. Ægrotat aliquis inter
vos? Advocato presbyteros ecclesiæ, et precen-
tur pro eo, ungentes eum oleo in nomine Do-
15 mini: et preces fidei servabunt laborantem, erige-
que eum Dominus: quod si peccata commiserit,
remittentur ei.
16 Confitemi alii aliis offensas, et precamini alii
pro aliis, ut sanemini: multum *enim* valet de-
17 precatio justi efficax. Elias homo erat iisdem
quibus nos affectibus obnoxius, et ardentissime
oravit ne plueret; et non pluit si per terram an-
18 nos tres et sex menses: et rursum oravit, et cœ-
lum dedit pluviam, et terra produxit fructum suum.
19 Fratres, siquis inter vos aberravit a veritate,

20 et converterit eum quispiam, sciat eum, qui averterit peccatorum ab errore viæ suæ, servaturum animam a morte, et operturum multitudinem peccatorum.

PETRI APOSTOLI EPISTOLA CATHOLICA PRIMA.

1 PETRUS, apostolus Jesu Christi, advenis dispersionis per Pontum, Galatiam, Cappadociam,
2 Asiam, et Bithyniam, electis ex præcognitione Dei Patris ad sanctificationem Spiritus, per obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi: gratia vobis et pax multiplicetur.
3 BENEDICTUS *esto* Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu
4 Christi ex mortuis, *id est*, ad hæreditatem quæ nec corrumpi potest, nec contaminari, nec mar-
5 cescere, vobis in cœlis asservatam, qui patientiæ Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem
6 paratam revelari præstituto tempore ultimo. Qua in re exsultatis, paulum nunc (si oportet) in
7 variis explorationibus tristitia affecti: ut experimentum fidei vestræ multo pretiosius *experimento* auri, quod perit, et tamen per ignem exploratur, inveniatur *vobis esse* laudi, et honori, et gloriæ,
8 quum Jesus Christus revelabitur. Quem quum non videritis, diligitis: in quem, nunc *eum* non videntes, tamen credentes, exsultatis gaudio in-
9 effabili et glorioso: reportantes mercedem fidei
10 vestræ, salutem animarum. De qua salute exquisierunt, et *quam* scrutati sunt prophetæ, qui
11 de *ventura* in vos gratia prophetarunt: scrutan-

tes in quod aut quale tempus prænuncius ille
qui in ipsis *erat* spiritus Christi, declararet *eventuras* Christo perpessiones, et gloriam illas con-
12 secuturam. Quibus revelatum fuit, eos non sibi, sed nobis ea administrare quæ nunc annunciata sunt vobis per eos qui vobis evangelizarunt per emissum e cœlo Spiritum Sanctum, in quæ cupiunt angeli introspicere.
13 Quapropter succincti lumbis mentis vestræ, *et* vigilantes, ad finem usque sperate in eam quæ vobis defertur gratiam, quum revelabitur Jesus
14 Christus. Ut filii obedientes, qui vos non configuretis pristinis, quæ in ignorantia vestra *viguerunt*,
15 cupiditatibus: sed sicut is qui vos vocavit sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conversatione
16 reddamini. Propterea quod scriptum est, Sancti estote, nam ego sanctus sum (Lev. 11, 44).
17 Et, si patrem cognominatis eum, qui citra personarum respectum judicat ex cujusque opere, cum timore versamini commorationis vestræ tem-
18 pore: ut qui sciatis vos non corruptibilibus *rebus*, argento vel auro, fuisse redemptos ex vana
19 illa vestra conversatione, a patribus tradita: sed pretioso sanguine, utpote agni inculpati et in-
20 contaminati, *nempe* Christi: præcogniti quidem ante jacta mundi fundamenta, conspicui vero
21 facti ultimis temporibus propter vos; per eum credentes in Deum, qui suscitavit eum ex mortuis, et gloriam ei dedit, ut fides ac spes vestra in Deo sit.
22 Qui *igitur* animas vestras purificastis, auscultando veritati per spiritum, ad amorem fraternum minime simulatum, ex puro corde alii alios dili-
23 gite intense: regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, *id est*, per sermonem Dei vivi,
24 et manentis in æternum. Nam omnis caro

est ut gramen, et omnis gloria hominis
ut flos graminis: exaruit gramen, et flos
25 ejus decidit: sed verbum Domini manet
in æternum (Es. 40, 6—8): hoc autem est ver-
bum illud quod evangelizatum est vobis.
2 PROINDE deposita omni malitia, et omni dolo,
et simulationibus, et invidentiis, et omnibus ob-
2 trectationibus, ut modo geniti infantes, lac illud
sermonis sincerum expetite, ut per illud auge-
3 scatis: si quidem gustastis quod bonus sit Domi-
4 nus: ad quem accedentes, qui est lapis vivus,
ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum
5 vero electus ac pretiosus; ipsi quoque, veluti
vivi lapides ædificati, fiatis domus spirituales,
sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales
hostias, acceptas Deo per Jesum Christum.
6 Quapropter etiam continetur in scriptura, Ecce,
statuo in Sion lapidem in imo angulo,
electum, pretiosum: in quem qui credit,
7 nequaquam pudefiet (Es. 28, 16). Vobis igi-
tur est honori, qui creditis: non obedientibus au-
tem lapis quem reprobaverunt ædifican-
tes, hic factus est caput anguli (Ps. 118, 22), et
lapis ad quem impingitur, et petra offen-
8 diculi (Es. 8, 14); *nempe* iis qui impingunt non
parendo sermoni, immorigeri, ad quod etiam
9 constituti fuerant. Vos autem *estis* genus ele-
ctum, regale sacerdotium, gens sancta
(Ex. 19, 6), populus quem *sibi Deus* ut proprium
vendicat; ut virtutes prædicetis illius qui vos
vocavit e tenebris in admirabilem suam lucem.
10 Qui quondam *eratis* non populus, nunc *estis*
populus Dei: qui non donati misericordia,
nun estis misericordia donati (Hos. 2, 23).
11 DILECTI, precor ut tanquam inquilini et ad-
venæ, abstineatis a carnalibus cupiditatibus, quæ

12 militant adversus animam. Conversationem vestram retinentes honestam inter gentes: ut pro eo quod obtrectant vobis ut facinorosis, ex bonis operibus *quæ* conspexerint, glorificent Deum in die visitationis.

13 Proinde subjecti estote cuivis humanæ ordi-
14 nationi, propter Dominum: sive regi, ut supereminenti: sive præsidibus, ut qui per eum mittantur tum ad ultionem facinorosorum, tum ad
15 laudem bene agentium: quoniam ita est voluntas Dei, ut bene agendo os obstruatis insipientium
16 hominum ignorantiæ: ut liberi, ac non veluti malitiæ velamen habentes libertatem, sed ut servi
17 Dei. Omnes honorate. Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorate.

18 Servi, subditi estote cum omni timore dominis, non solum bonis et æquis, sed etiam pravis.
19 Hoc enim cedit gratiæ, siquis propter conscien-
20 tiam Dei suffert molestias, injuste afflictus. Quæ enim est gloria, si peccantes et colaphis cæsi, sufferatis? Sed si bene agentes, et *tamen* tolerantes estis, cedit hoc vobis gratiæ apud Deum
21 nam ad hoc etiam vocati estis, quoniam et Christus passus est pro nobis, relinquens nobis ex-
22 emplar, ut subsequamini vestigia ipsius; qui non
23 peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ipsius (Es. 53, 9); qui conviciis affectus, non vicissim conviciabatur, quum pateretur, non minabatur; sed committebat *causam suam* ei qui juste
24 judicat: qui peccata nostra ipsemet sursum tulit (Es. 53, 12) in corpore suo supra lignum illud, ut peccatis mortui, justitiæ viveremus: cu-
25 jus vibicibus sanati estis (Es. 53, 5). Nam eratis velut oves errantes (Es. 53, 6): sed nunc convertistis vos ad pastorem et curatorem animarum vestrarum.

3 Similiter uxores sese subjiciant suis viris: ut
etiam siqui non obediunt sermoni, per uxorum
2 conversationem absque sermone lucrifiant, ubi
spectarint puram vestram conversationem cum
3 timore conjunctam. Quarum ornatus non sit ex-
ternus ille in nodis capillorum, et circumposito
4 auro vel palliorum amictu; sed occultus ille
cordis homo, *situs* in sinceritate lenis ac quieti
5 spiritus, qui est in conspectu Dei pretiosus. Ita
enim olim et sanctæ illæ mulieres quæ spera-
bant in Deum, ornabant sese, subjectæ suis viris:
6 sicut Sara obedivit Abrahæ, dominum eum vo-
cans: cujus factæ estis filiæ, dum bene agitis,
nec timeatis ullam consternationem.
7 Viri similiter, cohabitent, ut scientes decet,
vasi muliebri, ut infirmiori, tribuentes honorem,
utpote quum una etiam hæredes *sitis* gratiæ vitæ,
ne interrumpantur orationes vestræ.
8 DENIQUE omnes *estote* concordes, mutuo mo-
lestiarum sensu affecti, fraterna prædíti charitate,
9 ad intimam misericordiam proni, comes: non
reddentes malum pro malo, aut convicium pro
convicio, sed contra benedicentes; ut qui sciatis
vos ad hoc vocatos esse, ut benedictionem hæ-
10 reditario jure obtineatis. Qui enim vult vi-
tam diligere, et videre dies bonos, desi-
stere faciat linguam suam a malo, et la-
11 bia sua ne loquantur dolum: declinet a
malo, et faciat quod bonum est: quærat
12 pacem, et sectetur eam. Nam oculi Do-
mini *sunt intenti* in justos, et aures ejus
ad deprecationem eorum: vultus vero
Domini adversum eos qui faciunt mala
(Ps. 34, 12–16).
13 Et quis est qui male accipiat vos si bonarum
14 rerum æmulatores fueritis? Sed et si *quid* pa-

timini propter justitiam, beati *tamen estis:* ceterum metu eorum ne metuite, neque turbamini: sed sanctificate Dominum Deum in cordibus vestris (Es. 8, 12. 13). *Estote* semper parati ad respondendum cum lenitate et timore, cuivis petenti a vobis rationem ejus quæ in vobis est spei, conscientiam retinentes bonam. Ut pro eo quod obloquuntur vobis tanquam nocentibus, pudefiant qui incessunt vestram illam in Christo bonam conversationem.

Melius enim *est* ut bene agentes, si ita velit Dei voluntas, *aliquid* patiamini, quam male agentes: nam et Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis; ut nos ad Deum adduceret, morte quidem affectus carne, vivificatus autem spiritu: per quem etiam spiritibus qui *sunt* in carcere prodiens prædicavit, qui olim non paruerunt *sermoni,* quum semel exspectabat ille Dei patiens animus in diebus Noe, quum construeretur arca, in qua paucæ (id est, octo) animæ servatæ sunt in aqua. Cui rei nunc respondens exemplar baptismi nos quoque servat, (non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum,) per resurrectionem Jesu Christi, qui est ad dextram Dei, profectus in cœlum, subjectis ipsi angelis, et potestatibus, ac virtutibus.

Quum igitur Christus passus sit pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armamini, *nempe* quod qui passus est in carne, destitit a peccato; ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod in carne reliquum est temporis, vivat. Sufficit enim nobis præteritum vitæ tempus, quod quæ libebat gentibus patraverimus, quum incessimus in lasciviis, cupiditatibus, vinolentiis, comessationibus, compotationibus,

4 et nefariis simulacrorum cultibus. Quamobrem
illi, non concurrentibus vobis ad eandem luxus
5 profusionem, peregrinari sibi videntur, blasphe-
mantes: qui reddituri sunt rationem ei qui para-
6 tus est ad judicandum vivos et mortuos. Nam
idcirco mortuis quoque prædicatum fuit evange-
lium, ut damnarentur quidem secundum homines,
id est, carne; viverent autem secundum Deum,
id est, spiritu.
7 Omnium autem finis imminet. Estote igitur
8 temperantes et vigilate ad orandum. Ante om-
nia vero charitatem alii in alios intensam haben-
tes; nam charitas operit multitudinem peccatorum.
9 Hospitales *estote* alii erga alios, absque murmu-
10 rationibus. Prout quisque accepit donum, *ita*
alter alteri illud subministrantes, ut boni dispen-
11 satores variæ Dei gratiæ. Siquis loquitur, *loquatur*
ut eloquia Dei; siquis ministrat, *ministret* tan-
quam ex viribus quas suppeditat Deus: ut in om-
nibus glorificetur Deus per Jesum Christum, cui
est gloria et robur in secula seculorum. Amen.
12 DILECTI, ne tanquam peregrini exploratione
illa per ignem quæ fit in vobis ad vestri expe-
rimentum, percellimini, ut si peregrinum aliquid
13 vobis accideret: imo in eo quod consortes estis
afflictionum Christi, gaudete, ut et, quum revela-
14 bitur gloria ipsius, gaudeatis exsultantes. Si male-
dictis afficimini in nomine Christi, beati *estis;*
quoniam et ille gloriæ et ille Dei spiritus super
vos requiescit; *qui* quod ad illos quidem attinet,
blasphematur; quod ad vos autem, glorificatur.
15 Non enim quispiam vestrum *aliquid* patiatur ut
homicida, aut fur, aut maleficus, aut alieni appe-
16 tens. Si vero ut Christianus, ne pudefiat, sed
17 glorificet Deum in hac parte. Nam tempus illud
opportunum *advenit* ut incipiat judicium a domo

Dei: quod si primum *incipit* a nobis, quis erit
18 finis eorum qui non obediunt evangelio Dei? Et,
si justus vix servatur, impius et peccator
19 ubi comparebit (Prov. II, 31)? Itaque etiam ii
qui ex voluntate Dei *aliquid* patiuntur, deponant
apud eum ut fidum conditorem suas ipsorum
animas cum bene agendi studio.

5 PRESBYTEROS qui inter vos sunt, precor
ego una presbyter, ac testis afflictionum Christi,
2 atque idem gloriæ patefaciendæ consors, pascite
Dei gregem qui penes vos est, illius inspectioni
vacantes, non coacte, sed libenter: non turpiter
3 affectantes lucrum, sed prompto animo: neque
ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exempla-
4 ria gregis. Et quum conspicuus factus fuerit
ille pastorum princeps, reportabitis amarantinam
illam gloriæ coronam.

5 Similiter, juniores, subjecti estote senioribus:
et omnes vicissim subjicimini. Submissione animi
estote intus ornati; nam Deus superbis obsistit,
6 submissis autem dat gratiam. Submittite vos
igitur robustæ manui Dei, ut vos tempore præ-
7 stituto extollat; omni sollicitudine vestra in eum
conjecta: nam illi cura est de vobis.

8 Sobrii estote, *et* vigilate; nam adversarius ille
vester diabolus, ut leo rugiens, obambulat, quæ-
9 rens quem absorbeat: cui obsistite firmi per fidem,
ut qui noveritis easdem afflictiones a vestra quæ
in mundo est fraternitate peragi.

10 Ceterum Deus omnis gratiæ *auctor*, qui vo-
cavit vos ad æternam suam gloriam in Christo
Jesu, paulisper *aliquid* passos, is, *inquam*, com
pingat vos, stabiliat, roboret, fundet. Ipsi gloria
11 et robur in secula seculorum. Amen.

12 PER Silvanum vobis fidum fratrem, paucis, ut
puto, scripsi, adhortans *vos*, et testificans hanc

13 esse veram gratiam Dei, in qua statis. Salutat
vos ea quæ est in Babylone vobiscum electa
14 *ecclesia*, et Marcus filius meus. Salutate alii
alios charitatis osculo.

Pax vobis omnibus qui estis in Christo Jesu.
Amen.

PETRI APOSTOLI EPISTOLA
CATHOLICA SECUNDA.

1 SIMON Petrus, servus et apostolus Jesu Christi,
æque pretiosam fidem nobiscum sortitis per ju-
stitiam Dei nostri et servatoris Jesu Christi:
2 Gratia vobis et pax multiplicetur in agnitione
3 Dei et Jesu Domini nostri. Prout divina vis
ipsius omnia nobis donavit quæ ad vitam et pie-
tatem *pertinent*, per agnitionem illius qui vocavit
4 nos ad gloriam ac virtutem: ex eo quod maxima
illa nobis ac pretiosa promissa donavit, ut per
hæc efficeremini divinæ consortes naturæ, elapsi
ex corruptione quæ est in mundo per cupiditatem.
5 Ad hoc ipsum vero *vos*, omni præterea col-
lato studio, adjicite fidei vestræ virtutem, vir-
6 tuti vero notitiam, cognitioni vero continentiam,
continentiæ vero tolerantiam, tolerantiæ vero
7 pietatem, pietati vero fraternum amorem, fra-
8 terno autem amori charitatem. Hæc enim si
vobis adsint, et abundent, non inertes vos nec
infructuosos efficient in Domini nostri Jesu
9 Christi agnitione. Nam cui hæc non adsunt, is
cæcus est, nihil procul cernens, oblitus sese a
10 veteribus peccatis suis fuisse purificatum. Qua-
propter, fratres, potius studete vocationem et
electionem vestram firmam efficere: hæc enim

11 si feceritis, nunquam impingetis: ita enim ample
subministrabitur vobis introitus in æternum re-
gnum Domini nostri et Servatoris Jesu Christi.
12 Quapropter non negligam vos de istis semper
commonefacere, quamvis peritos et stabilitos in
13 præsente veritate. Justum autem duco, quamdiu
sum in hoc tabernaculo, expergefacere vos per
14 submonitionem: quum sciam cito futurum ut de-
ponam tabernaculum meum, sicut Dominus noster
15 Jesus Christus declaravit mihi. Sed et studebo
subinde ut vos possitis post exitum meum facere
horum mentionem.
16 Non enim arte compositas fabulas secuti, no-
tam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi
potentiam et adventum: sed ut qui oculis no-
17 stris aspeximus illius majestatem. Acceperat
enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce
ad eum delata hujusmodi a magnifica illa glo-
ria, Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in
18 quo acquiesco. Et hanc vocem nos audivimus
e cœlo delatam, quum essemus una cum eo in
monte illo sancto.
19 Et habemus firmissimum illum sermonem pro-
pheticum; quem bene facitis quod attendatis,
velut lucernam splendentem in obscuro loco,
usquedum dies illucesceret, et lucifer exoriretur
20 in cordibus vestris: si illud primum noveritis,
nullam prophetiam scripturæ esse propriæ ex-
21 plicationis. Non enim libitu hominis allata est
olim prophetia, sed acti a Spiritu Sancto locuti
sunt sancti Dei homines.
2 Fuerunt autem etiam pseudoprophetæ in po-
pulo, ut etiam inter vos erunt falsi doctores, qui
subintroducent hæreses exitiales, etiam Dominum
qui illos mercatus est abnegantes, accersentes
2 sibi-ipsis celerem perniciem. Et multi sequentur

eorum exitia, per quos via veritatis blasphema-
3 bitur. Et per avaritiam fictis sermonibus vos
negotiabuntur, quibus damnatio jam olim non
otiatur, et quorum exitium non dormitat.
4 Nam si Deus angelis qui peccaverunt non pe-
percit, sed in tartarum detrusos, catenis caligi-
5 nis tradidit, damnationi asservatos: et prisco
mundo non pepercit, sed octavum Noe, justitiæ
præconem, custodivit, diluvio in mundum impi-
6 orum inducto; et civitates Sodomorum ac Go-
morrhæ in cinerem redactas subversione damna-
vit, constituitque ut essent exemplar impie victuris:
7 et justum Lot lasciva nefariorum conversatione
8 fatigatum eruit: (justus enim ille, quum habi-
taret inter eos, indies animam iustam sceleratis
illorum factis, et videndo et audiendo excru-
9 ciabat:) novit Dominus pios e tentatione eripere,
injustos autem in diem judicii pœnas dantes
10 asservare. Maxime vero eos qui carnem sequen-
tes, in cupiditate pollutionis incedunt, et domi-
natum contemnunt, *qui*, *inquam*, *ut sunt* auda-
ces, et sibi placentes, non horrent dignitates
11 probris incessere. Quum ipsi angeli, qui sunt
robore ac potentia majores, non ferant adver-
sus eas apud Dominum maledictionis judicium.
12 At isti, veluti animantia rationis expertia, quæ
naturali impetu feruntur, facta ad eum finem ut
capta intereant, ea vituperantes quæ ignorant,
13 sua ipsorum corruptela interibunt: reportaturi
mercedem injustitiæ, ut qui voluptatem diurnum
luxum ducant, labes ac maculæ, seductionibus
suis sese oblectantes, dum vobiscum epulantur,
14 oculos habentes plenos adulterii, et qui a pec-
cando cessare nesciant, inescantes animas insta-
biles, cor habentes ad avaritiam exercitatum,
15 exsecrandi homines: qui derelicta recta via aber-

rarunt, secuti viam Balaam *filii* Bosor, qui mer.
16 cedem injustitiæ amavit. Sed redargutionem suæ
transgressionis habuit: *nam* subjugis asina muta,
humana voce locuta, inhibuit prophetæ dementiam.
17 Isti sunt fontes aqua carentes, nebulæ a tur-
bine agitatæ, quibus caligo tenebrarum in æter-
18 num servata est. Nam summæ vanitatis plena
loquendo, inescant per carnis cupiditates et lasci-
vias alios, qui vere effugerant eos qui in errore
19 versantur: libertatem eis pollicendo, quum ipsi
servi sint corruptelæ; siquidem a quo quis super-a-
20 tus est, huic etiam est mancipatus. Nam si post-
quam pollutiones mundi per agnitionem Domini
et Servatoris Jesu Christi effugerint, his rursum
implicati superentur, facta est ultima eorum con-
21 ditio deterior priore. Melius enim fuisset eis
non cognovisse viam justitiæ, quam, cognita *illa*,
22 regredi a sancto præcepto sibi tradito. Sed ac-
cidit eis quod vero proverbio dici solet, Canis
reversus est ad suum ipsius vomitum (Prov.
26, 11), et, Sus lota, ad volutabrum cœni.
3 HASCE jam alteras vobis literas scribo, di-
lecti, quibus sinceram mentem vestram per sub-
2 monitionem expergefacio: ut memores sitis ver-
borum, quæ prædicta sunt a sanctis prophetis,
et præcepti illius *dati* nobis apostolis Domini
3 et Servatoris; illud primum scientes, venturos
extremis diebus irrisores, in suis ipsorum cupi-
4 ditatibus incedentes, et dicentes, Ubi est polli-
citatio adventus ejus? nam ex quo *die* patres
obdormierunt, omnia ita permanent ab initio
5 creationis. Illud enim volentes ipsos fugit, cœ-
los jam olim exstitisse per Dei sermonem, et
6 terram ex aqua et in aqua consistentem. Per
quæ is qui tum erat mundus, aqua inundatus
7 periit. Qui vero nunc *sunt* cœli ac terra, eodem

sermone reconditi, asservantur igni in diem damnationis et exitii impiorum hominum.

8 Unum autem hoc ne vos fugiat, dilecti, unum diem apud Dominum *perinde esse* ut mille an-
9 nos, et mille annos ut diem unum. Non tardat Dominus promissionem (ut nonnulli tarditatem *hanc esse* ducunt), sed patiente est in nos animo, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscen-
10 tiam tendere. Veniet autem dies ille Domini sicut fur *venit* noctu, quo *die* cœli cum stridore præteribunt, elementa vero æstuantia solventur, terraque et quæ in ea sunt opera exurentur.

11 Quum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus
12 et pietatis officiis; exspectantes et properantes *ad* adventum diei Dei, in quo cœli conflagrantes
13 solventur, et elementa æstuantia liquescent? Sed cœlos novos ac terram novam secundum promissum ejus exspectamus, in quibus justitia inhabitat.

14 Quapropter, dilecti, quum hæc exspectetis, studete ut incontaminati et inculpabiles ab eo in-
15 veniamini cum pace: Dominique nostri patientem animum salutem ducite, sicut et charus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit
16 vobis: ut in omnibus fere epistolis, loquens de istis, in quibus sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, ut et reliquas scripturas, suo ipsorum exitio.

17 Vos igitur, dilecti, *istorum* præscii quum sitis, cavete ne, illorum nefariorum errore cum illis
18 abducti, excidatis a propria stabilitate. Sed crescite in gratia et notitia Domini nostri et Servatoris Jesu Christi: cui gloria et nunc et ad tempus sempiternum. Amen.

JOANNIS APOSTOLI EPISTOLA CATHOLICA PRIMA.

1 QUOD erat a principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, et manus nostræ contrectarunt de sermone illo vi-
2 tæ: (nam vita illa conspicua facta est: et illam vidimus, et testamur, et annunciamus vobis vitam illam æternam, quæ erat apud Patrem, et
3 conspicua facta est nobis;) quod, *inquam*, vidimus et audivimus, id renunciamus vobis, ut et vos communionem habeatis nobiscum; et communio nostra *sit* cum Patre et cum Filio ejus
4 Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.

5 Hic est igitur nuncius ille, quem audivimus ex ipso, et renunciamus vobis, Deum lucem esse,
6 nec tenebras in eo esse ullas. Si dixerimus nos communionem habere cum eo, et in tenebris
7 ambulamus, mentimur, nec sincere agimus. Quod si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam, et sanguis Jesu Christi Filii ejus purificat nos ab omni peccato.

8 Si dixerimus nos peccatum non habere, nos-
9 ipsos fallimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata, et mundet nos ab
10 omni injustitia. Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum, et sermo ejus non est in nobis.

2 Filioli mei, hæc scribo vobis, ut ne peccetis. Quod siquis peccarit, advocatum apud Patrem
2 habemus, Jesum Christum justum: et ipse est

propitiatio pro peccatis nostris; nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi *peccatis*.

3 Et per hoc scimus quod ipsum novimus, si
4 præcepta ipsius observemus. Qui dicit, Novi eum, et præcepta ejus non observat, mendax
5 est, et in eo veritas non est: qui autem observat sermonem ejus, vere in hoc charitas Dei adimpleta est: per hoc simus nos in ipso esse.
6 Qui dicit se in eo habitare, debet, sicut ille ambulavit, ita et ipse ambulare.

7 Fratres, non novum præceptum scribo vobis, sed præceptum vetus, quod *videlicet* habuistis *jam inde* a principio. Vetus hoc præceptum, sermo ille est quem audivistis *jam inde* a prin-
8 cipio. E contrario præceptum novum scribo vobis, id quod verum est in ipso, et in vobis; quia tenebræ prætereunt, et vera illa lux jam lucet.
9 Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit,
10 in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in luce manet, et offendiculum in eo non
11 est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ oculos ipsius obcæcarunt.

12 Scribo vobis, filioli, quoniam remissa sunt vo-
13 bis peccata propter nomen ejus. Scribo vobis, patres, quoniam nostis eum qui a principio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam malignum
14 illum vicistis. Scribo vobis, pueruli, quoniam nostis Patrem. Scripsi vobis, patres, quoniam nostis eum qui *est* a principio. Scripsi vobis, adolescentes, quia fortes estis, et verbum Dei habitat in vobis, et illum malum vicistis.

15 NE diligite mundum, neque ea quæ in mundo
16 sunt. Siquis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam quicquid est in mundo, cupiditas carnis, et libido oculorum, et fastus

17 vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est. Porro mundus præterit, et cupiditas ipsius; qui vero præstat voluntatem Dei, manet in æternum.

18 Pueruli, ultimum tempus adest; et sicut audivistis antichristum venturum, etiam nunc antichristi multi cœperunt esse; unde scimus ulti-

19 mum tempus adesse. E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: sed *egressi sunt ex nobis*, ut manifestum fieret non omnes esse ex nobis.

20 At vos unctionem habetis a Sancto illo *pro-*

21 *fectam*, et nostis omnia. Non scripsi vobis *id-circo*, quod veritatem nesciatis, sed quoniam eam scitis, et nullum mendacium esse ex veri-

22 tate. Quis est mendax, nisi qui negat Jesum esse Christum illum? et hic est antichristus, qui

23 negat Patrem et Filium. Quisquis negat Filium, nec Patrem habet: qui profitetur Filium, etiam Patrem habet.

24 Quod igitur audivistis a principio, in vobis maneat: si in vobis manserit quod audivistis a principio, vos quoque in Filio et Patre mane-

25 bitis. Hæc autem illa est promissio quam ipse pollicitus est nobis, *nempe* vita illa æterna.

26 Hæc scripsi vobis de iis qui seducunt vos.

27 Sed unctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis; nec necesse habetis a quoquam doceri vos: verum sicut eadem unctio docet vos de omnibus, *quæ* et verax est, et non mendax: et

28 sicut docuit vos, manebitis in eo. Nunc igitur, filioli, manete in eo; ut quum conspicuus factus fuerit, habeamus fiduciam, neque pudefiamus coram eo in ipsius adventu.

29 Si scitis eum justum esse, nostis, quicunque exercet justitiam ex ipso natum esse.

3 VIDETE qualem charitatem dedit nobis Pater,
nempe ut filii Dei vocemur: propterea mundus
2 non novit nos, quia non novit eum. Dilecti,
nunc filii Dei sumus; sed nondum manifestum
factum est quod erimus: scimus autem fore, ut
quum *ipse* manifestus factus fuerit, similes ei
3 simus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et
quisquis habet hanc spem in eo *sitam*, purum
se conservat, sicut et ille purus est.
4 Quisquis dat operam peccato, etiam legem
transgreditur: nam peccatum est quod fit con-
5 tra legem. Et scitis illum patefactum esse ut
peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non
6 esse. Quisquis in eo manet, non peccat: quis-
quis peccat, non vidit eum, neque novit eum.
7 Filioli, nemo vos seducat: qui exercet justitiam,
8 justus est, sicut ille justus est. Qui dat operam
peccato, ex diabolo est; quoniam a principio
diabolus peccat. Ad hoc conspicuus factus est
9 Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Quisquis
natus est ex Deo, peccato non dat operam:
quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest
10 peccare, eo quod ex Deo natus est. Per hoc
manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli: quisquis
non dat operam justitiæ, non est ex Deo, et qui
non diligit fratrem suum.
11 Quoniam hæc est denunciatio quam audivistis
12 a principio, ut diligamus alii alios. Non sicut
Cain, *qui* ex illo maligno erat, et mactavit fra-
trem suum. Cujus autem rei gratia occidit eum?
Quia opera ejus mala erant, fratris autem ejus
13 justa. Ne miramini, fratres mei, si odit vos
14 mundus. Nos scimus nos translatos esse ex
morte ad vitam, quia diligimus fratres: qui non
15 diligit fratrem, manet in morte. Quisquis odit
fratrem suum, homicida est: et nostis nullum

homicidam habere vitam æternam in se manentem.
16 Per hoc novimus charitatem Dei, quod ille animam suam pro nobis deposuit: nos igitur
17 debemus pro fratribus animas ponere. Qui vero habuerit mundanum victum, et viderit fratrem suum cui aliquo sit opus, et clauserit viscera sua coram eo, quomodo charitas Dei manet
18 in eo? Filioli mei, ne diligamus verbo, neque
19 lingua *solum*, sed facto et veritate. Et per hoc cognoscimus nos ex veritate esse, et coram
20 ipso secura reddemus corda nostra. Nam si nos condemnet cor nostrum, nempe potentior
21 est Deus corde nostro, et novit omnia. Dilecti, si cor nostrum nos non condemnet, libertatem *loquendi* habemus apud Deum. Et quic-
22 quid petierimus, accipimus ab eo, quoniam præcepta ejus observamus, et quæ in ipsius
23 conspectu placent facimus. Hoc est igitur ejus præceptum, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, et diligamus alii alios, sicut præcepit
24 nobis. Nam qui observat ejus præcepta, in eo habitat, et ipse in eo: et per hoc novimus eum habitare in nobis, *nempe* ex spiritu quem nobis dedit.

4 DILECTI, ne cuivis spiritui credite, sed probate spiritus, an ex Deo sint; nam multi pseudo-
2 prophetæ venerunt in mundum. Ex hoc cognoscite Dei spiritum: quicunque spiritus profitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo est:
3 at quicunque spiritus non profitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est: sed hic est ille *spiritus* antichristi, quem audistis venturum fuisse, et *qui* jam nunc in mundo est.
4 Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eos: quoniam major est qui est in vobis, quam qui in

5 mundo est. Ipsi e mundo sunt; ideo mundana
6 loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus: qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. Ex hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris.
7 Dilecti, diligamus alii alios: nam charitas ex Deo est: quisquis diligit, ex Deo natus est, et
8 novit Deum. Qui non diligit, non novit Deum:
9 nam Deus est charitas. Per hoc manifesta facta est charitas Dei in nos, quod Filium illum suum unigenitum misit Deus in mundum, ut viva-
10 mus per eum. In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, et miserit Filium suum ut esset propitiatio
11 pro peccatis nostris. Dilecti, si Deus nos ita
12 dilexit, debemus et nos alii alios diligere. Deum nemo conspexit unquam. Si diligamus alii alios, Deus in nobis habitat, et charitas ejus adimpleta
13 est in nobis. Per hoc cognoscimus nos in eo habitare, et ipsum in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis.
14 Nos vero spectavimus et testamur Patrem mi-
15 sisse Filium, qui esset Servator mundi. Quisquis professus fuerit Jesum esse Filium Dei,
16 Deus in eo habitat, et ipse in Deo. Et nos cognovimus et credidimus charitatem quam habet Deus erga nos. Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in
17 eo. Per hoc adimpletur charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii; quod qualis
18 ille est, *tales* et nos sumus in hoc mundo. Metus non est in charitate: sed integra charitas foras ejicit metum; quoniam metus cruciatum habet. Qui autem metuit, non est consummatus
19 charitate. Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos.

20 Siquis dixerit, Diligo Deum, et fratrem suum
oderit, mendax est. Qui enim non diligit fra-
trem suum quem vidit, Deum, quem non vidit,
21 quomodo potest diligere? Et hoc præceptum
habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat
etiam et fratrem suum.

5 Quisquis credit Jesum esse Christum illum,
ex Deo genitus est: et quisquis diligit eum qui
genuit, diligit etiam eum qui ex eo genitus est.
2 Per hoc cognoscimus nos diligere filios Dei,
quum Deum diligimus et præcepta ejus obser-
3 vamus. Hæc est enim charitas Dei, ut præce-
pta ejus observemus: et præcepta ejus gravia
4 non sunt. Quoniam quicquid natum est ex Deo,
vincit mundum: et hæc est victoria quæ vicit
5 mundum, *nempe* fides nostra. Quis est qui vincit
mundum, nisi qui credit Jesum esse Filium Dei?
6 Hic ille est qui venit per aquam et sangui-
nem, *nempe* Jesus Christus; non per aquam
solum, sed per aquam et sanguinem: et spiritus
is est qui testificatur spiritum veritatem esse.
7 Nam tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater,
Sermo, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt.
8 Et tres sunt qui testificantur in terra, spiritus,
et aqua, et sanguis: et hi tres in unum consen-
9 tiunt. Si testimonium hominum accipimus, testi-
monium Dei majus est: nam hoc est testimonium
10 Dei, quod testificatus est de Filio suo. Qui cre-
dit in Filium Dei, habet testimonium in seipso:
qui non credit Deo, mendacem eum fecit, quia
non credidit testimonio quod testificatus est Deus
11 de Filio suo. Est autem hoc testimonium, *nempe*
quod vitam æternam dedit nobis Deus; et hæc
12 vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet
vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non
habet.

13 Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen Filii
Dei; ut sciatis vos vitam æternam habere, et ut
14 credatis in nomen Filii Dei. Et hæc est fiducia
quam apud Deum habemus, ipsum, siquid petie-
rimus secundum voluntatem ejus, nos audire.
15 Quod si scimus eum audire nos, quicquid pe-
tierimus, scimus nos habere petitiones quas ab
eo petiimus.
16 Siquis viderit fratrem suum peccare peccato
quod non *est* ad mortem, petet, et dabit ei vi-
tam: peccantibus *dico* non ad mortem. Est pec-
catum ad mortem: non pro illo dico ut roget.
17 Omnis injustitia peccatum est: sed est peccatum
quod non *est* ad mortem.
18 Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non
peccat: sed qui genitus est ex Deo, conservat
19 seipsum, et malignus ille non attingit eum. Sci-
mus nos ex Deo esse, et mundum totum in illo
20 malo jacere. Sed scimus Filium Dei venisse, et
dedisse nobis mentem, ut cognoscamus verum il-
lum; et sumus in vero illo, *id est*, in ejus Filio Jesu
Christo: hic est verus ille Deus, et vita illa æterna.
21 Filioli, cavete vobis ab idolis. Amen.

JOANNIS APOSTOLI
EPISTOLA SECUNDA.

1 PRESBYTER electæ dominæ, et liberis ejus,
quos ego vere diligo, nec ego solus, sed et om-
2 nes qui norunt veritatem; propter veritatem quæ
habitat in nobis, et nobiscum erit in æternum.
3 Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo
Patre et a Domino Jesu Christo, Filio Patris,
cum veritate et charitate.

4 Gavisus sum valde, quod invenerim ex filiis tuis qui sincere ambulent, sicut mandatum accepimus a Patre.
5 Et nunc rogo te, domina, non ut præceptum novum scribens tibi, sed quod habuimus a prin-
6 cipio, ut diligamus alii alios. Hæc autem est charitas, ut ambulemus secundum præcepta ipsius. Hoc est præceptum illud, sicut audistis a prin-
7 cipio, ut in eo ambuletis. Nam multi impostores ingressi sunt in mundum, qui non profitentur Jesum Christum venisse in carne. Hic ille
8 est impostor et antichristus. Respicite vosipsos, ne perdamus quæ egimus, sed ut mercedem plenam recipiamus.
9 Quisquis transgreditur, nec permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina Christi, hic et Patrem et Filium habet.
10 Siquis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec Ave ei dicite.
11 Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malis.
12 Quum multa haberem vobis scribenda, nolui per chartam et atramentum; sed spero *me* venturum ad vos, et præsentem præsentibus locuturum, ut gaudium nostrum sit completum.
13 Salutant te filii sororis tuæ electæ. Amen.

JOANNIS APOSTOLI
EPISTOLA TERTIA.

1 PRESBYTER Gaio dilecto, quem ego vere diligo.
2 DILECTE, imprimis opto, ut prospere agas et

3 valeas, sicut prospere agit anima tua. Gavisus
sum enim valde quum venirent fratres, et testi-
ficarentur sinceritatem tuam, prout tu sincere
4 ambulas. Majus istis gaudium non habeo, quum
videlicet audio filios meos sincere ambulare.
5 Dilecte, fideliter agis quicquid facis erga fra-
6 tres, et erga peregrinos, qui testimonio suo com-
mendarunt charitatem tuam in conspectu eccle-
siæ; quos recte facies si prosecutus fueris Deo
7 convenienter. Nam pro nomine ejus excesserunt,
8 ex gentibus nihil accipientes. Nos ergo debe-
mus excipere hujusmodi, ut una operam impen-
damus veritati.
9 Scripsi ecclesiæ: sed qui primatum inter eos
10 ambit Diotrephes, non admittit nos. Propterea,
si venero, memoriam renovabo ipsius facinorum
quæ facit, sermonibus malis garriens in nos:
quique etiam his non contentus, neque ipse ad-
mittit fratres, et volentes *admittere* prohibet, et
ex ecclesia ejicit.
11 Dilecte, ne imitare quod malum est, sed quod
bonum est: qui bene agit, ex Deo est; qui au-
12 tem male agit, non vidit Deum. Demetrio testi-
monium redditum est ab omnibus, et ab ipsa
veritate; sed et nos testimonium perhibemus: et
nostis testimonium nostrum verum esse.
13 Multa possem scribere, sed nolo per atramen-
14 tum et calamum tibi scribere. Spero autem fore
ut statim te videam, et *tunc* coram loquemur.
15 Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos
nominatim.

JUDÆ APOSTOLI
EPISTOLA CATHOLICA.

1 JUDAS, Jesu Christi servus, frater autem
Jacobi, vocatis a Deo Patre sanctificatis, et Jesu
2 Christo asservatis: misericordia vobis, et pax,
et charitas, multiplicetur.
3 DILECTI, quum omne studium adhibeam, ut
scribam ad vos de communi salute, necesse ha-
bui vobis scribere, ad vos hortandos ut decer-
tetis pro fide quæ semel tradita est sanctis.
4 Nam subrepserunt quidam homines, jam olim
præscripti ad hanc damnationem, impii, qui Dei
nostri gratiam transferunt ad lasciviam, et solum
illum herum Deum ac Dominum nostrum Jesum
Christum negant.
5 Volo autem vos *istorum* commonefacere, ut
qui semel hoc sciatis, Dominum, quum populum
ex Ægypto liberasset, rursus eos qui non credi-
6 derant perdidisse. Et angelos qui non serva-
runt suam originem, sed reliquerunt suum domi-
cilium, judicio magni illius diei vinculis æternis
7 sub caligine servasse. Sicut Sodoma et Go-
morrha, et his finitimæ civitates simili modo
atque illæ scortatæ, et carnem alteram sectatæ,
propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam
8 sustinentes. Similiter tamen et isti sopiti car-
nem quidem polluunt, dominatum vero asper-
9 nantur, et dignitates maledictis incessunt. At
Michael archangelus ille, quum adversus diabo-
lum altercans, disceptaret de corpore Mosis,
non ausus est illi impingere notam maledicti,
10 sed dixit, Increpet te Dominus. At isti, quæ-
cunque non noverunt, vituperant: quæcunque
vero naturaliter, ut animantia rationis expertia,

11 sciunt, in iis sese corrumpunt. Væ ipsis! nam viam Cain ingressi sunt, et deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effusi sunt, et contradictione Core perierunt.

12 Hi sunt in agapis vestris maculæ instar, dum vobiscum epulantur, secure seipsos pascentes, nubes aqua carentes, ventis circumactæ, arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis emortuæ, eradicatæ;
13 undæ maris efferatæ, despumantes sua ipsorum dedecora, stellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum servata est.

14 Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adamo Enochus, dicens, Ecce, venit Dominus
15 cum sanctis millibus suis, ut ferat judicium adversus omnes, et redarguat quicunque ex ipsis sunt impii, de factis omnibus quæ impie patrarint, deque omnibus duris quæ locuti fuerint adversus ipsum peccatores impii.

16 Hi sunt murmuratores, queruli, in cupiditatibus suis incedentes: et quorum os loquitur prætumida,
17 admirantes personas utilitatis gratia. Vos autem, dilecti, memores estote verborum illorum quæ prædicta fuerunt ab apostolis Domini nostri Jesu
18 Christi. Quod *videlicet* dixerunt vobis, in extremo tempore futuros irrisores, qui in impiis
19 suis cupiditatibus incederent. Hi sunt qui seipsos segregant, animales, Spiritum non habentes.

20 Vos autem, dilecti, sanctissimæ vestræ fidei superstruentes vosipsos, per Spiritum Sanctum
21 orantes, vosipsos in charitate Dei conservate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu
22 Christi in vitam æternam. Et alios quidem, habito
23 delectu, commiseramini: alios vero metu servate, ex flamma rapientes, odio habentes vel eam tunicam quæ a carnis contactu sit maculata.

24 Ceterum ei qui potest vos custodire a lapsu

immunes, et statuere in conspectu gloriæ suæ inculpabiles cum exsultatione, *id est*, soli sapienti Deo Servatori nostro, gloria *esto* et magnificentia, robur et potestas, et nunc et in omnia secula. Amen.

JOANNIS THEOLOGI

APOCALYPSIS.

1 APOCALYPSIS Jesu Christi, quam dedit ipsi Deus, ut indicaret servis suis quæ oporteat fieri cito: *is* vero missam per angelum suum servo
2 suo Joanni significavit: qui testificatus est sermonem Dei, et testimonium Jesu Christi, et quæ-
3 cunque vidit. Beatus qui legit, et *beati* qui audiunt verba prophetiæ hujus, et observant ea quæ in ea scripta sunt: præstitutum enim tempus illud prope est.
4 JOANNES septem ecclesiis quæ sunt in Asia: gratia *sit* vobis et pax a Qui est, et Qui erat, et Qui venturus est; et a septem spiritibus qui
5 in conspectu throni ejus sunt: et a Jesu Christo, *qui est* fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis, ac princeps regum terræ: qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris per sangui-
6 nem suum; et *qui* fecit nos reges et sacerdotes Deo et Patri suo: ei *sit* gloria et robur in secula seculorum. Amen.
7 Ecce, venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt: et plangent coram eo omnes tribus terræ: etiam, Amen.
8 Ego sum *A* et *Ω*, *id est*, principium et finis, dicit Dominus, *id est*, Qui est, et Qui erat, et Qui venturus est, ille, *inquam*, omnipotens.

9 Ego Joannes, *qui* et frater vester *sum*, et socius in afflictione, et in regno, et patiente exspectatione Jesu Christi, eram in insula quæ vocatur Patmos, propter sermonem Dei et testi-
10 monium Jesu Christi. Fui *autem* spiritu correptus die Dominico, et audivi a tergo vocem
11 magnam, tanquam tubæ, dicentis, Ego sum *A* et *Ω*, primus ille et ultimus: et, Quod cernis, scribe in libro, et mitte septem ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, et Sardibus, et Philadelphiæ, et Laodiceæ.
12 Converti me igitur ut viderem vocem quæ locuta erat mecum. Conversus autem vidi septem
13 candelabra aurea: et in medio septem candelabrorum aureorum *quendam* similem Filio hominis, indutum talari *veste*, et præcinctum ad ma-
14 millas zona aurea: caput autem ejus et capilli *erant* candidi ut lana alba, tanquam nix; et
15 oculi ejus ut flamma ignis; pedes autem ejus similes chalcolibano, veluti in fornace ardentes, et vox illius tanquam vox aquarum multarum.
16 Habebat autem in dextra sua manu stellas septem: et ex ore ejus anceps romphæa acuta prodibat; et facies ejus *erat* qualis sol in suo vigore lucet.
17 Quum autem vidissem eum, cecidi ad pedes ejus veluti mortuus: tum imposuit mihi dextram suam manum, dicens mihi, Ne metue; ego sum
18 primus ille et ultimus ille, et qui vivo, sed fui mortuus; et ecce, vivo in secula seculorum, Amen:
19 et habeo claves inferorum et mortis. Scribe quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ posthæc sunt futura.
20 Mysterium septem illarum stellarum quas vidisti in dextra mea, et septem illa candelabra aurea. Septem illæ stellæ angeli sunt septem ecclesiarum: et candelabra illa septem quæ vidisti, **septem ecclesiæ sunt.**

2 ANGELO Ephesinæ ecclesiæ scribe, Hæc dicit qui tenet septem illas stellas in dextra sua,
qui ambulat inter septem illa candelabra aurea:
2 Novi opera tua, et laborem tuum, et patientiam
tuam, et quod non possis ferre malos: et exploraris eos qui se dictitant apostolos esse, et
3 non sunt, et comperisti eos *esse* mendaces; et
onere pressus fuisti, et toleras: et propter nomen meum laborasti, et non es defatigatus.
4 Sed habeo *aliquid* adversum te, quod charita-
5 tem tuam primam omiseris. Memor esto itaque unde excideris, et resipisce, et priora opera facito: sin minus, veniam adversum te cito, et movebo candelabrum tuum a loco suo, nisi resi-
6 pueris. Sed hoc habes, quod odisti facta Nico-
7 laitarum, quæ et ego odi. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis: Victori dabo edere ex arbore illa vitæ quæ est in medio paradisi Dei.

8 ANGELO vero Smyrnæorum ecclesiæ scribe, Hæc dicit primus ille et ultimus ille, qui fuit
9 mortuus, et vivit: Novi opera tua, et afflictionem, et paupertatem, (sed dives es,) et blasphemiam eorum qui se dicunt Judæos esse, et non
10 sunt, sed synagoga Satanæ. Nihil eorum metue quæ passurus es: ecce, futurum est ut conjiciat diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut exploremini: et habebitis afflictionem dierum decem: esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi
11 coronam vitæ. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis. Qui vicerit, nequaquam lædetur a morte secunda.

12 ANGELO vero Pergamensis ecclesiæ scribe, Hæc dicit qui habet romphæam illam ancipitem,
13 acutam illam: Novi opera tua, et ubi habites, *nempe* ubi thronus est Satanæ; et *quod* retineas

nomem meum, neque negasti fidem meam, etiam
iis diebus quibus Antipas martyr ille meus fide-
lis *vivebat*, qui trucidatus est apud vos, ubi Sa-
14 tanas habitat. Sed habeo adversum te pauca,
quod habeas istic qui teneant doctrinam Balaami,
qui docebat Balacum objicere offendiculum co-
ram filiis Israelis, ut ederent ex iis quæ simu-
15 lacris erant immolata, et *ut* scortarentur. Ita
habes etiam tu qui teneant doctrinam Nicolai-
16 tarum, quod odi. Resipisce: sin minus, veniam
adversum te cito, et pugnabo cum illis gladio
17 illo oris mei. Qui habet aurem, audiat quid
Spiritus dicat ecclesiis. Ei qui vicerit, tribuam
ut edat ex manna illo occulto, et dabo illi cal-
culum album, et in calculo nomen novum scri-
ptum, quod nemo novit nisi qui accipit.
18 Angelo vero Thyatirensis ecclesiæ scribe,
Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam
flammam ignis, et cujus pedes *sunt* similes chal-
19 colibano: Novi opera tua, et charitatem, et sub-
ministrationem, et fidem, et patientiam tuam, et
20 opera tua, et ultima plura prioribus. Sed ha-
beo adversus te pauca, quod permittis mulierem
Jezabel, quæ se dicit prophetissam, docere et
seducere servos meos, ut scortentur, et edant
21 ex iis quæ simulacris immolantur. Et dedi illi
tempus, ut resipisceret a scortatione sua: sed
22 non resipuit. Ecce, ego abjiciam eam in lectum,
et eos qui adulterium committunt cum ea in
afflictionem magnam, nisi resipuerint ab operi-
23 bus suis. Et filios ejus occidam morte: et cogno-
scent omnes ecclesiæ me esse scrutatorem renum
et cordium: et dabo unicuique vestrum secun-
24 dum opera vestra. Vobis autem dico, et reli-
quis Thyatirensibus, Quicunque non tenetis doctri-
nam hanc, et qui non approbastis profunditates

Satanæ, ut aiunt; non imponam vobis aliud
25 onus. Tamen id quod habetis retinete quous-
26 que veniam. Nam siquis vicerit, et observa-
verit ad finem usque opera mea, dabo ei aucto-
27 ritatem inter gentes: et reget eas virga ferrea,
sicut vasa fictilia conteruntur, sicut et ego ac-
28 cepi a Patre meo: et dabo ei stellam matutinam.
29 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ec-
clesiis.

3 ANGELO autem ecclesiæ quæ est Sardibus
scribe, Hæc dicit qui habet septem illos spiri-
tus Dei, et septem illas stellas. Novi opera
tua, *nempe* quod dicaris vivere, sed mortuus es.
2 Esto vigilans, et stabili reliqua moribunda; non
enim inveni opera tua plena in conspectu Dei.
3 Memento igitur quæ acceperis et audieris, et
observa *illa*, et resipisce. Quod si non vigila-
veris, veniam adversum te tanquam fur, neque
4 intelliges qua hora veniam adversum te. Habes
tamen aliquot capita etiam Sardibus, quæ non
inquinarunt vestimenta sua, ideoque ambulabunt
5 mecum albati; digni enim sunt. Qui vicerit,
amicietur vestimentis albis: neque unquam de-
lebo nomen ejus ex libro vitæ, sed agnoscam
nomen ejus in conspectu Patris mei, et in con-
6 spectu angelorum ejus. Qui habet aurem, audiat
quid Spiritus dicat ecclesiis.

7 ANGELO vero Philadelphiensis ecclesiæ scribe,
Hæc dicit Sanctus et Verax ille, qui habet cla-
vem Davidis, qui aperit, et nemo claudit, et
8 claudit, et nemo aperit: Novi opera tua: ecce,
proposui in tuo conspectu ostium apertum, nec
quisquam potest illud claudere: quia nonnullam
habes virtutem, et servasti sermonem meum, ne-
9 que abnegasti nomen meum. Ecce, præbebo eos
qui sunt ex synagoga Satanæ, *id est*, eorum qui

dicunt se Judæos esse, nec sunt, sed mentiuntur; ecce, *inquam*, faciam ut ipsi veniant et adorent ante pedes tuos, et sciant quod ego dilexi te:
10 quoniam servasti sermonem tolerantiæ meæ, ego quoque te servabo ex tempore explorationis, quod venturum est in orbem universum, ad ex-
11 plorandos incolas terræ. Ecce, venio cito; retine quod habes, ut nemo accipiat coronam
12 tuam. Qui vicerit, faciam ut is sit columna in templo Dei mei, nec foras egredietur amplius: et inscribam ei nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, *id est*, novæ Hierosolymæ, quæ descendit e cœlo a Deo meo, et nomen meum
13 novum. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.

14 ANGELO vero Laodicensium ecclesiæ scribe, Hæc dicit Amen, testis ille fidelis et verax,
15 principium opificii Dei: Novi opera tua, *nempe* te neque frigidum esse, neque fervidum: utinam
16 frigidus esses aut fervidus. Itaque, quoniam tepidus es, nec frigidus nec fervidus, futurum
17 est ut te evomam ex ore meo. Nam dicis, Dives sum, et ditatus sum, et nulla re mihi est opus. Neque nosti te esse ærumnosum, et miserabilem, et pauperem, et cæcum, et nudum.
18 Consilium do tibi, ut emas a me aurum igni exploratum, ut dives fias: et vestimenta alba, ut induaris, nec manifesta fiat pudenda nuditas tua; et collyrio inungas oculos tuos, ut videas.
19 Ego, quoscunque amo, arguo et castigo: ferve
20 igitur *mei* studio, et resipisce. Ecce, sto ad ostium, et pulso: siquis audierit vocem meam, et aperuerit ostium, ingrediar ad eum, et cœnabo
21 cum eo, et ipse mecum. Qui vicerit, tribuam ei ut sedeat mecum in throno meo, ut et ego vici, et sedeo cum Patre meo in throno ejus.

22 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.

4 POSTEA aspexi, et ecce, ostium *erat* apertum in cœlo: et vox prima, quam audiveram tanquam tubæ loquentis mecum, dicebat, Ascende huc, et ostendam tibi quæ oporteat fieri posthac.

2 Statim igitur fui correptus spiritu; et ecce, thronus positus erat in cœlo, et *quidam* throno
3 insidebat. Is autem qui sedebat, aspectu similis erat lapidi jaspidi et sardio; et in circuitu illius
4 throni *erat* iris aspectu similis smaragdo. Et in circuito throni *erant* throni vigintiquatuor, et super eos thronos vidi vigintiquatuor seniores sedentes, amictos vestibus albis, et habentes im-
5 positas capitibus suis coronas aureas. Prodibant autem ex illo throno fulgura, et tonitrua, et voces; et septem lampades igneæ ardentes ante thronum, quæ sunt septem illi spiritus Dei.
6 Erat etiam ante thronum mare vitreum simile crystallo: et inter thronum, et quæ thronum ambiebant, quatuor animalia plena oculis ante
7 et retro. Animal autem primum erat simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem velut homo, et quartum
8 animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia singula per se habebant alas senas in circuitu, et intus plena erant oculis, die ac nocte sine intermissione dicentia,

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus ille omnipotens, Erat, et Est, et Venturus est.

9 Et quum tribuebant illa animalia gloriam, et honorem, et gratiarum actionem ei qui throno insidebat, illi, *inquam* viventi in secula secu-
10 lorum, procidebant vigintiquator illi seniores in conspectu illius insidentis throno, et adorabant

illum viventem in secula seculorum, et abjiciebant coronas suas ante thronum, dicentes,

11 Dignus es, Domine, quia accipias gloriam, et honorem, et virtutem: quia tu condidisti omnia, et per voluntatem tuam sunt, et creata sunt.

5 DEINDE vidi ad dextram ejus qui insidebat throno librum scriptum intus et a tergo, obsi-
2 gnatum sigillis septem. Et vidi angelum validum, prædicantem voce magna, Quis est dignus
3 qui aperiat librum et solvat ejus sigilla? Nemo autem poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subter terram, aperire librum, neque eum
4 inspicere. Flebam igitur ego multum, quod nemo dignus inventus esset qui aperiret et legeret
5 librum, nec qui eum inspiceret. Tum unus ex senioribus illis dicit mihi, Ne fleto; ecce, vicit Leo ille ex tribu Juda, stirps illa Davidis, ut aperiat librum, et solvat septem ejus sigilla.

6 Aspexi igitur, et ecce, inter illum thronum, et quatuor illa animalia, et inter seniores illos, Agnus stans tanquam mactatus, habens cornua septem et oculos septem, qui sunt septem illi
7 spiritus Dei emissi in omnem terram. Is venit et accepit librum ex dextra illius qui throno illi insidebat.

8 Quumque accepisset librum, quatuor illa animalia et vigintiquatuor illi seniores prociderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas suffituum, quæ sunt orationes
9 sanctorum. Et cecinerunt canticum novum, dicentes,

Dignus es qui accipias librum, et aperias ejus sigilla: quoniam mactatus es; et redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione:

10 Et fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes, et regnabimus in terra.
11 Tum aspexi, et audivi in circuitu illius throni, et animalium, et seniorum illorum, vocem angelorum multorum: et erat eorum numerus millies
12 centenorum millium, et decies centenorum millium: dicentium voce magna,
Dignus est Agnus ille mactatus, qui accipiat potestatem, et divitias, et sapientiam, et vires, et honorem, et gloriam, et benedictionem.
13 Sed et res omnes conditas quæ in cœlo sunt, et quæ in terra, et sub terra, et in mari, et quæ in eis sunt omnia, audivi dicentes,
Ei qui insidet throno et Agno benedictio, et honor, et gloria, et robur, in secula seculorum.
14 Quatuor autem animalia illa dicebant, Amen: et vigintiquatuor illi seniores prociderunt in facies suas, et adorarunt eum qui vivit in secula seculorum.
6 POSTEA aspexi, quum aperuisset Agnus primum ex sigillis, et audivi unum ex quatuor illis
2 animalibus dicens, tanquam vocem tonitrui, Veni, et aspice. Aspexi igitur, et ecce, *aderat* equus albus; et qui insidebat ei habebat arcum: et data est ei corona, et prodiit vincens, et ut vinceret.
3 Quumque aperuisset sigillum secundum, audivi
4 secundum animal dicens, Veni, et aspice. Et prodiit alius equus rufus: et sedenti in eo datum est ut tollat pacem e terra, et ut alii alios mactent, datusque est ei gladius magnus.
5 Et quum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal dicens, Veni, et aspice. Aspexi igitur, et ecce, equus niger *aderat:* et qui insi-
6 debat ei, habebat stateram in manu sua. Et

audivi vocem inter illa quatuor animalia dicentem, Chœnix tritici denario, et tres chœnices hordei denario: et vinum et oleum ne læseris.

7 Quumque aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentem, Veni, et aspice.
8 Tum vidi, et ecce, *aderat* equus pallidus, et ejus qui insidebat ei nomen erat Mors; et Infernus sequebatur eum: datumque est eis in quadrantem terræ jus occidendi gladio, et fame, et morte, et per terrestres feras.
9 Quum vero aperuisset sigillum quintum, vidi sub altari animas eorum qui mactati fuerant propter verbum Dei, et propter testimonium
10 quod tuebantur. Clamabant autem voce magna, dicentes, Usquequo, Domine, qui sanctus es et verax, non judicas ac vindicas sanguinem nostrum, *eum reposcendo* ab iis qui habitant in
11 terra? Tum datæ sunt singulis stolæ albæ; et dictum est eis, ut requiescerent adhuc paululum temporis, usquequo compleantur etiam conservi eorum, et fratres eorum, qui occidendi sunt, sicut et ipsi.
12 Deinde aspexi, quum aperuisset sigillum sextum, et ecce, terræmotus magnus factus est: et sol factus est niger ut saccus cilicinus, et luna
13 tota facta est ut sanguis: et stellæ cœli ceciderunt in terram, sicut ficus abjicit grossos suos
14 quum vento magno concutitur. Et cœlum abscessit sicut liber qui convolvitur, et omnes
15 montes et insulæ e suis locis emotæ sunt: et reges terræ et optimates, et divites, et tribuni, et potentes, omnesque tum servi, tum ingenui, occultarunt se in speluncis et in petris mon-
16 tium; et dixerunt montibus et petris, Cadite in nos, abscondite nos a conspectu ejus qui insidet

17 throno, et ab ira Agni: nam veniet dies ille
magnus iræ illius: et quis poterit stare?
7 POSTEA vidi quatuor angelos insistentes qua-
tuor angulis terræ, retinentes quatuor ventos terræ,
ne flaret ventus super terram, neque super mare,
2 neque supra ullam arborem. Et vidi alium an-
gelum ascendentem ab ortu solis, habentem si-
gillum Dei vivi; qui acclamavit voce magna qua-
tuor illis angelis, quibus datum est lædere terram
3 et mare, dicens, Ne lædite terram, neque mare,
neque arbores, quousque obsignaverimus servos
Dei nostri in frontibus suis.
4 Et audivi numerum obsignatorum; centum
quadragintaquatuor millia *erant* obsignata ex
5 omnibus tribubus filiorum Israelis. Ex tribu
Judæ, duodecies mille obsignata: ex tribu Rube-
nis, duodecies mille obsignata: ex tribu Gadis,
6 duodecies mille obsignata: ex tribu Aseris, duo-
decies mille obsignata: ex tribu Nephthalimi,
duodecies mille obsignata: ex tribu Manassæ,
7 duodecies mille obsignata: ex tribu Simeonis,
duodecies mille obsignata: ex tribu Levi, duo-
decies mille obsignata: ex tribu Issacharis,
8 duodecies mille obsignata: ex tribu Zabulonis,
duodecies mille obsignata: ex tribu Josephi,
duodecies mille obsignata: ex tribu Benjamini,
duodecies mille obsignata.
9 Postea vidi, et ecce, *aderat* turba multa, quam
numerare nemo possit, ex omnibus gentibus, et
tribubus, et populis, et linguis: stabantque ante
thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis
10 albis, et *erant* palmæ in manibus eorum: et cla-
mabant voce magna, dicentes,
Salus a Deo nostro *est*, sedente in throno,
et Agno.
11 Omnes autem angeli stabant in circuitu throni,

et seniorum, et quatuor animalium illorum, et procubuerunt ante thronum in facies suas, et
12 adorarunt Deum, dicentes:

Amen: benedictio, et gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et potentia, et robur Deo nostro in secula seculorum. Amen.

13 Tum *me* compellavit unus ex illis senioribus, dicens mihi, Isti qui amicti sunt stolis albis, quinam sunt, et unde venerunt? Et dixi ei,
14 Domine, tu nosti. Et dixit mihi, Hi sunt, qui venerunt ex afflictione illa magna, et laverunt stolas suas ac dealbarunt in sanguine Agni illius.
15 Ideo sunt ante thronum illum Dei, et colunt eum die ac nocte in templo ejus: et is qui in-
16 sidet illi throno proteget eos umbraculo. Non esurient amplius, neque sitient amplius, nec in
17 eos cadet sol, neque ullus æstus. Quoniam Agnus qui in medio throni est pascet eos, et viæ dux erit ipsis ad vivos fontes aquarum: et abstersurus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

8 PORRO, quum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo fere per semihoram.

2 Et vidi septem illos angelos qui adstant in conspectu Dei, quibus datæ sunt septem tubæ.
3 Tum alius angelus venit, et stetit apud aram, habens thuribulum aureum: et dati sunt ei suffitus multi, ut offerret cum orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est
4 ante thronum. Ascendit autem fumus suffituum cum precibus sanctorum e manu angeli ad con-
5 spectum Dei. Deinde accepit angelus thuribulum, et implevit illud ex igne altaris, abjecitque in terram; et facta sunt tonitrua, et voces,

6 et fulgura, et terræmotus. Et septem angeli,
qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut
clangerent.
7 Primus igitur angelus clanxit, et facta est
grando et ignis, mista sanguine, projectaque
sunt in terram: et tertia pars arborum exusta
est, et omne gramen viride exustum.
8 Deinde secundus angelus clanxit, et quasi mons
magnus igne ardens projectus est in mare: facta-
9 que est tertia pars maris sanguis. Et mortua
est tertia pars creaturarum quæ erant in mari,
animantia *dico*, et tertia pars navium periit.
10 Tum angelus tertius clanxit, et cecidit e cœlo
stella magna, ardens velut lampas, ceciditque
in tertiam partem fluminum, et in fontes aqua-
11 rum. Nomen autem stellæ dicitur Absinthium:
versa est igitur tertia pars aquarum in absin-
thium, et multi homines mortui sunt ex aquis,
quod amaræ factæ essent.
12 Deinde quartus angelus clanxit, et percussa
est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et
tertia pars stellarum: ita ut obscuraretur tertia
pars eorum, et diei non luceret pars tertia, et
noctis similiter.
13 Et vidi, et audivi unum angelum volantem
per medium cœli, dicentem voce magna, Væ,
væ, væ incolis terræ a reliquis sonis tubæ trium
illorum angelorum qui clangent!
9 Tum quintus angelus clanxit, et vidi stellam
e cœlo cecidisse in terram; et data est ei *an-*
2 *gelo* clavis putei abyssi. Aperuit igitur puteum
abyssi; et ascendit fumus ex puteo, ut fumus
fornacis magnæ; et obscuratus est sol et aer a
3 fumo putei. Ex fumo autem exierunt locustæ
in terram: datumque est eis licere quod licet
4 terrestribus scorpiis. Sed ipsis est dictum, ne

læderent gramen terræ, neque viride quicquam, neque ullam arborem, sed tantum homines qui
5 non haberent signum Dei in frontibus suis. Datum autem est eis, non ut occidant eos, sed ut torqueantur menses quinque, *sit*que tormentum eorum ut tormentum scorpii quum percusserit
6 hominem. Itaque per eos dies homines quærent mortem, et non invenient eam; et cupient mori, et fugiet mors ab eis.

7 Figuræ vero locustarum similes *erant* equis paratis ad prœlium: *erant*que impositæ capitibus earum tanquam coronæ similes auro, et fa-
8 cies earum ut facies hominum. Et habebant capillos ut capillos mulierum, et dentes earum
9 ut leonum erant: habebant etiam loricas ut loricas ferreas; et sonitus alarum ipsarum ut sonitus curruum, equis multis currentibus ad bel-
10 lum. Sed et habebant caudas similes scorpionum, erantque aculei in caudis earum: et earum potestas *erat* nocere hominibus menses quinque.
11 Habebant autem sibi impositum regem, angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce vero Apollyon, *id est, disperdens.*

12 Væ unum abiit, et ecce, veniunt adhuc duo væ postea.

13 Tum sextus angelus clanxit, et audivi vocem quandam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod
14 est in conspectu Dei, dicentem sexto angelo qui habebat tubam, Solve quatuor illos angelos vinctos ad magnum illud flumen Euphratem.

15 Soluti sunt igitur quatuor illi angeli, parati ad horam, et diem, et mensem, et annum, ut
16 occidant tertiam partem hominum. Eratque numerus equestris exercitus bis millies centena
17 millia: nam audivi numerum eorum. Itemque vidi equos per visionem, et qui ipsis insidebant,

habentes thoraces igneos, et hyacinthinos, et sulphureos: erant autem capita equorum ut capita leonum, et ex ore ipsorum prodibat ignis, et fumus, et sulphur.

18 Ab his tribus occisa est tertia pars hominum, *nempe* ab igne, et fumo, et sulphure, quæ pro-
19 dibant ex ore ipsorum. Potestas enim eorum in ore eorum est, et in caudis eorum: nam eorum caudæ similes sunt serpentibus, habentes capita per quæ laedunt.

20 Porro reliqui homines, qui occisi non sunt his plagis, non resipuerunt ab operibus manuum suarum, ut ne adorarent dæmonia, et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire,
21 neque ambulare: neque resipuerunt a cædibus suis, neque a veneficiis suis, neque a scortatione sua, neque a furtis suis.

10 Tum vidi alium angelum robustum descendentem de cœlo, amictum nube, supra cujus caput erat iris; facies autem ejus *erat* ut sol, et
2 pedes ejus ut columnæ igneæ. Habebatque in manu sua libellum apertum; et imposuit pedem suum dextrum mari, sinistrum autem super ter-
3 ram: clamavitque voce magna, sicut leo rugit: et quum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces
4 suas. Et quum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: sed audivi vocem de cœlo dicentem mihi, Obsigna quæ locuta sunt septem tonitrua, et ne ea scribas.

5 Et angelus, quem vidi stantem super mare et super terram, sustulit manum suam ad cœlum,
6 et juravit per eum qui vivit in secula seculorum, qui condidit cœlum et ea quæ sunt in eo, et terram et ea quæ in ea sunt, et mare et ea
7 quæ in eo sunt, tempus non fore amplius: sed

diebus vocis septimi angeli, quum clanget, consummatum iri mysterium Dei, sicut annunciavit servis suis prophetis.

8 Et vox quam audieram e cœlo, rursum locuta est mecum, et dixit, Abi et accipe libellum illum apertum, *qui est* in manu angeli stantis
9 super mare et super terram. Abii igitur ad angelum, dicens ei, Da mihi libellum. Et dixit mihi, Accipe et devora eum: et amaritudinem adferet ventri tuo, sed in ore tuo erit dulcis
10 tanquam mel. Accepi igitur libellum e manu angeli, et devoravi eum; eratque in ore meo dulcis tanquam mel: sed quum devorassem eum,
11 amaruit venter meus. Tum dixit mihi, Oportet te iterum prophetare coram populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis.

11 DATUS est autem mihi calamus similis virgæ, adstititque angelus, dicens, Surge et metire templum Dei et altare, et eos qui adorant in eo.
2 Sed atrium, quod extra templum est, extrude, et ne metiaris illud; nam datum est gentibus: et urbem sanctam calcabunt mensibus quadraginta
3 duobus. Sed dabo *illam* duobus illis testibus meis, qui prophetabunt diebus mille ducentis
4 sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ illæ oleæ, et duo candelabra in conspectu Dei terræ posita.
5 Quod siquis velit eos lædere, ignis prodit ex ore ipsorum et devorat inimicos eorum; nam siquis velit eos lædere, ita oportet eum occidi.
6 Hi potestatem habent claudendi cœlum, ne riget *terram* pluvia diebus prophetiæ ipsorum: et potestatem habent in aquas, convertendi eas in sanguinem, et percutiendi terram omni plaga,
7 quotiescunque voluerint. Porro, postquam peregerint suum illud testimonium, bestia illa ascendens ex abysso, geret adversus eos bellum, et

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=550

8 vincet eos, et occidet eos. Et cadavera eorum
jacebunt in platea urbis illius magnæ, quæ vo-
catur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et
9 Dominus noster crucifixus est. Et videbunt *ho-*
mines ex tribubus, et populis, et linguis, et gen-
tibus cadavera eorum per tres dies et dimidium,
et cadavera eorum non sinent poni in monumentis.
10 Et incolæ terræ gaudebunt super illis, et hilares
erunt: et munera mittent alii aliis, quoniam hi
duo prophetæ torserint terræ incolas.
11 Sed post dies tres et dimidium, spiritus vitæ
a Deo *prodiens* ingredietur in illos, stabuntque
erecti in pedes suos, et metus magnus cadet in
12 eos qui ipsos spectarint. Deinde audierunt vo-
cem magnam de cœlo, dicentem ipsis, Ascen-
dite huc. Ascenderuntque in cœlum per nubem:
et conspexerunt illos inimici eorum.
13 Factusque est in illa hora terræmotus ma-
gnus: et decima pars urbis cecidit, et occisa
sunt in terræmotu capita hominum septies mille;
et reliqui territi sunt, et dederunt gloriam Deo
cœli.
14 Væ secundum abiit, et ecce, væ tertium ve-
niet cito.
15 Septimus igitur angelus clanxit, et factæ sunt
voces magnæ in cœlo, dicentes, Mundi regna
facta sunt Domini nostri, et Christi ejus, qui
regnabit in secula seculorum.
16 Tum vigintiquatuor illi seniores, qui in con-
spectu Dei sedent in thronis illis suis, prociderunt
17 in facies suas, et adorarunt Deum, dicentes,
Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipo-
tens, Qui es, et Qui eras, et Qui venturus
es; quod adeptus sis potentiam tuam ma-
gnam, et regnum inieris.
18 Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua, et

tempus mortuorum, ut judicentur, et des mercedem servis tuis prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum, parvis et magnis; et perdas eos qui perdunt terram.

19 Tunc apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca pacti ipsius in ejus templo: et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræmotus, et grando magna.

12 VISUM est autem signum magnum in cœlo: mulier amicta sole, sub cujus pedibus erat luna,
2 et in capite corona stellarum duodecim: et gravida clamabat parturiens, et distorquebatur ad pariendum.

3 Et visum est aliud signum in cœlo: nam ecce, *adfuit* draco magnus rufus, habens capita septem et cornua decem, et in capitibus suis diademata
4 septem. Cujus cauda trahebat tertiam partem stellarum cœli, quas abjecit in terram: stetit autem is draco ante mulierem parituram, ut, quum
5 peperisset, filium ejus devoraret. Peperit autem filium masculum, recturum omnes gentes virga ferrea: et raptus est filius ejus ad Deum et
6 thronum ejus. Mulier vero fugit in solitudinem, ubi haberet locum paratum a Deo, ut illic alerent eam diebus mille ducentis sexaginta.

7 Et factum est prœlium in cœlo; Michael et angeli ejus prœliati sunt cum dracone, et draco
8 pugnavit et angeli ejus: sed non prævaluerunt, neque locus eorum amplius inventus est in cœlo.
9 Et projectus est draco ille magnus, serpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus et Satanas, qui seducit totum terrarum orbem; projectus, *inquam*, est in terram, et angeli ejus cum eo projecti sunt.

10 Et audivi vocem magnam dicentem in cœlo, Nunc advenit salus, et potentia, et regnum

Dei nostri, et potestas Christi ejus; quia dejectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos in conspectu Dei nostri die ac nocte.

11 Sed ipsi vicerunt eum per sanguinem Agni, et per sermonem testimonii sui: et animæ suæ prodigi fuerunt usque ad mortem.

12 Propterea hilares estote cœli, et qui habitatis in eis. Væ incolis terræ et maris: nam descendit diabolus ad vos, excandescentiæ magnæ plenus, ut qui sciat se exiguum tempus præstitutum habere.

13 Quum igitur vidisset draco se projectum esse in terram, persecutus est mulierem quæ peper-
14 erat masculum. Sed datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, in locum suum, ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis, extra conspectum serpentis.
15 Ejecit autem serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret rapi a
16 flumine: sed succurrit terra mulieri, aperuitque terra os suum, et absorpsit flumen quod ejecerat draco ex ore suo.

17 Iratus est igitur draco adversus mulierem: et abiit, ut gereret bellum cum reliquis ex ejus semine, observantibus præcepta Dei, et haben-
18 tibus testimonim Jesu Christi. Stetique super arenam maris.

13 TUM vidi bestiam e mari ascendentem, quæ habebat capita septem et cornua decem: et impo-
2 sita cornibus ejus decem diademata, et impositum capitibus ejus nomen blasphemiæ. Eratque hæc bestia, quam vidi, similis pardo, et pedes ejus ut pedes ursi, et os ejus ut os leonis: dedit autem ei draco potentiam suam, et
3 thronum suum, et potestatem magnam. Et vidi

unum ex capitibus ejus quasi lethaliter cæsum: sed ipsius plaga lethalis curata est; et admirans
4 universa terra secuta est bestiam. Et adorarunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ: et adorarunt bestiam, dicentes, Quis similis bestiæ? quis poterit pugnare cum ea.
5 Datumque est ei os loquens magna et blasphemias; et data est ei potestas agendi menses
6 quadraginta duos. Aperuit igitur os suum ad blasphemiam adversus Deum, ut blasphemaret nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant.
7 Sed et datum est ei bellum gerere cum sanctis, et eos vincere: et data est ei potestas in omnem tribum, et linguam, et gentem.
8 Itaque adorabunt eam omnes incolæ terræ, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni illius mactati *jam inde* a jacto mundi
9 fundamento. Siquis habet aurem, audiat. 10 Siquis in captivitatem agit, in captivitatem abit: siquis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est tolerantia et fides sanctorum.
11 Deinde vidi aliam bestiam ascendentem e terra, habentem cornua duo similia agni, sed
12 loquebatur ut draco. Ea vero potestatem prioris bestiæ omnem exercet in conspectu ejus, et facit ut terra et ipsius incolæ adorent bestiam illam primam, cujus curata fuerat plaga
13 lethalis. Editque signa magna, adeo ut etiam ignem faciat e cœlo descendere in terram in
14 conspectu hominum. Et seducit incolas terræ, propter signa quæ datum est ei ut faciat in conspectu bestiæ, dicens incolis terræ, ut faciant imaginem bestiæ quæ gladio necata fuit, sed revixit.
15 Datumque est ei, ut animaret imaginem be-

stiæ, ut etiam loquatur imago bestiæ, et faciat
ut quicunque non adorarint imaginem bestiæ,
16 occidantur. Sed et facit ut omnes, parvi et
magni, divites et pauperes, liberi et servi, acci-
piant characterem in manu sua dextra aut in
17 frontibus suis: et nequis possit emere aut ven-
dere, nisi qui habet characterem, aut nomen be-
stiæ, aut numerum nominis ejus.
18 Hic sapientia est. Qui intelligentia præditus est,
computet numerum bestiæ; numerus enim homi-
nis est; et numerus ejus, sexcenta sexaginta sex.
14 TUNC vidi, et ecce, *aderat* Agnus stans super
montem Sion, et cum eo centum quadraginta-
quatuor millia habentia nomen Patris ejus
2 scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem
e cœlo tanquam vocem aquarum multarum, et
tanquam sonum tonitrui magni: et vocem audivi
3 citharœdorum pulsantium citharas suas: et qui
canebant quasi canticum novum ante thronum,
et in conspectu illorum animalium, et illorum
seniorum: neque quisquam poterat discere canti-
cum illud, nisi illa centum quadragintaquatuor
4 millia, ii *videlicet* qui emti sunt e terra: hi sunt
qui cum mulieribus non sunt inquinati; virgines
enim sunt: hi sequuntur Agnum, quocunque
ierit; hi emti sunt ex hominibus, primitiæ Deo
5 et Agno sacræ. Et in quorum ore non est in-
ventus dolus: sunt enim inculpati ante thronum
Dei.
6 Deinde vidi alium angelum volantem per me-
dium cœli, habentem evangelium æternum, ut
evangelizaret incolis terræ, et omni genti, et
7 tribui, et linguæ, et populo; dicentem magna
voce, Timete Deum, et ei tribuite gloriam: nam
venit hora judicii ejus: et adorate eum qui fecit
cœlum, et terram, et mare, et fontes aquarum.

8 Et alius angelus secutus est dicens, Cecidit, cecidit Babylon, urbs illa magna, quia vinum excandescentiæ scortationis suæ potandum præbuit omnibus gentibus.

9 Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna, Siquis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte
10 sua, aut in manu sua, bibet hic quoque ex vino excandescentiæ Dei, ex mero, *inquam*, infuso in poculum excandescentiæ ipsius; et torquebitur igne et sulphure in conspectu angelorum san-
11 ctorum, et in conspectu Agni. Et fumus tormenti ipsorum ascendet in secula seculorum; nec habebunt requiem die nec nocte, qui adorant bestiam et imaginem ejus, et siquis acceperit characterem nominis ejus.

12 Hic tolerantia sanctorum est; hic qui observant præcepta Dei et fidem Jesu.

13 Tunc audivi vocem e cœlo, dicentem mihi, Scribe, Beati ab hoc tempore mortui ii, qui Domini causa moriuntur. Etiam, dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: et opera eorum sequuntur eos.

14 Aspexi autem, et ecce, *aderat* nubes candida: et super nubem insidebat *quidam* similis homini, habens impositam capiti suo coronam
15 auream, et in manu sua falcem acutam. Et alius angelus prodiit e templo, clamans voce magna ad eum qui insidebat nubi, Mitte falcem tuam, et mete: quia venit tibi tempus metendi:
16 nam aruit messis terræ. Misit igitur is qui insidebat nubi, falcem suam in terram, et demessa est terra.

17 Tum alius angelus prodiit e templo, quod est
18 in cœlo, habens et ipse falcem acutam. Et alius angelus prodiit ab altari, habens potestatem

in ignem: et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens, Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ;
19 nam maturæ sunt ejus uvæ. Misit igitur angelus falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in magnum illum lacum
20 excandescentiæ Dei. Et calcatus est lacus extra civitatem: exivitque sanguis e lacu usque ad frænos equorum, per stadia mille sexcenta.

15 DEINDE vidi aliud signum in cœlo magnum et admirabile: angelos illos septem habentes plagas septem ultimas, quoniam per illas erit
2 excandescentia Dei consummata. Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igni; et eos qui victoriam reportabant ex bestia illa, et imagine ejus, et charactere ejus, ex numero nominis ejus, stantes apud mare vitreum, et habentes
3 citharas Dei: qui etiam cantabant canticum Mosis servi Dei et canticum Agni, dicentes,

Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sanctorum.

4 Quis non metuet te Domine, et glorificabit nomen tuum? Nam solus sanctus es. Nam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo: nam jura tua sunt manifesta.

5 Et post hæc aspexi, et ecce, apertum est
6 templum tabernaculi testimonii in cœlo. Et prodierunt e templo septem illi angeli, habentes septem plagas, induti lino puro et splendido, et
7 præcincti circa pectora zonis aureis. Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas plenas excandescentiæ Dei
8 viventis in secula seculorum. Et impletum est templum fumo *prodeunte* a majestate Dei, et a virtute ejus; nec quisquam poterat ingredi in

templum, donec consummatæ essent septem plagæ septem angelorum.

16 Tunc audivi vocem magnam e templo, dicentem septem illis angelis, Ite, effundite septem phialas excandescentiæ Dei in terram.

2 Abiit igitur primus *angelus*, et effudit phialam suam in terram; factumque est ulcus malum ac noxium adversus homines qui habebant characterem bestiæ, et eos qui adorabant imaginem ejus.

3 Deinde secundus angelus effudit phialam suam in mare, factumque est *illud* quasi cruor cadaveris: et quodcunque animal vivebat in mari, mortuum est.

4 Tum tertius angelus effudit phialam suam in flumina et in fontes aquarum: et factæ sunt
5 sanguis. Et audivi angelum aquarum dicentem, Justus es, Domine, Qui es, et Qui eras, et Qui
6 eris, quod hæc judicaris. Quoniam sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti ad bibendum: digni enim
7 sunt. Et audivi alium e sanctuario dicentem, Etiam, Domine Deus omnipotens, vera *sunt* et justa judicia tua.

8 Postea quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est ei æstu affligere homi-
9 nes per ignem. Et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemarunt nomen Dei habentis auctoritatem in has plagas: neque resipuerunt, ut tribuerent ei gloriam.

10 Tum quintus angelus effudit phialam suam super thronum bestiæ illius, et factum est regnum ejus tenebrosum, et mandebant linguas
11 suas præ dolore; et blasphemarunt Deum cœli præ doloribus suis, et ulceribus suis, nec resipuerunt ab operibus suis.

12 Tum sextus angelus effudit phialam suam in
flumen illud magnum, *nempe* Euphratem: et sic-
cata est aqua ejus, ut pararetur via regum ab
13 ortu solis *adventantium*. Et vidi ex ore dracо-
nis, et ex ore illius bestiæ, et ex ore pseudo-
prophetæ illius tres impuros spiritus similes ra-
14 nis *prodeuntes*. Sunt enim spiritus dæmoniorum
edentes signa, qui*que* abeunt ad reges terræ et
totius mundi, ut congregent eos ad prœlium
magni illius diei Dei omnipotentis.
15 Ecce, venio ut fur. Beatus qui vigilat et
servat vestimenta sua, ne nudus ambulet, et vi-
deantur pudenda ipsius.
16 Congregavit igitur eos in locum qui vocatur
hebraice Armageddon.
17 Tum septimus angelus effudit phialam suam
in aërem: et prodiit vox magna e templo cœli
18 a throno, dicens, Fuit. Factique sunt sonitus,
et fulgura, et tonitrua: et terræmotus factus
est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homi-
nes fuerunt super terram, terræmotus, *inquam*,
19 adeo magnus. Et dirupta est urbs illa magna
in tres partes, et civitates gentium ceciderunt,
et Babylon illa magna venit in memoriam in
Dei conspectum, ut præberet ei poculum excan-
20 descentiæ iræ suæ. Et omnis insula fugit, et
21 montes non sunt inventi. Et grando magna,
quasi talenti pondo, descendit e cœlo in homi-
nes; et blasphemarunt Deum homines propter
plagam illam grandinis; quoniam magna fuit
ejus plaga vehementer.

17 TUM venit unus ex septem angelis qui habe-
bant septem phialas, et locutus est mecum, di-
cens mihi, Heus tu, ostendam tibi damnationem
meretricis illius magnæ, sedentis super aquas
2 multas: cum qua scortati sunt reges terræ,

et cujus scortationis vino inebriati sunt incolæ terræ.

3 Quumque me per spiritum in desertum asportasset, vidi mulierem insidentem bestiæ coccinæ, plenæ nominibus blasphemiæ, habenti capita
4 septem et cornua decem: erat autem mulier illa amicta purpura et cocco, et inaurata auro et lapidibus pretiosis et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatio-
5 nibus et immunditia scortationis suæ: et in fronte suo nomen scriptum, Mysterium, Babylon illa magna, mater illa scortationum et abomina-
6 tionum terræ. Et vidi mulierem illam ebriam sanguine sanctorum et sanguine martyrum Jesu: et miratus sum, quum viderem illam, admiratione magna.

7 Tunc mihi dixit angelus, Quare miraris? ego dicam tibi mysterium mulieris, et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem et cornua
8 decem. Bestia quam vidisti, fuit, et non est; et ascensura est ex abysso, et in exitium abitura: et mirabuntur incolæ terræ (quorum nomina scripta non sunt in libro vitæ a jacto mundi fundamento) cernentes bestiam quæ erat,
9 et non est, et tamen est. Hic est mens quæ habet sapientiam. Septem capita septem montes
10 sunt, super quos mulier sedet. Et reges septem sunt: quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit: et quum venerit oportet illum
11 exiguum *tempus* manere. Bestia autem quæ erat, et non est, is octavus est, et e septem illis
12 est, et in exitium abit. Decem autem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges
13 ad unam horam accipient cum bestia. Hi sunt unius sententiæ, et patientiam ac potestatem

14 suam bestiæ tradent. Hi cum Agno pugnabunt,
et Agnus vincet eos: quoniam Dominus domi-
norum est, et Rex regum; et qui cum eo *sunt*
vocati, et electi, et fideles.
15 Deinde dixit mihi, Aquæ quas vidisti, ubi
meretrix sedet, populi sunt, et turbæ, et gentes,
16 et linguæ. Et decem cornua quæ vidisti in be-
stia, hi odio prosequentur meretricem, et deser-
tam reddent illam et nudam, et carnes ejus
17 edent, et ipsam igne exurent. Deus enim dedit
in corda eorum, ut exsequantur sententiam ipsius,
et ut consentiant, dentque regnum suum bestiæ,
18 donec consummentur verba Dei. Et mulier
quam vidisti, est urbs illa magna quæ habet
regnum super reges terræ.
18 ET post hæc vidi angelum descendentem e
cœlo, habentem potestatem magnam; et terra
2 resplenduit a gloria ipsius. Exclamavit autem
vehementer voce magna, dicens, Cecidit, cecidit
Babylon illa magna, et facta est domicilium
dæmoniorum, et custodia omnis spiritus impuri,
3 et custodia omnis avis impuræ et exosæ: quia
ex vino excandescentiæ scortationis ejus bi-
berunt omnes gentes, et reges terræ cum ea
scortati sunt, et mercatores terræ opibus luxus
ejus ditati sunt.
4 Et audivi aliam vocem e cœlo dicentem,
Exite ex ea, populo mi, ne participes sitis pec-
catorum ejus, et ne ex plagis ejus accipiatis.
5 Nam accumulata peccata ejus *pertigerunt* usque
in cœlum, et recordatus est Deus eorum quæ
6 injuste fecit. Reddite ei, sicut et ipsa reddidit
vobis: et duplicate ei duplum secundum opera
ejus: in poculo quod propinavit, propinate ei
7 duplum. Quantum sibi gloriæ attribuit et de-
liciata est, tantum date ei tormentum et luctum:

quia in corde suo dicit, Sedeo regina, nec sum
8 vidua, nec luctum videbo. Ideo una die venient ejus plagæ, mors, et luctus, et fames; et igne exuretur, quia robustus est Dominus Deus, qui damnabit eam.
9 Tum flebunt eam et plangent super ea reges terræ, qui cum illa scortati et deliciati sunt,
10 quum viderunt fumum incendii ejus; procul stantes propter terrorem cruciatus ipsius, *et* dicentes, Væ, væ, magna illa urbs Babylon, urbs illa valida! una hora venit judicium tuum.
11 Sed et mercatores terræ flebunt et lugebunt super ea; quoniam merces eorum nemo emit
12 amplius: merces auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritarum, et byssi, et purpuræ, et serici, et cocci, et omne lignum thyinum, et omne vas eburneum, et omne vas ex ligno pre-
13 tiosissimo, et ære, et ferro, et marmore, et cinamomum, et suffitus, et unguentum, et thus, et vinum, et oleum, et similam, et triticum, et jumenta, et oves, et equos, et rhedas, et mancipia,
14 et animas hominum. Et desiderabiles fructus animæ tuæ abierunt abs te, et omnia pinguia et splendida abierunt abs te; nec amplius ea inve-
15 nies. Harum, *inquam*, rerum mercatores ab ea divites facti, procul stabunt, propter terrorem
16 cruciatus ipsius flentes ac lugentes: et dicentes, Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco, et deaurata erat auro, et lapidibus pretiosis, et margaritis! quinam una hora vastatæ sunt tantæ divitiæ.
17 Sed et omnes gubernatores, et omnis in navibus versantium turba, et nautæ, et quotquot ex
18 mari quæstum faciunt, procul stabunt: et clamabunt videntes fumum incendii ejus, et dicent,
19 Quæ similis *erat* urbi isti magnæ? Et injecto

capitibus pulvere clamabunt flentes ac lugentes, et dicentes, Væ, væ, quod urbs illa magna, in qua omnes qui habebant naves in mari divites facti sunt ex ipsius copiis, una hora desolata
20 est! Exsulta super eam cœlum et sancti apostoli et prophetæ, quoniam nostras de illa pœnas Deus sumpsit.
21 Tum quidam angelus robustus sumpsit lapidem instar molæ magnum, et projecit in mare, dicens, Ita cum impetu projicietur Babylon urbs
22 illa magna, nec amplius invenietur. Et vox citharœdorum, et musicorum, et tibia ac tuba canentium, non audietur in te amplius; nec ullus artifex cujuscunque artis invenietur in te amplius:
23 et sonitus molæ non audietur in te amplius: et lux lucernæ non lucebit in te amplius: et vox sponsi et sponsæ non audietur amplius in te: nam mercatores tui erant optimates terræ, et
24 veneficiis tuis seductæ fuerunt omnes gentes. Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui mactati sunt in terra.

19 POST hæc audivi vocem magnam turbæ multæ in cœlo dicentis,
Halleluia; Salus, et gloria, et honor, et virtus Domino Deo nostro *esto*.
2 Quia vera et justa *sunt* judicia ejus, et meretricem illam magnam, quæ corrupit terram scortatione sua, damnavit, et vindicavit sanguinem servorum suorum ex manu ejus.
3 Deinde secundo dixerunt,
Halleluia:
et fumus ejus ascendit in secula seculorum.
4 Et prociderunt vigintiquatuor illi seniores, et quatuor illa animalia, et adoraverunt Deum insidentem throno, dicentes,
Amen, Halleluia.

5 Tum vox e throno prodiit, dicens,
Laudate Deum nostrum omnes servi ejus, et
qui timetis eum, parvi et magni.
6 Et audivi tanquam sonitum turbæ multæ, et
tanquam sonitum aquarum multarum, et tanquam
sonitum tonitruorum vehementium, *quosdam vide-*
licet dicentes,
Halleluia; quoniam regnum iniit Dominus
Deus ille noster omnipotens.
7 Gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam
ei; quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus
paravit se.
8 Et datum est ei, ut amiciatur byssina *veste*
pura et splendida; byssus enim justificationes
sunt sanctorum.
9 Tum dixit mihi, Scribe, Beati qui ad cœnam
nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi, Hæc
verba Dei vera sunt.
10 Et procidi ante pedes ejus ut adorarem eum;
sed dixit mihi, Vide ne; conservus tuus sum, et
fratrum tuorum qui habent testimonium Jesu.
Deum adora; testimonium enim Jesu et spiritus
prophetiæ.
11 DEINDE vidi cœlum apertum, et ecce, *ad-*
fuit equus albus; et qui insidebat ei, vocabatur
Fidelis et Verax, et *qui* juste judicat et pugnat.
12 Oculi autem ejus *erant* tanquam flamma ignis,
et in capite ejus diademata multa; habebatque
13 nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et
amictus erat veste tincta sanguine; vocaturque
14 nomen ejus Sermo ille Dei. Exercitus autem
qui sunt in cœlo, sequebantur eum equis albis,
15 vestiti byssina *veste* alba et pura. Et ex ore
ejus prodibat gladius acutus, ut eo percuteret
gentes; ipse enim reget eas virga ferrea: et is
est qui calcat lacum vini excandescentiæ et iræ

16 Dei omnipotentis. Habebatque in vestimento et
in femore suo nomen scriptum, REX REGUM,
ET DOMINUS DOMINANTIUM.
17 Tunc vidi quendam angelum stantem in sole,
qui clamavit voce magna, dicens omnibus avi-
bus quæ volabant per medium cœli, Adeste, et
18 congregamini ad cœnam magni Dei; ut edatis
carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes
potentum, et carnes equorum, et eorum qui ipsis
insident, et carnes omnium liberorum ac servo-
rum, parvorum ac magnorum.
19 Deinde vidi bestiam illam, et reges terræ, et
exercitus eorum, congregatos ad gerendum bel-
lum cum eo qui insidebat equo, et cum ipsius
20 exercitu. Et comprehensa est bestia, et cum
ea pseudopropheta ille qui ediderat signa in
ejus conspectu, quibus seduxit eos qui acceperant characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus; *et* vivi conjecti sunt ambo in
21 stagnum ignis ardens sulphure: et reliqui occisi
sunt gladio ejus qui insidebat equo, prodeunte
ex ore ipsius; et omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

20 DEINDE vidi angelum descendentem e cœlo,
habentem clavem abyssi, et catenam magnam in
2 manu sua; qui apprehendit draconem, serpentem, *inquam*, illum antiquum, qui est Diabolus
3 et Satanas, et vinxit eum *ad* annos mille, conjecitque eum in abyssum, quam occlusit et obsignavit super eum, ut non seduceret amplius gentes, donec consummarentur anni illi mille; nam postea oportet eum solvi *ad* exiguum tempus.
4 Deinde vidi thronos, et sederunt super eos,
et judicium datum est eis: et animas eorum qui
securi percussi sunt propter testimonium Jesu,

et propter sermonem Dei, quique non adoraverunt bestiam neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus suis, aut in manibus suis: viventque et regnabunt cum Christo
5 mille illos annos. Reliqui vero ex mortuis non reviviscent donec consummati fuerint illi anni
6 mille. Hæc est resurrectio prima. Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima; in hos *enim* secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis.

7 Postquam vero consummati fuerint anni mille,
8 solvetur Satanas e carcere suo. Et exibit, ut seducat gentes quæ sunt in quatuor angulis terræ, Gogum et Magogum, ut congreget eos ad prœlium, quorum numerus est sicut arena
9 maris. Ascenderunt igitur super latitudinem terræ, et circumierunt castra sanctorum et urbem illam dilectam: sed descendit ignis a Deo
10 e cœlo, qui devoravit eos. Et diabolus, qui seducebat eos, conjectus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi *erat* et bestia illa et ille pseudopropheta, et torquebuntur die ac nocte in secula seculorum.

11 TUM vidi thronum magnum candidum, et quendam ei insidentem, a cujus conspectu fugit terra et cœlum, quorum locus non est inventus.
12 Et vidi mortuos parvos et magnos stantes in conspectu Dei, et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est *liber* vitæ: judicatique sunt mortui ex iis quæ scripta erant in libris, secun-
13 dum opera ipsorum. Et reddidit mare mortuos quos habebat. Mors quoque et Infernus reddiderunt mortuos quos habebant; et judicatum
14 est de singulis secundum opera ipsorum. Infernus autem ac Mors conjecti sunt in stagnum

15 ignis; quæ est mors secunda. Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, conjectus est in stagnum ignis.

21 DEINDE vidi cœlum novum et terram novam: primum enim cœlum et prima terra abi-
2 erat; et mare non amplius exstabat. Et ego Joannes vidi sanctam illam civitatem, Hierosolymam novam, descendentem a Deo e cœlo,
3 paratam ut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam e cœlo dicentem, Ecce, tabernaculum Dei *est* cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi erunt populi ejus, et ipse
4 Deus cum eis erit, Deus ipsorum. Et abstersurus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors amplius non exstabit; neque luctus, neque clamor, neque labor exstabit amplius, quia præcedentia abierunt.

5 Et dixit is qui insidebat throno, Ecce, nova facio omnia. Et dixit mihi, Scribe; nam hæc verba vera sunt et firma.

6 Et dixit mihi, Fuerunt: ego sum *A* et *Ω*, initium et finis. Ego sitienti dabo ex fonte aquæ
7 vivæ gratis. Victor hæreditario jure obtinebit omnia; et ero ei Deus, et ipse erit mihi filius.
8 Formidolosis autem, et incredulis, et exsecrabilibus, et homicidis, et scortatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, portio *assignata* est in stagno ubi ardet ignis et sulphur, quod est mors secunda.

9 TUM venit ad me unus ex septem illis angelis qui habuerant septem illas phialas plenas septem plagis ultimis, et locutus est mecum, dicens, Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni.

10 Et asportavit me per spiritum in montem magnum et sublimem, et ostendit mihi civitatem illam magnam, sanctam, *inquam*, illam Hiero-

11 solymam, e cœlo descendentem a Deo; habentem gloriam Dei; et cujus lumen *erat* simile lapidi pretiosissimo, tanquam lapidi jaspidi in-
12 star crystalli splendenti: habentem præterea murum magnum et sublimem, qui habebat portas duodecim, et in portis angelos duodecim, et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tri-
13 buum filiorum Israel. Ab oriente *erant* portæ tres; ab aquilone, portæ tres; ab austro, portæ
14 tres; ab occasu, portæ tres. Et murus urbis habebat fundamenta duodecim, in quibus *erant* duodecim nomina apostolorum Agni.

15 Porro, is qui loquebatur mecum habebat calamum aureum, ut metiretur civitatem, et portas
16 ejus, et murum ejus. Urbs ipsa vero quadrangularis sita est, cujus longitudo tanta est quanta et latitudo; mensusque est civitatem illo calamo ad stadiorum duodecim millia; suntque longi-
17 tudo, et latitudo, et altitudo ejus æquales. Et mensus est murum ejus centum quadragintaquatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli.

18 Erat autem structura muri ejus ex jaspide: ipsa vero civitas aurum purum, *et* similis vitro
19 puro. Et fundamenta muri urbis omni lapide pretioso ornata: fundamentum primum *erat* jaspis; secundum, sapphirus; tertium, chalcedonius; quar-
20 tum, smaragdus; quintum, sardonyx; sextum, sardius; septimum, chrysolithus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chrysoprasus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethystus.
21 Duodecim autem portæ duodecim margaritæ sunt, et singulæ portæ ex singulis margaritis sunt: et forum civitatis aurum purum tanquam vitrum perlucidum.

22 Nec templum vidi in ea: Dominus enim Deus ille omnipotens, templum illius est, et Agnus

23 ille. Neque civitas ista eget sole vel luna, ut luceant in ea: nam gloria Dei illustrat eam, et lucerna ejus est Agnus ille.
24 Et gentes quæ servatæ fuerint, ambulabunt ad lucem ejus: et reges terræ gloriam suam et
25 honorem ad eam adferent. Nec portæ ejus claudentur interdiu: nox enim non erit illic.
26 Et adferetur gloria et honor gentium ad eam.
27 Non intrabit in eam quicquam quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium *loquitur:* sed qui scripti sunt in libro vitæ Agni illius.

22 Deinde ostendit mihi purum fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem ex throno Dei et Agni illius. In medio
2 *autem* foro ejus, et ex utraque parte fluminis, *erat* arbor vitæ, ferens fructus duodecim, per menses singulos edens fructum suum, et folia sua ad sanationem gentium.
3 Nec ullum adversus quenquam anathema erit amplius: sed sedes Dei et Agni in ea erit, et
4 servi ejus colent eum. Et videbunt faciem ejus
5 et nomen ejus in frontibus ipsorum *erit.* Et nox illic non erit, neque opus est eis lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illustrat eos: et regnabunt in secula seculorum.
6 Tum dixit mihi, Hæc verba fida *sunt* et vera: et Dominus Deus sanctorum prophetarum misit angelum suum, ut indicet servis suis quæ opor-
7 tet fieri cito. Ecce, venio cito: beatus qui observat verba prophetiæ libri hujus.
8 Ego vero Joannes *is sum* qui hæc audivi et vidi. Et quum audissem et vidissem, procidi, ut adorarem ante pedes angeli qui mihi hæc
9 ostendebat. *Is* vero dixit mihi, Vide ne *feceris:* conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum

prophetarum, et eorum qui observant verba libri hujus. Deum adora.

10 Deinde dixit mihi, Ne obsignaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus præstitutum enim
11 illud prope est. Qui injuste agit, injuste agat adhuc; et qui sordidus est, sordescat amplius: et qui justus est, justificetur amplius: et sanctus,
12 sanctificetur amplius. Et ecce, venio cito; et merces mea mecum *est*, ut reddam unicuique
13 prout opus ipsius erit. Ego sum *A* et *Ω*,
14 principium et finis, primus et ultimus. Beati qui præstant ejus mandata; ut sit eis jus in arborem vitæ, et per portas ingrediantur in civi-
15 tatem. Foris autem *erant* canes, et venefici, et scortatores, et homicidæ, et idololatræ, et quisquis amat ac committit mendacium.

16 Ego Jesus misi angelum meum, ut hæc vobis testificaretur in ecclesiis. Ego sum stirps et progenies illa Davidis, stella illa splendida et
17 matutina. Et spiritus et sponsa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Veni: et qui sitit, veniat: et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

18 Enimvero una testor cuivis audienti verba prophetiæ libri hujus, Siquis apposuerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto:
19 et siquis abstulerit *aliquid* ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus e libro vitæ, et ex urbe sancta, et ex iis quæ scripta sunt in libro isto.

20 Dicit qui testatur ista, Etiam, venio cito. Amen. Veni igitur, Domine Jesu.

21 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

PSALMI DAVIDIS.

EX INTERPRETATIONE

TREMELLII ET JUNII

IMPRESSA HANNOVIÆ A. D. 1624

TYPIS WECHELIANIS.

BEROLINI:

SUMPTIBUS SOCIETATIS BIBLIOPHILORUM
BRITANNICÆ ET EXTERNÆ.

MDCCCLXXXVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541 5-485221403-16/fragment/page=573

LIBER PSALMORUM.

LIBER PRIMUS.

I.

1 BEATUS *est* vir ille, qui non ambulat in consilio improborum, et viæ peccatorum non insistit, ac in consessu derisorum non desidet:
2 Sed cujus oblectatio *est* in lege Jehovæ, et *qui* de lege illius meditatur interdiu ac noctu.
3 Est enim sicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, et cujus folium non decidit; ideo quicquid faciet, prosperabitur.
4 Non ita improbi *sunt;* sed sicut gluma, quam dispellit ventus.
5 Idcirco non exsurgent improbi in illo judicio, aut peccatores in cœtu justorum.
6 Nam agnoscit Jehova viam justorum: at via improborum peritura est.

II.

1 QUARE tumultuantur gentes, et nationes meditantur inane?
2 Sistunt se reges terræ, et proceres consultant simul, contra Jehovam et contra Christum ejus:
3 *Dicentes*, Disrumpamus lora istorum, et projiciamus a nobis densos funes istorum!

4 Sedens in cœlis ridet; Dominus subsannat eos.
5 Tunc alloquetur eos in ira sua, et in æstu iræ suæ perturbabit eos.

6 *Dicet*, Atqui ego inungens regem meum præfeci
Zioni, monti sanctitatis meæ.

7 Decretum enarraturus sum: Jehova dixit mihi,
Filius meus es, ego hodie genui te.
8 Pete a me, et donabo gentes in possessionem
tuam, et fines terræ jus possessionis tuæ.
9 Confringes istos virga ferrea; ut vas figlinum
dissipabis eos.

10 Nunc ergo, reges, animadvertite; eruditionem
percipite, o judices terræ.
11 Colite Jehovam cum reverentia, et exsultate cum
tremore.
12 Osculamini filium, ut non irascatur, et pereatis
in via, quum exarserit vel minimum ira ejus:
beati omnes, qui se recipiunt ad eum.

III.

Psalmus Davidis, *quem cecinit*, quum fugeret metu
Absalomi filii sui.

2 JEHOVA, quam multi sunt hostes mei! *quam*
multi insurgunt contra me!
3 *Quam* multi dicunt de anima mea, Non *est* ulla
salus isti in Deo plane!
4 At tu, Jehova, clypeus *es* circa me, gloria mea,
et extollens caput meum.
5 Voce mea ad Jehovam clamanti respondit mihi
e monte sanctitatis suæ maxime.
6 Ego cubui, et dormivi, expergefeci me; quia
Jehova sustentat me.
7 Non timebo a myriadibus populi, quas circum-
disposuerint *metatores* contra me.

8 Surge, Jehova; fac salvum me, Deus mi, qui
percussisti omnes inimicos meos maxillam, den-
tes improborum confregisti.

9 Jehovæ *est* salus; super populum tuum *sit* benedictio tua maxime.

IV.

Magistro symphoniæ fidium psalmus Davidis.

2 INVOCANTEM me exaudi, Deus justitiæ meæ, in angusto dilatasti mihi *locum:* gratiosus esto mihi, et audi orationem meam.

3 Filii virorum, quousque gloria mea ignominiæ *futura est?* dilecturi estis inanitatem? procraturi mendacium summe?
4 At agnoscite separatim asseruisse Jehovam sibi eum, quem benigne accipit; Jehovam exauditurum, quum inclamavero ipsum.

5 Commovemini, et ne peccetis: cogitate cum animo vestro in cubili vestro, et quiescite, *ut qui* maxime.
6 Sacrificate sacrificia justitiæ: et fiduciam habete in Jehova.

7 Multi dicunt, O *si* quis efficiat, ut fruamur bono! Attolle super nos lucem faciei tuæ, Jehova,
8 Indideris lætitiam animo meo; majorem quam temporis, *quo* frumentum istorum et mustum istorum percipiuntur *ab ipsis* copiose.
9 In pace simul cubabo et dormiam: quum tu, Jehova, solus facias, ut secure habitem.

V.

Magistro symphoniæ ad pneumatica *instrumenta* psalmus Davidis.

2 DICTA mea auribus percipe, Jehova; considera meditationem meam:
3 Attende voci clamoris mei, rex mi et Deus mi; nam apud te orationem habeo.

4 Jehova, mane auditurus es vocem meam: mane
disserturus sum coram te et speculaturus.

5 Nam non es Deus fortis, qui delectetur improbitate; non est commoraturum *apud* te malum.
6 Non consistunt insani e regione oculorum tuorum: odisti omnes, qui operam dant iniquitati.
7 Perditurus es loquentes mendacium; virum sanguinarium et dolosum abominatur Jehova.
8 Ego autem instructus amplitudine benignitatis tuæ ingrediar domum tuam: incurvabo me versus templum sanctitatis tuæ cum reverentia tui.

9 Jehova, deduc me in justitia tua propter observatores meos: complana coram me viam tuam.
10 Nam non *est* in ore illius rectum; intimum illorum ærumnæ; sepulchrum apertum guttur illorum; lingua sua dolose blandiuntur.

11 Reos fac istos, o Deus; decidant de consiliis suis: amplitudine defectionum istorum depelle istos, quia rebellant in te.
12 Et lætabuntur ommnes se recipientes ad te; in seculum canent, quos protecturus es: et exsultabunt in te amantes nominis tui.
13 Quia tu benedicis justo, Jehova: facis, ut bene volentia tanquam umbo circumtegat eum.

VI.

Magistro symphoniæ fidium ad gravem *symphoniam* psalmus Davidis.

2 JEHOVA, ne in ira tua reprehendas me, neque in excandescentia tua castiges me.
3 Gratiosus esto mihi, Jehova, quia languefactus sum: cura me, Jehova, quia conturbata sunt ossa mea.
4 Et anima mea conturbata est valde: tu ergo, Jehova, quousque?

5 Revertere, Jehova; expedi animam meam: salvum fac me propter benignitatem tuam.
6 Nam non *est* in ipsa morte recordatio tui; in sepulchro quis celebraret te?
7 Defatigatus sum in gemitu meo; feci, ut natet totam noctem lectus meus: lacrymis meis spondam meam liquefeci.
8 Depastus est ab indignatione oculus meus; consenuit inter omnes oppressores meos.

9 Recedite a me, omnes, qui datis operam iniquitati: nam audit Jehova vocem fletus mei.
10 Audit Jehova deprecationem meam: Jehova orationem meam acceptam habet.
11 Erubescant et conturbentur valde omnes inimici mei: revertantur, erubescant momento.

VII.

Ode mixta Davidis, quam cecinit Jehovæ ad verba Cusi Benjaminitæ.

2 JEHOVA, Deus mi, ad te recipio me: salvum me fac ab omnibus persequentibus me, et libera me.
3 Ne abripiat tanquam leo animam meam; dilaceret nemine liberante.

4 Jehova, Deus mi, si feci istud, si est iniquitas *ista* in manibus meis:
5 Si intuli malum colenti pacem mecum, qui expedire solitus sum *quemque* opprimentem me immerito:
6 Persequatur inimicus animam meam et assequatur; conculcetque in terra *auferens* vitam meam, et faciat, ut gloria mea in pulvere habitet, *ut qui* maxime.
7 Surge, Jehova, in ira tua; extolle te gravis-

simo furore percitus in eos, qui me opprimunt: et invigilans *attende* ad me; judicium præcepisti.
8 Ergo cœtus nationum circumdet te, et supra hunc in altum revertere.
9 Jehova jus dicit populis, judica me, Jehova, secundum justitiam meam et secundum integritatem meam *pronuncia* pro me.
10 Deficiat, quæso, malum improborum, et stabilito justum: prout explorator *es* animorum et renum, Deus juste.
11 Clypeus meus *est* in Deo; qui dat salutem rectis corde:
12 Deo vindice justi; et *Deo* forti detestante quotidie.
13 Si non convertatur *improbus*, gladium suum acuet; arcum suum adduxit, et *sagittam* aptavit ei.
14 Denique in eum aptavit arma lethifera: sagittas suas in fervidos occupaturus est.

15 Ecce, parturiet vanitatem; ut concepit laborem, ita mendacium pariet.
16 Cisternam fodit, et excavavit eam: dejecit eo se, in fovea operaturus *opus suum*.
17 Redibit labor ejus in caput ejus: et super verticem ejus injuria ejus descensura est.

18 Celebrabo Jehovam secundum justitiam ejus; et psallam nomini Jehovæ excelsi.

VIII.

Magistro symphoniæ ad *stationem* Gitthæam psalmus Davidis.

2 JEHOVA, Domine noster, quam magnificum *est* nomen tuum in universa terra, cui exponis super cœlestem decorem tuum!

3 Ab ore infantium et lactantium fundatam disposuisti laudem, propter hostes tuos, ad compescendum inimicum et ultorem sui.

4 Quum respicio cœlos tuos, opus digitorum tuorum: lunam et stellas, quas statuisti;
5 Quid *est* mortalis, quod memor sis ejus? aut filius hominis, quod visites eum?
6 Minorem quidem fecisti eum paulisper angelis: sed gloria et majestate coronasti eum;
7 Præfecisti eum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus ejus;
8 Greges et armenta, quotquot sunt: etiamque bestias agrestes;
9 Aves cœli et pisces maris: quicquid permeat semitas marium.
10 Jehova, Domine noster, quam magnificum *est* nomen tuum in universa terra!

IX.

Magistro symphoniæ acutæ ad medianam psalmus Davidis.

2 א CELEBRABO, Jehova, ex toto animo meo; enarrabo omnia mirabilia tua *opera*.
3 Lætabor et exsultabo in te; psallam nomini tuo, Excelse:
4 ב Revertentes inimicos meos retrorsum corruere et perire a facie tua.
5 Nam exercuisti jus meum et causam meam; sedisti in solio, o vindex justitiæ.
6 ג Increpasti gentes, perdidisti improbum; nomen istorum delevisti in secula sempiterna.
7 ד O inimice, consummatæ sunt vastitates in æternum, et civitates exstirpasti, *scilicet* istorum: istorum, *inquam*, memoria periit.

8 ר At Jehova in seculum sedebit, comparans ad judicium solium suum:
9 Et ipse judicaturus orbem juste; jus dicturus nationibus rectissime.
10 Eritque Jehova edita arx tenui; edita arx temporibus, *quibus est* in angustia.
11 Itaque fiduciam habebunt in te, qui noverunt nomen tuum: quia non derelinquis quærentes te, Jehova.
12 ז Psallite Jehovæ, qui sedet Zione; nunciate in populos res gestas ejus:
13 Eum, qui reposcit sanguinem cæde fusum, horum recordari; non oblivisci clamoris pauperum afflictorum;
14 ח *Clamantium*, Gratiam fac mihi, Jehova; respice afflictionem meam *illatam* ab osoribus meis, exaltans me e portis mortis:
15 Ut enarrem universam laudem tuam in portis filiæ Zionis: exsultem in salute tua, *dicens*,
16 ט Demersæ sunt gentes in foveam, *quam* fecerant; ad rete, quod absconderant, captus est pes earum.
17 Notum se fecit Jehova judicio, *quod* exercuit, *quum* suo ipsius facto illaqueatus est improbus: rem meditandam summe!
18 י Retro agentur improbi ad sepulchrum usque; omnes gentes oblitæ Dei.
19 כ Non enim oblivioni unquam tradendus est egens; expectatio pauperum *non* peritura est in perpetuum.

20 Surge, Jehova, ne roboret se mortalis: judicium subeant gentes coram facie tua.
21 Incute, Jehova, timorem eis: vehementissime agnoscant gentes se mortales esse.

X.

1 ל QUARE, Jehova, absistis in longinquo? *quare* te occultas temporibus, *quibus sumus* in angustia?
2 Superbia improbi fervide infestatur pauper afflictus: deprehendantur in cogitationibus, quas comminiscuntur.
3 Nam laudat improbus animam suam in desiderio ipsius; et quæstum facienti benedicit; irritat Jehovam.
4 Improbi in elatione vultus sui, non inquirere, nullum *esse* Deum: hæ sunt omnes cogitationes ejus.
5 Munitæ sunt viæ ejus quocunque tempore; altissime *absunt* judicia tua a conspectu ejus: quicunque sunt hostes ejus, in eos favilla incendium facit.
6 Dicit cum animo suo, Non dimovebor; nulla ætate se non *fore* in malo.
7 Exsecratione os ejus plenum est, fraudibusque et dolo; subest linguæ ejus molestia et vanitas.
8 Desidet in specu villarum, in latebris, occisurus innocentem: oculi ejus contra defectum viribus delitescunt.
9 Insidiatur in latibulo, sicut leo in tugurio suo; insidiatur ad rapiendum pauperem afflictum, rapturus pauperem afflictum trahendo eum in rete suum.
10 Atterit se, incurvat se; et procidit *membris* robustis suis, *tanquam si essent* defecta viribus.
11 Dicit cum animo suo, Oblitus est *Deus* fortis; abscondit faciem suam, non respicit unquam.
12 פ Surge, Jehova, *Deus* fortis; attolle manum tuam: ne obliviscaris pauperum afflictorum.

13 Quam ob rem irritat improbus Deum? dicit cum animo suo, te non reposciturum esse?
14 ר Visum est tibi, quum tu molestiam et indignationem intueris, reponere manu tua? tuæ fidei committit se defectus viribus, pupilli tu es adjutor.
15 ש Frange brachium improbi et mali: inquire in improbitatem ejus, *donec* non invenias amplius!
16 Jehova rex sempiternus est; perierunt gentes e terra ipsius.
17 ת Desiderium mansuetorum exaudivisti, Jehova: confirma animum horum, adverte aurem tuam:
18 Vindicanda pupillum et attritum; ut non pergat amplius eum violenter exagitare mortalis e terra.

XI.

Magistro symphoniæ *ode* Davidis.

1 Ad Jehovam me recipio; quomodo dicitis animæ meæ, Emigra e monte vestro, avicula?

2 Nam ecce, isti improbi adducunt arcum, aptant sagittam suam nervo, ad jaculandum in caligine contra *homines* rectos corde.
3 Quum fundamenta ipsa destruentur, quid fuerit operatus justus?

4 Jehova in templo sanctitatis suæ, Jehova, cujus solium *est* in cœlis, cujus oculi vident, cujus palpebræ explorant filios hominum;
5 Jehova justum explorat; inprobum vero et amantem violentiæ odit animus ipsius.
6 Depluet super improbos prunas, ignem et sulphur: ventusque procellosissimus portio calicis eorum *futurus est*.

7 Nam justus Jehova quæ justa sunt diligit; rectum aspicit vultus ipsius.

XII.

Magistro symphoniæ ad gravem *symphoniam* psalmus Davidis.

2 DA salutem, Jehova, nam desiit beneficus:
nam defecerunt veraces ex filiis hominum.
3 Vanum loquuntur alter cum altero; labio blanditiarum *artifice*, duplice corde loquuntur.

4 Exscindet Jehova omnia labia blanda, linguam grandiloquam;
5 Eos qui dicunt, Linguæ nostræ jus obtinebimus, labia nostra penes nos *sunt:* quis *esset* dominus nobis?

6 A vastatione pauperum afflictorum; ab exclamatione egentium jam exsurgam, dicit Jehova: locabo in salute *illum*, in quem favilla incendium *improbus* fecerit.
7 Dicta Jehovæ dicta pura sunt: argentum purgatum in catino lectissimo terræ, defæcatum septies.
8 Tu, Jehova, servato eos: custodito eorum quemque a generatione ista in seculum;
9 *In qua* circumquaque improbi obambulant; quum extollitur res vilis inter filios hominum.

XIII.

Magistro symphoniæ psalmus Davidis.

2 QUOUSQUE, Jehova? oblivisceris mei in æternum? quousque abscondes faciem tuam a me?
3 Quousque repositurus sum consilia in animo meo, mœrorem in corde meo de die?

Quousque attollet se inimicus meus contra me?
4 Intuere, exaudi me, Jehova, Deus mi! illustra oculos meos, ut non dormiam *dormitione* mortis:

5 Ut non dicat inimicus meus, prævalui ei: hostes mei exsultent, quum dimotus fuero.

6 Ego enim in benignitate tua fiduciam habeo, exsultet animus meus in salute tua:
Cantabo Jehovæ, quum bono affecerit me.

XIV.

Magistro symphoniæ *ode* Davidis.

1 DICIT stultus cum animo suo, Non est Deus! corrumpunt, abominandam *quamque* actionem perpetrant, non *est* qui faciat bonum.
2 Jehova e cœlis prospectat super filios hominum; ut videat an sit *ullus*, qui intelligat, qui exquirat Deum.
3 Unusquisque recessit, *omnes* simul putidi facti sunt; non *est* qui faciat bonum, non *est* vel unus.

4 An non sibi sunt conscii omnes, qui operam dant iniquitati, quod excedentes populum meum edunt panem, Jehovam non invocant?
5 Ibi expavescunt pavore: quia Deus adest generationi justæ, *dicens:*
6 Consilium pauperis afflicti pudefacietis scilicet, quia Jehova *est* receptus ejus.

7 O *si* quis det e Zione salutem Israelis, reducente Jehova reducem turbam populi sui! exsultabit Jacob, lætabitur Israel.

XV.

Psalmus Davidis.

1 JEHOVA, quis commoraturus est in tentorio tuo? quis habitaturus in monte sanctitatis tuæ?

2 Qui ambulat integre, exercetque justitiam, ac loquitur veritatem ex animo suo:

3 Non obtrectat lingua sua, non afficit proximum suum malo, et opprobrium non effert in propinquum suum:
4 In cujus oculis contemptus *est* reprobus; timentes vero Jehovæ honorat: juratus in damnum suum, non tamen mutat.
5 Pecuniam suam non exponit fœnori, et munus contra innocentem non accipit, qui facit ista, nunquam dimovebitur.

XVI.

Insignis *ode* Davidis.

1 SERVA me, *Deus* fortis, nam me recipio ad te.
2 Dixi Jehovæ, Dominus meus es: bonum meum non *es conditurus* penes te:
3 Sanctis qui in terra *sunt* et magnificis *collaturus es;* iis, in *quibus est* tota oblectatio mea.
4 Horum multiplicant dolores, *qui* alium dotant: non sum libaturus libamina istorum ex sanguine, neque assumpturus nomina eorum in labiis meis.
5 Jehova portio prædii mei et poculi mei: tu sustentas sortem meam.
6 Funiculi acciderunt mihi in locis amœnissimis; etiam, possessio est elegantissima, *quæ* obtigit mihi.
7 Benedicam Jehovæ, qui dedit consilium mihi: *quo auctore* etiam per noctes erudiunt me renes mei.
8 Propono mihi Jehovam jugiter: quia a dextera mea *est,* non dimovebor.
9 Idcirco lætatur animus meus, et exsultat gloria mea: etiam caro mea habitat secure:

10 Quia non es derelicturus animam meam in sepulchro: neque expositurus eum, quem benignitate prosequeris, ut videat corruptionem.
11 Notam facis mihi semitam vitæ, satietatem gaudiorum in conspectu tuo amœnissimorum, dextera tua in æternitatem.

XVII.

Oratio Davidis.

1 EXAUDI, Jehova, justitiam; attende ad clamorem meum, aurem præbe orationi meæ, *quam habeo* absque labiis dolosis.
2 A facie tua jus meum prodeat: oculi tui videant, quæ recta sunt.

3 Quum exploraveris animum meum, visitaveris de nocte, probaveris me, non invenies: *quod* cogito, non transgreditur os meum.
4 Ad opera humana *instituenda*, ex verbo labiorum tuorum ego observo semitas effractoris.
5 Contine gressus meos in orbitis tuis; ne dimoveantur pedes mei.

6 Ego invoco te, quia exaudis me, Deus fortis: inclina aurem tuam ad me, ausculta sermonem meum.
7 Separa benignitates tuas, o qui servas recipientes se ad dexteram tuam ab insurgentibus.
8 Serva me tanquam nigrum pupillæ oculi: umbra alarum tuarum absconde me:
9 Propter improbos, qui vastant me; inimicos meos capitales, *qui* cingunt me.

10 Adipem suum obesant; ore suo loquuntur superbe;
11 Gressum nostrum nunc circumdant nobis: oculos suos adjiciunt declinando in terram.

12 Similitudo cujusque *est* tanquam leonis appetentis rapere; et velut juvenis leonis residentis in latibulis.

13 Surge, Jehova, anticipa faciem ejus; prosterne eum, eripe animam meam gladio tuo ab improbo:
14 Ab hominibus *eripe* manu tua, Jehova, ab hominibus e mundo, quorum portio *est* in hac vita, quorum ventrem imples recondito *thesauro* tuo: satiantur filii, et relinquunt excellentiam suam infantibus suis.

15 Ego in justitia videbo vultum tuum; satiabor, quum expergiscar, similitudine tua.

XVIII.

Magistro symphoniæ servi Jehovæ, Davidis, qui, elocutus est Jehovæ verba cantici hujus, qua die eripuerat Jehova eum e manu omnium inimicorum ipsius, ut e manu Saulis. Et dixit:

2 Ex intimis visceribus diligam te, Jehova, firmitas mea.
3 Jehova, petra mea, et propugnaculum meum, et liberator meus; Deus fortis meus, rupes mea, ad quem me recipiam; clypeus meus, et cornu salutis meæ; editus locus meus.
4 Laudatum invoco Jehovam, et ab inimicis meis servor.

5 Circumdantibus me doloribus mortis, et torrentibus *hominum* nequam perterrentibus me:
6 Doloribus sepulchri circumeuntibus me, occurrentibus mihi tendiculis mortis:
7 In ipsa angustia mea invoco Jehovam, et ad Deum meum vociferor: exaudit e templo suo vocem meam, et vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus.

8 Et concutitur ac movetur terra, fundamentaque montium commoventur; concutiuntur autem, quum *ira* accenditur ei.
9 Ascendit fumus per nasum ejus, et ignis ex ore ejus consumens, prunæ ardentes ab eo *sunt*.
10 Et demittens cœlum descendit, cum caligine sub pedibus suis:
11 Et insidens Cerubinis volat, volitatque super alas venti:
12 Disponit tenebras latibulum suum, circa se tugurium suum tenebrosas aquas, densitates superiorum nubium.
13 A splendore, *qui est* ante eum, nubes ejus densæ transeunt; grando et prunæ igneæ.
14 Tonante in cœlis Jehova, et excelso edente vocem suam; grando et prunæ igneæ.
15 Ita emittens sagittas suas dispergit illos: et fulgura jaculans fundit illos.
16 Conspiciuntur etiam imi alvei aquarum, et revelantur fundamenta orbis habitabilis increpatione tua, Jehova, flatu spiritus nasi tui.

17 Mittens ex edito assumit me, extrahit me ex aquis multis:
18 Eripit me ab inimico meo valentiore; et ab osoribus meis, quum robustiores sunt me.
19 *Quum* occurrunt mihi in tempore calamitatis meæ, tum *est* Jehova pro scipione mihi.
20 Et educit me in latum; liberat me, quia delectatur me.

21 Tribuit mihi Jehova secundum justitiam meam; secundum puritatem manuum mearum restituit mihi.
22 Quum observo vias Jehovæ, neque improbe averto me a Deo meo;

23 Quum omnia judicia ejus in conspectu meo sunt,
et statuta ejus non amoveo a me;
24 Denique quum sum integer coram eo; et caveo
mihi, ne inique agam;
25 Restituit Jehova mihi secundum justitiam meam,
secundum puritatem manuum mearum coram oculis suis.

26 Cum benigno benignum te exhibes; cum viro
integro integrum te exhibes;
27 Cum puro purum te præbes: at cum perverso
eluctaris:
28 Quia tu populum afflictum servas, oculos vero
elatos dejicis.
29 Quin tu illustras lucernam meam: Jehova Deus
meus splendentes efficit tenebras meas.
30 Per te enim transcurro turmam; et per Deum
meum transilio murum.

31 Hujus *Dei* fortis integra *est* via, sermo Jehovæ
purgatissimus *est:* clypeus est omnibus, qui se
recipiunt ad eum.
32 Nam quis *est* Deus præter Jehovam? et quis
rupes præterquam Deus noster?
33 Hic *Deus* fortis *est*, qui accingit me robore, et
reddit integram viam meam;
34 Disponens pedes meos tanquam cervarum, ut in
excelsis meis statuat me:
35 Docens manus meas prœlium, adeo ut frangatur
arcus chalybeus brachiis meis.
36 Nam das mihi clypeum salutis tuæ, dexteraque
tua sustentat me, et mansuetudo tua adauget me.
37 Dilatas gressui meo locum meum; neque vacillant malleoli pedum meorum.

38 Persequor inimicos meos, et assequor eos:
neque revertor, donec consumsero eos.

39 Frango eos, adeo ut non possint exsurgere, cadentes sub pedibus meis.
40 Accingis enim me robore ad bellum; prosternis insurgentes in me sub me.
41 Et inimicorum meorum exponis mihi cervicem, ut osores meos exscindam.
42 Vociferantur, sed non *est* qui servet; ad Jehovam, sed non exaudit eos.
43 Itaque contundo eos tanquam pulverem coram vento; ut lutum platearum frio eos.
44 Liberas me a contentionibus populi; disponis me in caput gentium; populus, quem non noveram, serviunt mihi:
45 Ad auditionem auris obediunt mihi, alienigenæ mendaciter se dedunt mihi;
46 Alienigenæ decidunt, et horrescunt e conclavibus suis.

47 Vivit Jehova, et benedicta rupes mea: quapropter exaltetur Deus salutis meæ:
48 *Deus* ille fortis, qui præstat ultiones mihi, et adducit populos subter me.
49 Liberans me ab inimicis meis, etiam supra insurgentes in me exaltasti me; a viro violento eripuisti me.
50 Idcirco celebrabo te in gentibus, Jehova; et nomini tuo psallam:

51 Magnificam præstare salutem omnimodam regi suo: et exercere benignitatem erga unctum suum, erga Davidem et erga semen ejus usque in seculum.

XIX.

Magistro symphoniæ. psalmus Davidis.

2 Coeli enarrant gloriam *Dei* fortis, et opus manuum ejus indicat expansum eorum.

3 Dies ad diem eructat sermonem; et nox ad noctem ostendit scientiam.
4 Non *est* sermo, neque verba *eis;* et sine *his* intelligitur vox eorum.
5 In totam terram prodeunte delineatione eorum, simul *prodierunt* in extremitatem orbis habitabilis sermones eorum; *ex quo* soli disposuit tentorium in eis.
6 Nam est tanquam sponsus prodiens e thalamo suo; lætatur tanquam robustus decursurus viam.
7 Ab extremitate cœlorum exortus ejus, et revolutio ejus ad extremitates eorum *est:* nec *est* quod abscondatur a calore ejus.

8 Doctrina Jehovæ integra *est,* restituens animam; testimonium Jehovæ verax, sapientiam afferens imperito.
9 Mandata Jehovæ *sunt* recta lætificantia animum; præceptum Jehovæ purum, illustrans oculos.
10 Reverentia Jehovæ munda, consistens in sempiternum; judicia Jehovæ *sunt* ipsa veritas, justa sunt pariter;
11 Desideratissima, *desiderabiliora* auro, et quidem auro purgatissimo quamplurimo; ac dulciora melle, et quidem acoeto melle.
12 Tum *me* servum tuum commonefactum istis in horum observatione *esse* emolumentum magnum,
13 (*Nam* errores quis intelligat?) me, *inquam,* ab occultis absolve:
14 Tum a contumaciis subtrahe servum tuum, ne dominentur in me: tunc integer et insons ero a defectione magna.
15 Sint accepti sermones oris mei, et meditatio animi mei coram te, Jehova, rupes mea et redemtor mi.

XX.

Magistro symphoniæ psalmus Davidis.

2 EXAUDIAT te Jehova tempore angustiæ; te in
edito collocet nomen Dei Jacobi:
3 Mittat auxilium tuum e sancto, et e Zione ful-
ciat te.
4 Odoretur omnia munera tua, et holocaustum
tuum in cinerem redigat, ut quum maxime.
5 Det tibi ex animo tuo, et totum tuum consilium
impleat.
6 Canamus de salute tua, et in nomine Dei no-
stri vexillis utamur: impleat Jehova omnes peti-
tiones tuas.
7 Jam agnosco Jehovam servare unctum suum,
exaudire eum de cœlis sanctitatis suæ; ex sum-
ma fortitudine, salute dexteræ suæ.
8 Hi curruum, et illi equorum, nos vero nominis
Jehovæ Dei nostri recordamur.
9 Illi incurvant se et cadunt: nos vero surgimus
et consistimus.
10 Jehova, serva! rex ipse exaudiat nos, quo
tempore invocabimus.

XXI.

Magistro symphoniæ psalmus Davidis.

2 JEHOVA, de robore tuo lætatur rex, et de sa-
salute tua quam exsultat valde!
3 Desiderium animi ejus das ei; pronunciatum la-
biorum ejus non avertens, maxime.
4 Quin prævenis eum benedictionibus boni, im-
ponis capiti ejus coronam auri purgatissimi.
5 Vitam petiit abs te; dedisti ei, *etiam* longitu-
dinem dierum in seculum et sempiternum.
6 Magna *est* gloria ejus per salutem tuam; decus
et majestatem posuisti in eo.

7 Nam disposuisti illi benedictiones in sempiternum, exhilaravisti eum lætitia a facie tua.
8 Quoniam ipse rex confidit Jehovæ, ideo fretus benignitate excelsi non dimovebitur.

9 Assequeris manu tua omnes inimicos tuos, dextera tua assequeris osores tuos.
10 Disponis eos *ut* fornacem ignis tempore faciei iratæ tuæ; Jehova ira sua absorbet eos, quasi consumat eos ignis.
11 Fructum eorum e terra perdis, et semen eorum e filiis hominum.
12 Quoniam intenderunt tibi malum; commenti sunt cogitationem, non possunt *perficere*.
13 Nam ponis eos *velut* tumulum; nervis tuis aptatas *sagittas* jacularis contra faciem eorum.

14 Exaltare, Jehova, robore tuo; cantemus et psallamus fortitudinem tuam.

XXII.

Magistro symphoniæ ad primam auroram psalmus Davidis.

2 Mi *Deus* fortis, mi *Deus* fortis, quare dereliquisti me, longinquus a salute mea, *a* verbis rugitus mei?
3 Deus mi, *quare* invocantem me interdiu non exaudis? et noctu *invocanti* non *est* silentium mihi?

4 Atqui sanctus es permanens, perfecta laus Israelis.
5 Tibi confisi sunt majores nostri: confisi sunt, et liberasti eos.
6 Ad te clamaverunt, et erepti sunt; tibi confisi sunt, nec puduit eos.

7 At ego *sum* vermis, ac non vir; opprobrium
hominum, et contemptus populo.
8 Omnes videntes me subsannant me; diducunt la-
bium, movent caput.
9 Devolvit se ad Jehovam (*inquiunt*); liberet eum,
eripiat eum, quandoquidem delectatur eo.

10 Quum tu *sis*, qui eduxisti me ex utero: faciens
ut securus agerem ad ubera matris meæ:
11 In te rejectus sim ex vulva; inde ab utero ma-
tris meæ *Deus* fortis meus sis:
12 Ne procul absis a me, dum angustia propinqua
est, dum nemo *est* adjutor.
13 Circumdant me juvenci multi; robusti *juvenci*
Basanis cingunt me.
14 Dilatant contra me os suum, *tanquam* leo ra-
piens et rugiens.

15 Sicut aqua effundor, et disparant se omnia
ossa mea: est cor meum simile ceræ, liquefit in
visceribus meis.
16 Arescit ut testa vis mea, et lingua mea adhæret
faucibus meis: et in pulvere lethali collocas me.

17 Nam circumdederunt me canes, cœtus male-
ficorum circumvenerunt me; foderunt manus meas
et pedes meos.
18 Enumerare possem omnia ossa mea: ipsi intu-
entur, respiciunt in me.
19 Partiuntur vestimenta mea inter se, et pro indu-
mento meo projiciunt sortem.

20 Tu ergo, Jehova, ne procul absis! virtus mea,
ad auxilium meum festina!
21 Eripe a gladio animam meam, a cane unicam
meam!
22 Serva me ab ore leonis et a cornibus unicor-
nium, exaudiens me!

23 Enarrabo nomen tuum fratribus meis: in media congregatione laudabo te:
24 *Dicens*, Timentes Jehovæ, laudate eum: totum semen Jacobi, honorate eum: et timete ab eo, totum semen Israelis.
25 Quia non spernit, neque abominatur afflictionem afflicti, neque abscondit faciem suam ab eo: sed quum vociferatur ad ipsum, exaudit.
26 De *bonis obventuris* a te *futura est* laus mea in congregatione multa: vota mea persolvam coram reverentibus eum.
27 Comedent mansueti, et saturabuntur; laudabunt Jehovam quærentes eum; vivet animus vester in sempiternum.
28 Recordabuntur et convertentur ad Jehovam omnes fines terræ; et incurvabunt se coram te *honorem exhibentes* omnes familiæ gentium.
29 Quoniam Jehovæ *est* regnum ipsum, et dominium habet in gentes.
30 Comedentes incurvabunt sese omnes pingues terræ; coram eo procumbent, quicunque descendunt in pulverem, *qui* animam suam in vita non conservaverit.
31 *Horum* semen colet eum, accensebitur Domino in quaque ætate.
32 Advenientes annunciabunt justitiam ejus populo nascituro, ipsum exercere *eam*.

XXIII.

Psalmus Davidis.

1 JEHOVA pastor meus *est*, non possum egere.
2 In caulis herbidis facit ut recubem, secundum aquas lenes deducit me.
3 Animam meam quietam efficit; ducit me per orbitas justitiæ, propter nomen suum.

4 Etiam quum ambularem per vallem lethalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum *es:* virga tua et pedum tuum, ipsa consolantur me.
5 Instruis coram me mensam e regione hostium meorum: delibutum reddis unguento caput meum, poculum meum exuberans.
6 Nihil nisi bonum et benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ; et quietus ero in domo Jehovæ, quamdiu longa erunt tempora.

XXIV.

Davidis psalmus.

1 JEHOVÆ *est* terra, et quod implet eam; orbis habitabilis, et habitantes in eo.
2 Nam ipse super maria fundavit illam, et super flumina stabilivit illam.

3 Quis ascensurus est in montem Jehovæ, et quis staturus in loco sanctitatis ejus?

4 Innocens manibus et purus animo; qui non effert ad vanitatem animam suam, neque jurat ad fraudem:
5 *Is* reportat benedictionem a Jehova, et justitiam a Deo salutis suæ.
6 Hæc *est* generatio requirentium eum: quærentium faciem tuam, *generatio* Jacobi, summe *quærentium.*
7 Attollite, portæ, capita vestra! et attollite vos, ostia seculi! ut ingrediatur rex gloriæ.
8 Quis *est* iste rex gloriæ? Jehova robustissimus et potentissimus; Jehova potentissimus bellator.

9 Attollite, portæ, capita vestra! attollite, inquam, ostia seculi! ut ingrediatur rex gloriæ.

10 Quis *est* iste rex gloriæ? Jehova exercituum: is *est* rex gloriæ summe.

XXV.

Ode Davidis.

1 א Ad te, Jehova, animam meam attollo.
2 ב Deus mi, in te confido; ne erubescam, ne exsultent inimici mei de me.
3 ג Etiam ulli exspectantes te, ne erubescant: erubescant, qui perfide agunt immerito.

4 ד Vias tuas, Jehova, notas fac mihi; semitas tuas doce me.
5 ה Fac, ut incedam per veritatem tuam, et doce me; nam tu *es* Deus salutis meæ, te exspecto totum diem.
6 ו Recordare miserationum tuarum, Jehova, et benignitatum tuarum, eas a seculo esse.
7 ח Peccatorum pueritiæ meæ et defectionum mearum ne recorderis: pro benignitate tua recordare mei tu propter bonitatem tuam, Jehova.

8 ט Bonus et rectus Jehova *est*, idcirco docet peccatores viam:
9 י Facit, ut incedant mansueti ex jure, et docet mansuetos viam suam:
10 כ Omnes semitæ Jehovæ benignitas et fides *sunt*, custodientibus fœdus ejus et testimonia ejus.
11 ל Propter nomen tuum, Jehova condonabis igitur iniquitatem meam: nam magna est.

12 מ Qualis futurus est vir ille, qui reveretur Jehovam docentem ipsum, quam viam eligat?
13 נ Anima ejus in bono pernoctabit, et semen ejus hæreditario jure possidebit terram.

14 ס Arcanum Jehovæ *adest* reverentibus ipsum et fœdus ejus, ut experimento testetur eis.

15 ע Oculi mei jugiter ad Jehovam *respiciunt;* quia ipse educit e reti pedes meos.
16 פ Respice ad me, et gratiam fac mihi; quia solitarius et pauper sum.
17 צ Oppressiones animi mei dilatant *sc:* ab angustiis meis deduc me:
18 ר Aspice afflictionem meam et laborem meum; et condona omnia peccata mea.
19 ר Aspice inimicos meos, quia potentiores sunt, et odio violento oderunt me.
20 ש Serva animam meam et eripe me, ne erubescam, quia recipio me ad te.
21 ת Integritas et rectum custodiant me; quia expecto te.

22 פ Redime, Deus, Israelem ab omnibus oppressionibus ejus.

XXVI.

Ode Davidis.

1 JUDICEM meum age, Jehova, quoniam ego in integritate mea ambulo; et Jehovæ confido, me non vacillaturum.
2 Proba me, Jehova, et tenta me; examina renes meos et animum meum.
3 Nam benignitas tua coram oculis meis *est*, et indesinenter ambulo in veritate tua.
4 Non sedeo cum hominibus vanis, et cum dissimulatis non convenio.
5 Odi congregationem maleficorum, et cum improbis non sedeo.
6 Lavo in innocentia manus meas, et circumeo altare tuum, Jehova:

7 Personando voce gratiarum actionis, et enarrando omnia mirabilia tua.
8 Jehova, diligo habitaculum domus tuæ; et locum, tabernaculum gloriæ tuæ.
9 Ne aggreges penes peccatores animam meam, et penes viros sanguinarios vitam meam:
10 Quorum in manibus scelus, quorum dextera plena est corruptionis muneribus.
11 At ego in integritate mea ambulo: redime me, et gratiam fac mihi.
12 Pede meo consistente in plano, in congregationibus benedicam Jehovæ.

XXVII.

Ode Davidis.

1 JEHOVA lux mea et salus mea *est*, a quo timerem? Jehova robur vitæ meæ *est*, a quo expavescerem?
2 Belligerantibus contra me maleficis ad exedendum carnem meam, hostibus meis et inimicis meis in me; ipsi corruunt et concidunt.
3 Si metarentur contra me castra, non timeret animus meus: si insurgeret contra me bellum, hac re ego securus essem.
4 Unum petii a Jehova, ad ipsum requiro, ut consideam in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ, ad videndum amœnitatem Jehovæ, et inquirendum in templo ejus.
5 Nam abscondit me in tugurio suo tempore adversitatis; abdit me in abdito tentorii sui, in rupem attollit me:
6 Jam vero extollitur caput meum supra inimicos meos circumstantes me; ut sacrificem in tentorio ejus sacrificia clangoris, canam et psallam Jehovæ.

7 Audi, Jehova, *me* voce mea clamantem; gratiamque fac mihi, et exaudi me.
8 Tuum *illud*, Requirite faciem meam, cogitat animus meus: faciem tuam, Jehova, requiro.
9 Ne abscondas faciem tuam a me, ne avertas in ira servum tuum: auxilium meum fuisti, ne deseras me, neque derelinquas me, Deus salutis meæ.
10 Nam pater meus et mater mea derelinquunt me, sed Jehova recipiet me.

11 Doce me, Jehova, viam tuam, et deduc me per semitam planam; propter observantes me.
12 Ne tradas me desiderio hostium meorum; nam consistunt contra me testes mendaces, et qui spirant violentiam:

13 *Abrepturi me*, nisi crederem me fruiturum bonitate Jehovæ in terra viventium.
14 Exspecta Jehovam; confirmare, et fortificabit animum tuum: itaque exspecta Jehovam.

XXVIII.

Ode Davidis.

1 Te, Jehova, inclamo; rupes mea, ne surdum agas *avcrsus* a me: ut non, si mutus eris *et aversus* a me, consimilis fiam descendentibus in sepulchrum.
2 Audi vocem deprecationum mearum, dum vociferor ad te; dum attollo manus meas ad adytum sanctitatis tuæ.

3 Ne trahas me penes improbos, et penes operarios iniquitatis; loquentes pacem cum proximis suis, malitia *obtinente* in animo eorum.
4 Da istis secundum opus ipsorum, et secundum malignitatem actionum ipsorum; secundum opus

manuum ipsorum da eis, redde retributionem suam eis.
5 Quia non animadvertunt ad opera Jehovæ et ad factum manuum ejus, destructurus est eos, non autem exstructurus eos.

6 Benedictus *sit* Jehova, quia exaudivit vocem deprecationum mearum;
7 Jehova robur meum et scutum meum, cui confidente animo meo adjuvor; idcirco exsultat animus meus, ut cantico meo celebrem eum.

8 Jehova robur istis, et robur maxime salutare est Christus illius.
9 Serva populum tuum, et benedic possessioni tuæ: pasceque eos ac extolle eos usque in seculum.

XXIX.

Psalmus Davidis.

1 CEDITE Jehovæ, filii fortium, cedite Jehovæ gloriam et laudem.
2 Cedite Jehovæ gloriam nominis ejus, incurvate vos honorem exhibentes Jehovæ in decoro sanctitatis.

3 Vox Jehovæ supra aquas, *vox Dei* fortis gloriosi intonat, *vox* Jehovæ supra aquas multas:
4 Vox Jehovæ potenter, vox Jehovæ decore.
5 Vox Jehovæ confringit cedros, perfringit etiam Jehova cedros Libani:
6 Et facit, ut exsiliant sicut vitulus, Libanus et Sirjon ut pullus unicornium.
7 Vox Jehovæ cædit flammas ignis.
8 Vox Jehovæ dolore afficit desertum, dolore afficit Jehova desertum Kadesi.

9 Vox Jehovæ facit, ut pariant cervæ, et denudat silvas: verum in templo suo eloquitur totam gloriam suam.
10 Jehova in diluvio sedebat: et sedet Jehova rex in seculum.
11 Jehova robur populo suo dat, Jehova benedicit populo suo cum pace.

XXX.

Psalmus Davidis; canticum dedicationis domus illius.

2 EXTOLLAM te, Jehova; quoniam evexisti me, neque lætitia affecisti inimicos meos de me.
3 Jehova, Deus mi, vociferantem ad te curasti me.
4 Jehova eduxisti e sepulchro animam meam, conservans me vivum, ne descenderem in sepulchrum.

5 Psallite Jehovæ, quos ipse benignitate prosequitur; et celebrate ad memoriam sanctitatis ejus.
6 Quum momento *fuit* in ira sua, vita *adest* benevolentia ejus: vespere si diversetur fletus, mane *adest* cantus.

7 Nam ego dicebam in tranquillitate mea, Non dimovebor in seculum.
8 Jehova, benevolentia tua constitueras in monte meo robur, te abscondente faciem tuam fui conturbatus.

9 Ad te, Jehova, clamavi, et Jehovam deprecatus sum, *dicens*,
10 Quid lucri *erit* in sanguine meo, quum descendam in foveam? an celebrabit te pulvis? nunciabitne veritatem tuam?

11 Audi, Jehova, et gratiam fac mihi; Jehova, esto adjutor mihi.

12 Convertisti planctum meum in choream mihi; solvisti cilicium meum, et accinxisti me lætitia:
13 Ut psallat tibi gloria, ac non conticescat; Jehova, Deus mi, in seculum celebrabo te.

XXXI.

Magistro symphoniæ psalmus Davidis.

2 AD te, Jehova, me recipio, ne erubescam in seculum: justitia tua libera me.
3 Inclina ad me aurem tuam, cito eripe me: esto mihi rupes robusta, locus munitissimus ad servandum me.
4 Nam petra mea et munitio mea es; itaque propter nomen tuum agito me et deducito me.
5 Educito me e reti, quod absconderunt adversum me: quia tu robur meum *es*.
6 In manum tuam depono spiritum meum: redemisti me, Jehova, *Deus* fortis, verax.
7 Odi eos, qui observant vanitates vanissimas: nam ego in Jehova confido.

8 Me exsultaturum et lætaturum benignitate tua, quando aspexeris afflictionem meam, agnoveris angustias animæ meæ:
9 Ac non tradideris me in manum inimici; *sed* statueris in lato pedes meos.

10 Gratiam fac mihi, Jehova, nam angustia *est* mihi; contabescit præ indignatione oculus meus, anima mea, et venter meus:
11 Nam deficit mœrore vita mea, et anni mei gemitu: labefactatur pœna iniquitatis, quam patior: virtus mea et ossa mea contabescunt,

12 Apud omnes hostes meos sum probro, et
apud vicinos meos valde, pavorique notis meis:
aspicientes me foris, evagantur a me.
13 Oblivione sepelior ab animo, ut mortuus: sum
ut instrumentum perditum.
14 Nam audio infamiam a multis, metum circumqua-
que: consultando simul adversus me, de inter-
cipienda anima mea cogitant.
15 Ego vero in te confido, Jehova; dicens, Deus
meus es.
16 In manu tua tempora mea sunt; eripe me a
manu inimicorum meorum, et a persequentibus
me.
17 Fac, ut luceat facies tua supra servum tuum;
serva me benignitate tua.
18 Jehova, ne erubescam, quandoquidem invoco te:
erubescant improbi, excindantur *descensuri* in
sepulchrum.
19 Muta reddantur labia mendacia, quæ loquun-
tur contra justum duriter cum elatione et con-
temtu.
20 Quam multa est bonitas tua, quam recondis re-
verentibus te! operaris erga eos, qui se recipiunt
ad te, coram filiis hominum!
21 Abdis eos in abdito præsentiæ tuæ ab elationi-
bus virorum: abscondis eos in tugurio a con-
tentione linguarum.
22 Benedictus *sit* Jehova; quia mirificam reddit
benignitatem suam erga me, *ut* in civitate mu-
nita *collocans me.*
23 Ego quidem dixeram in festinatione mea, Ex-
cisus sum a conspectu oculorum tuorum: verun-
tamen audisti vocem deprecationum mearum,
quum vociferarer ad te.
24 Diligite Jehovam omnes, quos benignitate

prosequitur; fideles custodientem Jehovam, et rependentem excellentissime, facientem res magnificas.

25 Confirmamini, et fortificabit animum vestrum; omnes, qui speratis Jehovam.

XXXII.

Davidis *ode* didascalica.

1 BEATUS levatus *a* defectione, cujus tectum est peccatum;

2 Beatus homo, cui non imputat Jehova iniquitatem, et cujus spiritui non inest dolus.

3 Quum silerem, inveterascebant ossa mea in rugito meo toto die.

4 Nam interdiu et noctu gravis erat super me manus tua; convertebatur præstantissimus humor meus in siccitates æstivas maxime.

5 Peccatum meum notum faciam tibi, et iniquitatem meam non tegam; (inquiebam,) Confitebor defectiones meas Jehovæ; et tu sustulisti pœnam peccati mei maxime.

6 Propter hoc oraturus est te, quemcunque benignitate prosequeris, quo tempore obvenerit (in inundatione aquarum multarum, ad eum non pertingent tantum) *dicens*,

7 Tu latibulum es mihi, ab angustia custodito me: cantionibus liberationis circumdato me maxime.

8 Erudiam te et docebo te, qua via ambulaturus sis; consilium dabo, *attento* in te oculo meo.

9 Ne estote ut equus, ut mulus, expertes intelligentiæ: cujus os freno et habena constringendum *est*, ne appropinquet ad te.

10 Magni dolores *sunt* improbo: qui autem fiduciam habet in Jehova, benignitas circumdat eum.
11 Lætamini in Jehova et exsultate, justi, et cantate, omnes recti animo.

XXXIII.

1 CANTATE, justi, in Jehova! rectos decet laudatio.
2 Celebrate Jehovam cithara; nablio et decachordo psallite ei.
3 Canite ei canticum novum, optime pulsate cum clangore.
4 Quia rectum *est* verbum Jehovæ, et omne opus ejus constans:
5 Amat justitiam et judicium: benignitate Jehovæ plena est terra.

6 Verbo Jehovæ cœli facti sunt, et spiritu oris ejus totus exercitus eorum.
7 Congerit quasi cumulum aquas maris, disponit in thesauris abyssos.
8 Timeant a Jehova omnes *incolæ* terræ: ab ipso metuant omnes habitatores orbis.
9 Nam ipso dicente est, *quicquid est:* ipso præcipiente exsistit.

10 Jehova irritum facit consilium gentium, infringit cogitationes populorum:
11 Consilium *vero* Jehovæ in seculum consistit; cogitationes animi ejus in ætates singulas.

12 Beata gens illa, cujus Jehova Deus *est:* populus, *quem* elegit in possessionem sibi.

13 E cœlis intuetur Jehova, videt omnes filios hominis:

14 E loco habitationis suæ prospicit in omnes habitatores terræ:
15 Formator pariter cordis eorum, animadvertit ad omnia opera eorum.

16 Non *est* rex, qui servetur multitudine copiarum; potens non eripitur multitudine virium:
17 Mendax *est* equus ad salutem, et multitudine roboris sui non liberat *sessorem*.

18 Ecce, oculus Jehovæ *attendit* ad timentes sui, ad exspectantes benignitatem ipsius:
19 Ut eripiat a morte animam eorum, et vivos conservet eos in fame.

20 Anima nostra præstolatur Jehovam: auxilium nostrum et scutum nostrum est.
21 Nam in eo lætatur animus noster, quia nomini sancto ejus confidimus.
22 Sit benignitas tua, Jehova, super nos; prout exspectamus te.

XXXIV.

Ode Davidis, quum mutasset speciem suam coram Abimeleco, eoque ipsum expellente abiisset.

א BENEDICAM Jehovæ omni tempore: jugiter laus ejus *erit* in ore meo.
ב In Jehova jactabit se anima mea; audient mansueti, et lætabuntur.
ג *Dicam*, Magnificate Jehovam mecum, et extollamus nomen ejus pariter.
ד Quæsivi Jehovam, et exaudivit me; ac ex omnibus pavoribus meis eripuit me.
ה Qui intuentur in eum et confluunt, vultus eorum ne erubescant, *sed dicant:*
ז Iste pauper invocavit, et Jehova exaudivit, ac ab omnibus angustiis ejus servavit eum.

8 ח Castra metantur angeli Jehovæ circa timentes eum; et eripit eos.
9 ט Gustate et videte bonum esse Jehovam: beatus vir ille, *qui* se recipit ad eum.
10 י Timete Jehovam, sancti ejus: quia non *est* penuria timentibus eum.
11 כ Juvenes leones pauperantur atque esuriunt: quærentes autem Jehovam, non indigent ullo bono.
12 ל Agite, filii, auscultate mihi: reverentiam Jehovæ docebo vos.
13 מ Quis *est* vir ille, qui delectatur vita, amat dies, *amat* frui bono?
14 נ Custodi linguam tuam a malo; et labia tua ne loquantur fraudem.
15 ס Recede a malo et fac bonum: require pacem et sectare eam.
16 ע Oculi Jehovæ ad justos, et aures ejus ad vociferationem eorum *attendunt:*
17 פ Irata *vero* facies Jehovæ ad facientes malum, ut excindat e terra memoriam eorum.
18 צ Clamantes *illos* Jehova audit, et ex omnibus angustiis ipsorum eripit illos.
19 ק Propinquus *est* Jehova fractis animo: et contritos spiritu servat.
20 ר Multæ *sunt* afflictiones justi; sed ex omnibus illis eripit eum Jehova,
21 ש Servans omnia ossa ejus; unum ex illis non frangitur:
22 ת At morte afficit improbum afflictio, et qui oderunt justum, disperduntur.
23 פ Redimit Jehova animam servorum suorum: neque disperduntur ulli recipientes se ad eum.

XXXV.

Ode Davidis.

1 CONTENDE, Jehova, adversus contendentes mecum; impugna impugnantes me.
2 Prehende scutum aut clypeum; ac surge in auxilium meum:
3 Et exsere hastam, et præclude persequentibus me; dic animæ meæ, Salus tua sum.
4 Pudefiant et rubore perfundantur quærentes animam meam: agantur retrorsum et erubescant machinantes malum meum.
5 Sint sicut gluma coram vento, angelo Jehovæ impellente:
6 Sit via eorum tenebrosa et lubricissima; et angelus Jehovæ persequator eos.
7 Quandoquidem immerito abscondunt mihi *in* fovea rete suum; immerito fodiunt *foveam* contra animam meam;
8 Eveniat ei vastatio nescienti, ut rete ipsius, quod abscondit, capiat eum: *ad* vastationem decidat in illam.

9 Sic anima mea exsultet in Jehova, gaudeat in salute ejus.
10 Omnia ossa mea dicant, Jehova, quis *est* par tibi, eripiens pauperem a valentiore eo? pauperem, inquam, et egentem a diripiente eum?

11 Insurgent testes injurii; quorum non sum conscius, *ea* repetunt a me:
12 Rependunt mihi malum pro bono, orbitatem animæ meæ:
13 Quamvis ego, ægrotanibus illis, *utens pro* veste mea cilicio, affligerem jejunio animam meam, et oratio mea in sinum meum rediret:
14 Tanquam *ad* proximum, tanquam *ad* fratrem

mihi indesinenter itarem; tanquam lugens matrem atratus curvarem me.
15 Quum vero claudico, lætantur congregantes se; congregant se apud me loripedes, ut non animadvertam; lacerant, ac non silent:
16 Inter hypocritas *facetos* sanniones faceti; frendentes contra me dentibus suis.
17 Domine, quamdiu aspicies? reduc animam meam a vastationibus eorum, a juvenibus leonibus unicam meam:
18 Celebrabo te in congregatione multa, in populo frequenti laudabo te.
19 Ne lætentur de me, qui mihi sunt inimici falsis de causis: qui oderunt me immerito, ne nictent oculo:
20 Non enim pacem loquuntur: sed contra quietos terræ res fraudulentissimas excogitant:
21 Et dilatant contra me os suum: dicentes, Euge, euge, videt oculos noster!
22 Vides, Jehova, ne sileas; Domine, ne longe absis a me.
23 Evigila et expergiscere ad judicium meum: Deus mi et Domine mi, ad contentionem meam.
24 Judica me secundum justitiam tuam, Jehova, Deus mi; et ne lætentur de me.
25 Ne dicant cum animo suo, Euge anima nostra! ne dicant, Absorbuimus eum!
26 Pudefiant et erubescant simul gaudentes de malo meo: induantur pudore et ignominia, qui magnificant *se* contra me.
27 Cantabunt et lætabuntur, qui delectantur justitia mea, dicentque jugiter, Magnificetur Jehova, qui delectatur pace servi sui.
28 Et lingua mea enunciabit justitiam tuam, toto die laudem tuam.

XXXVI.

Magistro symphoniæ *ode* servi Jehovæ, Davidis.

2 DICTUM defectionis ad improbum in intimo
cordis mei *est*, coram ejus oculis non *esse* pa-
vorem Dei:
3 Blandiri eum sibi in oculis suis, quum assequi-
tur iniquitatem suam, *quæ* odio habenda *esset*.
4 Verba oris ejus vana et dolosa *sunt:* desinit ad-
hibere intelligentiam ad benefaciendum.
5 Vanitatem cogitat in cubili suo; sistit sese in
via non bona: malum non spernit.

6 Jehova, in cœlis *est* benignitas tua, fides tua
usque ad superiores nubes:
7 Justitia tua instar montium maximorum: judicia
tua *instar* abyssi magnæ, homines et jumenta
conservas, Jehova.
8 Quam pretiosa *est* benignitas tua, Deus, quum
filii hominum ad umbram alarum tuarum sese
recipiunt.
9 Uberrime explentur pinguedine domus tuæ, et
de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis:
10 Quandoquidem penes te *est* fons vitæ, in luce
tua fruamur luce.

11 Protende benignitatem tuam erga cognoscentes
te, et justitiam tuam erga rectos animo.
12 Ne aggrediatur me pes superbi, et manus im-
proborum ne inducat me ad aberrandum *eo*,
13 Ubi cadunt operarii iniquitatis; ita impelluntur,
ut non possint surgere.

XXXVII.

Ode Davidis.

1 ℵ Ne accendaris ira propter maleficos; ne in-
videas facientibus iniquitatem.

2 Nam sicut fœnum cito succidentur, et sicut viriditas teneræ herbæ decident.
3 ב Confide in Jehova et fac bonum: inhabita terram et pascere fide:
4 Et oblecta te in Jehova, qui dabit tibi petitiones animi tui.
5 ג Devolve super Jehovam viam tuam et confide in eo; nam ipse efficiet:
6 Proferens tanquam lucem justitiam tuam, et jus tuum tanquam meridiem.
7 ד Acquiesce Jehovæ, et indesinenter exspecta eum: ne accendaris ira propter prosperantem via sua, propter virum efficientem cogitata.
8 ה Absiste ab ira, et derelinque excandescentiam; ne accendaris ira, saltem ad malefaciendum.
9 Nam malefici exscindentur; exspectantes vero Jehovam, ipsi hæreditario jure possidebunt terram.
10 ו Et adhuc paulum, plane non *erit* improbus; quod si consideraveris locum ejus, non exstabit:
11 Mansueti vero hæreditario jure possidebunt terram, et oblectabunt se in multitudine pacis.
12 ז Cogitante improbo contra justum, et frendente adversus eum dentibus suis,
13 Dominus ridet eum, quia videt advenire diem suum.
14 ח Gladium eduxerint improbi, et adduxerint arcum suum, ad dejiciendum pauperem et egentem, ad mactandum rectos via:
15 Gladius eorum intrabit in cor eorum, et arcus eorum confringentur.
16 ט Bonum *est* parum cuique justo, plus quam copia *sua* improbis multis.
17 Nam brachia improborum confringuntur: sustinet autem justos Jehova.

18 ו Agnoscit Jehova tempora integrorum; adeo ut possessio eorum in seculum futura sit,
19 Non erubescant tempore malo, sed diebus famis saturentur:
20 כ Dum improbi pereunt et inimici Jehovæ, ut, quæ pretiosa sunt in agnis: *ut hæc* consumuntur in fumum *abeuntia*, consumuntur *isti*.
21 ל Mutuo accipit improbus, sed non potest reddere: justus vero gratiam facit et donat:
22 Quia benedicti ab illo hæreditario jure possident terram: maledicti vero ab illo exscinduntur.
23 מ A Jehova gressus viri statuuntur, cujus delectatur via.
24 Quum cadit, non dejicitur; quia Jehova sustentat manum ejus.
25 נ Puer fui, etiam consenui: sed non vidi justum ita derelictum, ut semen ejus quæreret panem.
26 Toto die gratiam facit et mutuat, et semen ejus in benedictione *est*.
27 ס Recede a malo et fac bonum: sic habita in seculum:
28 Nam Jehova amat jus, neque derelinquit, quos benevolentia prosequitur: in seculum conservatur, semen vero improborum exscinditur.
29 Justi hæreditario jure possidebunt terram, et habitabunt in æternum super eam.
30 פ Justi *cujus* os meditatur sapientiam, et cujus lingua loquitur jus,
31 In cujus animo *est* lex Dei sui, *pes ejus* non labascit gressibus suis.
32 צ Speculante improbo adversus justum et quærente morte illum afficere,
33 Jehova non derelinquit illum in manu istius; neque sinit eum condemnari, quum judicatur.
34 ק Attende ad Jehovam et observa viam ejus:

tum extollet te ad possidendum terram jure hæreditario; excidium improborum videbis.

35 ר Vidi improbum magna vi erumpentem, et sese explicantem tanquam arbor indigena virens:

36 Deinde præteriit, et ecce, non *erat* amplius: nam quæsivi eum, sed non inventus est.

37 ש Observa integrum et aspice rectum, finem *istius* viri esse pacem:

38 Defectores vero perdi pariter, finem improborum exscindi.

39 ת Nam salus justorum a Jehova *est*, robur eorum tempore angustiæ:

40 Et adjuvat eos Jehova ac liberat eos: liberat eos ab improbis, ac servat eos, quia recipiunt se ad ipsum.

XXXVIII.

Psalmus Davidis ad recordandum.

2 JEHOVA, ne in fervente ira tua arguas me, aut in excandescentia tua castiges me.

3 Nam sagittæ tuæ *alte* infixæ sunt in me, et demisisti super me manum tuam.

4 Non *est* integritas in carne mea, propter detestationem tuam: non *est* pax in ossibus meis, propter peccatum meum.

5 Nam iniquitates meæ transcendunt caput meum, ut onus grave; graviores sunt, quam perferre queam.

6 Putruerunt, contabuerunt tumices mei, propter stultitiam meam.

7 Distorqueor, incurvor pervalde; tota die atratus pergo:

8 Quia ilia mea plena sunt vilitate, adeo ut non *sit* ulla integritas in carne mea.

9 Debilitatus et attritus sum pervalde, rugio præ fremitu animi mei.

10 Domine, coram te *est* totum desiderium meum; et suspirium meum a te non est absconditum.
11 Cor meum palpitat, derelinquit me virtus mea; et lux oculorum meorum, etiam ipsi non *sunt* penes me.
12 Amici mei et proximi mei e regione plagæ meæ subsistunt, et propinqui mei e longinquo absistunt.
13 Tendunt vero laqueos, qui quærunt animam meam: et qui requirunt malum meum, loquuntur ærumnas, et dolos toto die meditantur.
14 Quos ego tanquam surdus non audio, et tanquam mutus non aperiens os suum;
15 Sed sum tanquam is, qui non audit, et in cujus ore non *sunt* argumenta:
16 Quia te, Jehova, exspecto; *ut* tu exaudias, Domine, Deus mi:
17 Quia dico, *Videndum*, ut non lætentur de me; nutante pede meo, contra me magnificent se:
18 Si ego ad claudicationem comparatus *fuero*, et dolor meus *fuerit* coram me jugiter.
19 Quandoquidem iniquitatem meam indico, solicitus sum de peccato meo.
20 Inimici autem mei vivi roborantur; et multiplicantur, qui oderunt me falsis de causis;
21 Et reddentes malum pro bono adversantur mihi; eo quod sector bonum.
22 Ne derelinquas me, Jehova: Deus mi, ne longe absis a me.
23 Festina ad auxilium meum, Domine, salus mea!

XXXIX.

Magistro symphoniæ Jeduthuni psalmus Davidis.

2 Dixeram, Observabo vias meas, ne peccem lingua mea: servabo circa os meum capistrum, tantisper dum improbus *erit* coram me.

3 Obmutueram taciturnus, silebam *etiam* a bono; sed dolor meus incrudescebat.
4 Incalescente vero animo meo in me, in meditatione mea exardescente igne, locutus sum lingua mea, *dicens:*

5 Fac ut experiar, Jehova, finem meum; mensura dierum meorum, quid sit; experiar, quam durabilis sum.
6 Ecce, palmares disposuisti dies meos, et tempus meum ut nihil *est* coram te: profecto, omnimoda vanitas omnis homo *est*, *quantumvis* constitutus maxime.
7 Profecto, per imaginem præterit vir; profecto, *in* vanum perstrepunt: congregat *quispiam*, sed nescit, quis recepturus sit ea.

8 Sed jam quid exspecto, Domine? spes mea in te est.
9 Ab omnibus defectionibus meis eripe me, probro stultis ne exponas me.
10 Obmutesco, non aperio os meum, quia tu fecisti.
11 Remove a me plagam tuam; a conflictu manus tuæ ego deficio.
12 Si reprehensionibus pro iniquitate castigares quempiam, dissolveres sicut tineam, quod inest ei desiderabile: profecto, vanitas *est* omnis homo maxime.

13 Audi orationem meam, Jehova, et clamorem meum; aurem adverte ad lacrymas meas, ne surdum agas: quia peregrinus sum coram te, inquilinus ut omnes majores mei.
14 Desiste a me, ut recreem me; quum nondum abeo, ut non amplius *sim*.

XL.

Magistro symphoniæ Davidis psalmus.

2 CONSTANTER exspectavi Jehovam, qui inclinans ad me audivit vociferationem meam:
3 Et educens me e lacu tumultuoso, e luto cœnoso, statuit super petram pedes meos, firmavit gressus meos:
4 Denique indidit ori meo canticum novum, laudationem Deo nostro: videntes multi reverebuntur, et confident in Jehova, *dicentes*,

5 Beatus *est* vir ille, qui ponit in Jehova fiduciam suam, neque respicit ad superbos aut declinantes *ad* mendacium.
6 Tu multa præstas, Jehova, Deus mi, mirabilia tua et cogitationes tuas erga nos: nemo recensendis *iis* par tibi; *si* indicabo et eloquar, numerosiora sunt, quam ut enarremus.

7 Sacrificio, *inquis*, et munere non delectatus es, aures perfodisti mihi: holocaustum et oblationem pro peccato non expetivisti.
8 Tum dixi, Ecce, venio: in volumine libri scriptum est de me.
9 Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector: et lex tua *est* in visceribus meis.

10 Prædico justitiam in congregatione multa: ecce, labia mea non cohibeo; Jehova, tu nosti.
11 Justitiam tuam non tego in animo meo, fidem tuam et salutem tuam dico: non celo benignitatem tuam et veritatem tuam congregationi multæ.

12 Tu, Jehova, ne cohibeas miserationes tuas a me: benignitas tua et veritas tua jugiter custodiant me.

13 Nam circumdantia invadunt me mala innumerabilia: assequuntur me iniquitates meæ, adeo ut nequeam dispicere; numerosiores sunt capillis capitis mei; animus etiam meus derelinquit me.

14 Velis, Jehova, eripere me; Jehova ad auxilium meum festina.
15 Pudefiant et rubore perfundantur pariter quærentes animam meam ad perdendum eam: agantur retrorsum et ignominia afficiantur, qui delectantur malo meo.
16 Desolentur pro mercede pudoris sui, qui dicunt de me, Euge, euge!
17 Gaudeant et lætentur in te omnes quærentes te; *ac* dicant jugiter, Magnificetur Jehova, amantes salutis tuæ.

18 Sum quidem pauper et egens, sed Dominus cogitat de me: auxilium meum et liberator meus es, Deus mi, ne tardes.

XLI.

Magistro symphoniæ psalmus Davidis.

2 BEATUS, qui attendit ad attenuatum, *dicens*, Tempore mali liberabit eum Jehova:
3 Jehova servabit eum et vitæ restituet eum, beatus reddetur in terra; item, ne tradas eum desiderio inimicorum ejus.
4 Jehova sustentet eum, *decumbentem* in sponda languoris: totum cubatum ejus ex morbo ejus mutaveris.

5 Me dicente, Jehova, gratiam fac mihi: sana animam meam, quia peccavi tibi:
6 Inimici mei dicebant malum de me, Quando morietur, et perierit nomen ejus?

7 Quod si quis veniebat ut inviseret, mendacium
loquebatur animus ejus, congregabat iniquitatem
sibi: egressus foras eloquebatur.

8 Simul contra me mussitabant omnes osores
mei: contra me cogitabant, quod *esset* malo
mihi, *dicentes:*
9 Res nequissima tenaciter inhæret ei; et quod
decumbit, non amplius exsurget.
10 Etiam vir colens pacem mecum, in quo confide-
bam, comedens cibum meum, sustulit adversum
me calcem.

11 At tu, Jehova, gratiam fac mihi, et exsuscita
me, ut rependam illis.
12 Hac re expertus fuero, quod delectaris me,
quum non clanget inimicus meus de me;
13 Sed me, me, *inquam,* sustentabis in integritate
mea, et restitues me coram te in seculum.

14 Benedictus Jehova, Deus Israelis, a seculo
usque in seculum. Amen, iterum Amen.

SECUNDUS LIBER PSALMORUM.

XLII.

Magistro symphoniæ in posteris Korahi *ode* didascalica.

2 Sicut cervus glocitat, *aspirans* ad alveos
aquarum: sic anima mea glocitat, *aspirans* ad
te, Deus:
3 Sitiens *est* anima mea Dei, *Dei* fortis viventis,
dicens, Quando accedam, ut appaream *in* con-
spectu Dei?

4 Sunt mihi lacrymæ meæ cibo interdiu et noctu, dum dicitur mihi quotidie, Ubi *est* Deus tuus?
5 Hæc recordans effundo in me animam meam: me fuisse transiturum in turba, gressurum *cum* illis ad domum usque Dei cum voce cantus et laudationis, multitudine feriante.

6 Quid dejicis te, anima mea, et perstrepis in me? spera in Deo; nam adhuc celebraturus sum eum *et* salutem omnimodam faciei ejus.

7 Deus mi, in me anima mea dejicit se; propterea recordor tui e terra Jordanis et Hermonitarum, e monte exiguo.
8 Abyssus abyssum inclamat ad sonum emissariorum tuorum, omnes irrumpentes fluctus tui et undæ tuæ super me transeunt;
9 Interdiu *tamen* amandaturus est Jehova benignitatem suam, et noctu canticum suum ad me; oratione mea ad *Deum* fortem vitæ meæ *perstabo.*
10 Dicam *Deo* forti, petræ meæ, Quare oblivisceris mei? quare atratus incedo propter oppressionem inimici?
11 Sicca invadunt ossa mea, probro afficientes me hostes mei, dum dicunt mihi quotidie, Ubi *est* Deus tuus?

12 Quid dejicis te, anima mea, et quid perstrepis in me? spera in Deo! nam adhuc celebraturus sum eum, omnimodam salutem faciei meæ et Deum meum.

1 XLIII. VINDICA me, Deus, et suscipe contentionem meam; a gente non benigna, a viro doloso et iniquo libera me.

2 Nam tu *es* Deus roboris mei; quare rejiceres
me? quare atratus indesinenter irem propter
oppressionem inimici?

3 Mitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsæ
deducant me: adducant me in montem sanctitatis tuæ et in tabernacula tua:
4 Ut accedens ad altare Dei, ad *Deum* fortem,
auctorem lætissimæ exsultationis meæ, celebrem
te cithara, o Deus, Deus mi.

5 Quid dejicis te, anima mea, et quid perstrepis in me? spera in Deo! nam adhuc celebraturus sum eum, omnimodam salutem faciei meæ,
et Deum meum.

XLIV.

Magistro symphoniæ in posteris Korahi *ode* didascalica.

2 O Deus, auribus nostris audivimus, majores
nostri narraverunt nobis, *quod* opus operatus
sis temporibus eorum, temporibus priscis;
3 Te manu tua gentes expulisse, et plantasse
ipsos: malo affecisse nationes, et propagasse
ipsos.
4 Non enim gladio suo hæreditario jure possederunt terram, et brachium eorum non dedit
salutem eis: sed dextera tua, brachiumque tuum;
et lux faciei tuæ; quia eras benevolus eis.

5 Tu ispe *es* rex meus, o Deus: præcipe omnimodam salutem Jacobi.
6 Per te hostes nostros cornu feriemus: per nomen
tuum conculcabimus insurgentes in nos;
7 Nam arcui meo non confido; aut gladius meus
non est servaturus me.

8 Quum servaveris nos ab hostibus nostris, et osores nostros pudefeceris;
9 Deum laudantes toto die, nomen tuum in seculum celebrabimus summe.
10 Atqui rejecisti et ignominia affecisti nos, quod non processeris cum exercitibus nostris.
11 Fecisti, ut retro cederemus ab hoste; et osores nostri diripiunt sibi.
12 Tradidisti nos ut pecudes cibarias, et in gentes sparsisti nos.
13 Vendidisti populum tuum pro re vili, et non auxisti *rem* pretiis eorum.
14 Exposuisti nos probro vicinis nostris, sannæ et ludificationi circumstantibus nos.
15 Posuisti nos parabolæ argumentum in gentibus, agitationis capitis in nationibus.
16 Toto die ignominia mea obversatur mihi, et pudor faciei meæ obtegit me;
17 Propter vocem probro afficientis et blasphemi; propter inimicum et ultorem sui.

18 Totum hoc evenit nobis, nec tamen obliviscimur tui, neque mendaciter agimus contra fœdus tuum.
19 Non agitur retrorsum animus noster, aut declinat gressus noster a semita tua:
20 Quamvis contriveris nos *conjectos* in locum cetorum, et obtexeris nos lethali umbra.
21 Si obliti fuissemus nominis Dei nostri, aut expandissemus manus nostras ad *Deum* fortem extraneum:
22 Nonne Deus pervestigasset istud? quum ipse cognoscat abscondita animi.
23 Sed propter te occidimur quotidie; æstimamur ut pecudes mactandæ.

24 Evigila! quare dormires, Domine? expergiscere, ne rejicias in æternum!
25 Quare faciem tuam absconderes? obliviscereris afflictionis nostræ et oppressionis nostræ?
26 Nam dejecta est in pulverem vita nostra, adhæret terræ venter noster.
27 Surge ad auxilium nobis, et redime nos propter benignitatem tuam.

XLV.

Magistro symphoniæ in posteris Korahi ad hexachorda didascalicum canticum amicarum.

2 Ebullit animus meus verbum bonum; dicturus sum ego poemata mea de rege; lingua mea *et* stylo *ut* scriba promptus.

3 Multo pulchrior effectus es filiis hominum: infusa est gratia labiis tuis; propterea benedixit tibi Deus in seculum.

4 Accinge gladium tuum super femur, o robustissime; *gladium* gloriæ tuæ et decoris tui:
5 Et decore tuo prospere equita cum verbo veritatis, et proloquere justitiam: et ede documenta tui terribilibus *gestis* dexteræ tuæ.
6 Sagittis tuis acutis populi sub te procident, ex animo *procident* inimici regis.

7 Solium tuum, o Deus, in seculum et sempiternum, sceptrum rectum *est* sceptrum regni tui.
8 Dilexisti justitiam et odisti improbitatem, propterea unxit te, o Deus, Deus tuus oleo gaudii præ consortibus tuis.

9 Myrrha et santalis casia*que* omnia vestimenta tua *prodeuntis* e templis eburneis præ *iis*, *qui* lætificant te.

10 Filiæ regum inter charas tuas: collocata est conjux ad dexteram tuam cum insigni auro Ophirio.

11 Audi, filia, ac vide et inclina aurem tuam; obliviscereque populi tui et domus paternæ tuæ:
12 Et delectabitur rex pulchritudine tua: quumque sit Dominus tuus, incurva te *habens honorem* ei.
13 Tunc filiæ Tyri cum munere faciem tuam precabuntur, divites in populo.

14 Tota honorata filia regis intro, fundis aureis vestita.
15 Cum phrygianis deportatur ad regem; virgines post eam, amicæ ejus, adducuntur ad te:
16 Deportantur cum summa lætitia et exsultatione, intrant in palatium regis.

17 Loco parentum tuorum erunt filii tui: præpones eos principes in tota terra.
18 Memorabo nomen tuum in unaquaque ætate; idcirco populi celebrabunt te in seculum et sempiternum.

XLVI.

Magistro symphoniæ in posteris Korahi ad acutam symphoniam canticum.

2 Deus nobis *est* receptus et robur, auxilium in angustiis præsentissimum.
3 Idcirco non timeremus, si commutaret terra *locum*, aut si dimoverentur montes *depulsi* in ima maria:
4 Fremerent, lutosæ fierent aquæ cujusque illo-

rum; commoverentur montes elatione ejus maxime.
5 Flumen, rivi ejus, lætificant civitatem Dei; sanctissimum *locum*, habitacula excelsi.
6 Deus *est* in medio illius, non dimovetur *illa;* adjuvat illam Deus ab appetente matutino.
7 Frementibus gentibus, moventibus se regnis, edit vocem suam; liquefit terra.

8 Jehova exercituum nobiscum *est*, locus editus *est* nobis Deus Jacobi maxime.
9 Agite, videte opera Jehovæ, ut disponat desolationes in terra:
10 Faciens, ut cessent bella usque ad extremitatem terræ; arcum perfringat, et truncet hastam, currus comburat igne;
11 *Dicens*, desistite et agnoscite me esse Deum, me exaltatum iri in gentibus, exaltatum iri in terra.

12 Jehova exercituum nobiscum *est*, locus editus nobis Deus Jacobi maxime.

XLVII.

Magistro symphoniæ in posteris Korahi psalmus.

2 OMNES populi, plaudite manu, clangite Deo voce canora.
3 Nam Jehova excelsus reverendus, rex magnus *est* super totam terram.
4 Cogit in caulam populos, in locum nostrum, nationesque in locum pedum nostrorum.
5 Seligit nobis possessionem nostram, excellentiam Jacobi, quem diligit maxime.

6 Ascendit Deus cum clangore, Jehova cum sono buccinæ.

7 Psallite Deo, psallite: psallite regi nostro, psallite.
8 Nam rex totius terræ *est* Deus: psallite *psalmo* didascalico.

9 Regnat Deus super gentes, Deus insidet solio sanctitatis suæ.
10 Voluntarii populorum congregantur, populus Dei Abrahami, quia Dei *sunt* protectiones terræ; valde excelsus est.

XLVIII.

Canticum *et* psalmus posteris Korahi.

2 MAGNUS *est* Jehova et laudatus valde, in civitate Dei nostri, monte sanctitatis ejus:
3 Ornamento tractus, gaudio totius terræ monte Zionis, lateribus aquilonis, urbe regis magni.
4 Deus in palatiis ejus agnoscitur pro loco edito.

5 Nam ecce, reges convenerunt, progressi sunt pariter.
6 Ipsi viderunt, similiter admirati sunt, conturbati sunt, accelerarunt *abitum*.
7 Tremor prehendit eos illic, dolor ut parturientis.
8 Euro perfringis naves Oceani.

9 Quemadmodum audiveramus, ita vidimus in civitate Jehovæ exercituum, in civitate Dei nostri: Deus stabilit eam in seculum usque maxime.
10 Cogitamus, o Deus, benignitatem tuam in medio templo tuo:
11 Sicut nomen tuum, o Deus, sic laudem tuam *esse* usque ad extremitates terræ; justitiæ plenam esse dexteram tuam.

12 Lætetur mons Zionis, exsultent filiæ Judæ propter judicia tua.
13 Circuite Zionem et cingite eam, numerate turres ejus:
14 Apponite animum vestrum ad præmunitionem; attollite *oculos* ad palatia ejus, ut enarretis generationi posteræ.
15 Nam hic Deus Deus noster *est* in seculum et sempiternum; hic nos reducturus est ad mortem usque.

XLIX.

Magistro symphoniæ in posteris Korahi psalmus.

2 AUDITE hæc, omnes populi: auribus percipite, omnes habitatores mundi,
3 Tum nati *plebejo* homine, tum nati *præstante* viro: simul dives et egens.
4 Os meum locuturum est variam sapientiam, et meditatio animi mei multiplicem prudentiam.
5 Inclinans ad parabolam aurem meam, pandam in cithara ænigma meum.

6 Cur timerem temporibus mali, *ut* iniquitas vestigiorum meorum circumdet me?

7 Eorum qui confidunt in opulentia sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur,
8 Fratrem nullo modo redimere potest quisquam, non dare Deo redemturam ejus:
9 (Est enim cara redemtio vitæ eorum, imo cessat in seculum:)
10 Ut vivat adhuc in æternum, non experiatur corruptionem.
11 Nam videt sapientes mori; pariter stultum et brutum perire, ac relinquere aliis opulentiam suam.

12 Animus *fuit* illis domos suas in seculum, habitacula sua in quamque generationem *statui*, *quum ea* vocarent de nominibus suis per terras.
13 Neque tamen homo, *qui* in honore *est*, commoraturus est: similis fit jumentis, *quæ* intereunt.
14 Hæc *quum sit* via istorum, exspectatio *est* eis; et posteri eorum os eorum approbant maxime.
15 Tanquam pecudes, in sepulchro dispositos mors depascet eos: donec dominentur eis recti illo mane, et formam eorum consumat infernus *receptam* ex habitaculo ejus.
16 Enimvero Deus redemturus est animam meam a sepulchro, quum recepturus me sit potentissime.
17 Ne timeto, quum dives evaserit quispiam; quum aucta fuerit gloria domestica ejus.
18 Non enim in morte sua assumpturus est illius quicquam, non descensura est post eum gloria ejus.
19 Quum animæ suæ in vita sua benedixerit, atque celebraverint te, quod benefacias tibi:
20 Ut perveniat usque ad ætatem majorum ejus; in æternum *tamen* non sunt fruituri luce.
21 Homo, *qui est* in pretio neque est intelligens, similis fit jumentis, *quæ* intereunt.

L.

Psalmus Asapho.

1 *DEUS* fortis, Deus Jehova eloquitur et inclamat terram, ab ortu solis usque ad occasum ejus.
2 E Zione, perfectissimæ pulchritudinis *loco*, Deus illucescit.

3 (Veniat Deus noster, et ne surdum agat!) Ignis ante ipsum consumit, et circa ipsum procellosus valde.
4 Inclamat cœlos superne, et terram *inclamat*, jus populo suo dicturus:
5 Congregate mihi, quos benignitate prosecutus sum, qui icerunt fœdus mecum per sacrificium;
6 Quando indicarunt cœli justitiam ejus, Deum judicem esse summe.

7 Audi, populo mi, *inquit*, et eloquar: Israel; et contestabor te: Deus, Deus tuus sim.
8 Non propter sacrificia tua arguam te, ut holocausta tua sint coram me jugiter.
9 Non accipiam e domo tua juvencum, e caulis tuis hircos:
10 Quum mea sit omnis bestia silvestris, jumenta in montibus mille,
11 Agnoscam omnes volucres montium, denique animalia agrestia sint penes me.
12 Si esurirem, non dicerem tibi: nam mea *est* terra habitabilis, et plenitudo ejus.
13 An vescor carne robustorum *juvencorum*, aut sanguinem hircorum bibo?
14 Sacrifica Deo laudem, et redde excelso vota tua:
15 Atque invoca me tempore angustiæ; eripiam te, ut honore afficias me.

16 Improbo autem dicit Deus, Quid tua, ut enarres decreta mea, et assumas fœdum meum in ore tuo:
17 Quum tu oderis disciplinam, et projeceris verba mea post te?
18 Simulac vides furem, acquiescis ei; et cum adulteris *est* portio tua:

19 Os tuum adhibes ad malum, et lingua tua concinnas dolum:
20 Sedens fratri tuo obloqueris: in filium matris tuæ edis infamiam.
21 Hæc te faciente, quia agebam surdum, cogitas me prorsus esse similem tui: arguo te, et dissero in oculis tuis.

22 Animadvertite jam hoc, obliviosi Dei, ne rapiam, nec sit, qui eripiat.
23 Qui sacrificat laudem, honore afficit me: et qui componit viam, faciam, ut is fruatur salute Dei.

LI.

Magistro symphoniæ psalmus Davidis,
quum venisset ad eum Nathan propheta, postquam congressus fuisset cum Bath-Seba.

3 GRATIAM fac mihi, o Deus, secundum benignitatem tuam; secundum amplitudinem miserationum tuarum, dele defectiones meas.
4 Multum ablue me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me:
5 Nam defectiones meas ego agnosco, et peccatum meum observatur mihi jugiter.
6 Tibi, tibi soli peccaveram, et quod malum *videtur* in oculis tuis, feceram: *agnosco*, ut justificeris in sermonibus tuis, purus sis, quando tu judicas.
7 En, in iniquitate formatus sum, et in peccato fovit me mater mea.
8 En, veritate delectaris in præcordiis, et in occulto sapientiam notam feceras mihi.

9 Expiato me hyssopo, ut mundus sim: abluito me, ut præ nive albescam:
10 Facito, ut audiam gaudium et lætitiam: exsultent ossa, *quæ* contriveris.

11 Absconde iratam faciem tuam a peccatis meis,
et omnes iniquitates meas dele.
12 Animum mundum crea mihi, Deus, et spiritum
firmum renova intra me.
13 Ne abjicias me a facie tua, et spiritum sanctum
tuum ne recipias a me.
14 Redde mihi gaudium salutis tuæ, et spiritu in-
genuitatis sustentato me.
15 Docebo defectores vias tuas, ut peccatores ad
te convertantur.
16 Libera me a sanguine, o Deus, Deus salutis
meæ: canet lingua mea justitiam tuam.
17 Domine, labia mea aperias, et os meum annun-
ciabit laudem tuam.
18 Nam non delectaris sacrificio, ut dem: holocau-
stum non vis.
19 Sacrificia Dei *sunt* spiritus fractus; animum fra-
ctum et contritum, o Deus, non spernis.
20 Benefac pro bona voluntate tua Zioni, ædifica
muros Hierosolymæ.
21 Tunc delectaberis sacrificiis justitiæ, holocausto
et prorsus consumendo: tunc *pii* offerent juven-
cos super altare tuum.

LII.

Magistro symphoniæ *ode* didascalica Davidis,
quum veniens Doeg Adomæus nunciasset Sauli et
dixisset ei, Adivit David domum Ahimeleci.

3 QUID te jactas in malo, o potens? benignitas
Dei fortis omni die *perdurat.*
4 Ærumnas excogitatas depromis lingua tua; si-
milis *est* novaculæ acutæ, o artifex doli.
5 Diligis malum potius quam bonum, mendacium
quam loqui justitiam, *diligis* vehementissime.

6 Dilexisti omnia verba perniciosa, linguam dolosam.

7 Etiam, *Deus* fortis demoliturus est te in æternum, abripiet te, et avellet te a tentorio, eradicabitque te e terra viventium vehementissime.
8 Quod videntes justi, reverebuntur; et de isto ridebunt, *dicentes:*
9 Ecce virum illum, qui non proposuerat Deum robur suum; sed confidebat amplitudini divitiarum suarum, roborabat se in substantia sua.

10 Ego vero ut oliva virens in domo Dei; confido benignitati Dei in seculum et sempiternum.
11 Celebrabo te in seculum, quod feceris *ista:* et exspectabo nomen tuum, quia bonus *es* coram eis, quos benignitate prosequeris.

LIII.

Magistro symphoniæ ad pneumaticum instrumentum *ode* didascalica Davidis.

2 DICIT stultus cum animo suo, Non *est* Deus! corrumpunt, et abominandam perpetrant iniquitatem: non *est* qui faciat bonum.
3 Deus e cœlis prospectat super filios hominum, ut videat an sit ullus, qui intelligat, qui requirat Deum.
4 Quicunque est, retrocessit, simul putidi facti sunt: non *est* qui faciat bonum, non *est* vel unus.

5 An non sibi sunt conscii, qui dant operam iniquitati, quod exedentes populum meum edunt panem; Deum non invocant?

6 Ibi expavescunt pavore, *ubi* non *est* pavor:
quia Deus dissipat ossa *cujusque* castra habentis contra te: pudefacis, quia Deus spernit eos.
7 O si quis det e Zione omnimodam salutem Israelis: reducente Jehova reducem turbam populi sui, exsultabit Jacob, lætabitur Israel.

LIV.

Magistro symphoniæ fidium *ode* didascalica Davidis, quum venientes Ziphæi dixissent Sauli, An non David latitat apud nos?

3 DEUS, propter nomen tuum serva me, et fortitudine tua causam meam age.
4 Deus, audi orationem meam, aurem adverte ad sermones oris mei.
5 Nam exteri insurgunt in me, et violenti quærunt vitam meam: non proponunt Deum sibi maxime.

6 Ecce, Deus adjuvat me: Dominus *est* inter eos, qui sustentant vitam meam.
7 Redde istud malum observatoribus meis, per veritatem tuam succide eos.
8 Liberaliter sabrificabo tibi; celebrabo nomen tuum, Jehova, quia bonum est,
9 Quia ab omni angustia liberat me, et inimicos meos aspicit oculus meus.

LV.

Magistro symphoniæ fidium *ode* didascalica Davidis.

2 AURIBUS percipe, o Deus orationem meam, et ne abscondas te a deprecatione mea:
3 Attende ad me, et exaudi me; plango in meditatione mea et perstrepo;
4 Propter vocem inimici, propter angorem improbi: quia avertunt in me iniquitatem, et irati intestino odio prosequuntur me.

5 Animus meus dolet in me, et terrores mortis accidunt mihi:
6 Timor et tremor invadit me, et obtegit me horror:

7 Adeo ut dicam, *O si* quis daret mihi alam velut columbæ! evolarem, ubi habitare possem!
8 Ecce, quam longissime evagarer, commoraturus in deserto, vehementissime.
9 Maturarem effugium mihi a vento rapidissimo, a turbine.

10 Perde, Domine, divide linguam eorum; nam video violentiam et contentionem in civitate:
11 Interdiu et noctu circumdant eam *versantes* in muris ejus; iniquitasque et perversitas in medio ejus *sunt:*
12 Ærumnæ *sunt* in medio ejus, et non recedunt a platea ejus fraus et dolus.

13 Non enim inimicus probro afficit me; quod ferrem: non osor meus adversum me se attollit; a quo me absconderem:
14 Sed tu, mortalis, par mihi, dux meus et familiaris meus,
15 Qui pariter dulce inibamus consilium, in domum Dei ibamus cum frequentia.

16 Aget exactorem mors invadens eos, descendent *in* sepulchrum vivi: nam mala *sunt* in commoratione ipsorum, in medio ipsorum.

17 Ego Deum inclamabo, et Jehova servabit me.
18 Vespere et mane atque meridie meditabor et perstrepam, donec audiverit vocem meam:
19 Redemit vitam meam, ne belligerent in me, *collocans* in pace: quando *multis copiis belligerabant,* fuerunt penes me.
20 Audiet Deus fortis, et contestabitur istos, ut

permanet in æternum, vehementissime; quibus non *sunt* mutationes, neque timent Deum:
21 *Quorum quisque* extendit manus suas in colentes pacem secum, profanat fœdus suum:
22 Cujus blanda sunt butyrina verba, dum bellum *insidet* animo ejus: cujus molliora *quidem* verba oleo, sed stricti gladii sunt.

23 Rejice in Jehovam, *quicquid* dat tibi, et ipse sustentabit te: non permittet unquam justo, ut dimoveatur.
24 Tu itaque, Deus, detrudes istos in puteum corruptionis: homines sanguinarii et dolosi non perducent ad dimidium dies suos: ego vero confidam tibi.

LVI.

Magistro symphoniæ de *anima* vim patiente manipulo longinquorum insignis *ode* Davidis, quum prehenderent eum Philistæi Gathi.

2 GRATIAM fac mihi, Deus, nam anhelus persequitur me mortalis: toto die oppugnator opprimit me.
3 *Nam* anhelant observatores mei toto die, quia multi *sunt:* e sublimi propugnatores *adsunto* mihi.
4 *Qua* die timebo, ego in te confidam.

5 In Deo laudabo verbum ejus; in Deo confidam, non timebo: quid faciat caro mihi?

6 Toto die rebus meis dolorem afferunt, contra me omnes cogitationes eorum ad malum *spectant.*
7 Conveniunt, delitescunt ipsi: vestigia mea observant, ut qui expetunt vitam meam.
8 Pro iniquitate parito eis, in ira populos dejice, Deus.

9 Tu vagationes meas in numerato habes: pone *quamque* lacrymam meam in utre tuo; an non *essent* in numerato tibi?

10 Tunc revertentur inimici mei retrorsum, qua die clamabo; hoc scio, Deum *affore mihi.*

11 In Deo laudabo verbum, in Jehova laudabo verbum.

12 In Deo confido, non timebo: quid faciat homo mihi?

13 Mecum *erunt*, o Deus, vota tua; persolvam gratiarum actiones tibi.

14 Nam eripis animam meam a morte; annon pedes meos a lapsu *eriperes?* ut indesinenter ambulem coram Deo in luce hujus vitæ.

LVII.

Magistro symphoniæ, ne perdas, Davidis ode insignis: quum fugeret metu Saulis speluncam.

2 GRATIAM fac mihi, Deus, gratiam fac mihi; nam ad te se recepit anima mea, et ad umbram alarum tuarum me recepturus sum, donec transiverint ærumnæ.

3 Invocabo Deum excelsum, *Deum* fortem perficientem erga me.

4 Mittet e cœlis, ut servet me, afficiens eum probro, qui me anhelus persequitur vehementissime: mittet Deus benignitatem suam et veritatem suam.

5 Ego inter immanes leones *sum*, jaceo *inter* incendiarios; *inter* homines, quorum dentes hastæ et sagittæ *sunt*, et quorum lingua *est* gladius acutus.

6 Exaltare supra cœlos, o Deus; super totam terram gloria tua.

7 Recte aptaverant gressibus meis, curvaverat animam meam; *quam* foderant ante me fossam, cadunt in eam vehementissime.

8 Erecto animo meo, o Deus, erecto animo meo canam et psallam, *dicens:*
9 Evigila, gloria mea: evigila, nablium et cithara: expergefaciam *inde ab* aurora;
10 Celebrabo te in populis, Domine; psallam te in nationibus:
11 Magnam *esse* usque ad cœlos benignitatem tuam, et ad superiores usque nubes veritatem tuam.

12 Exaltare supra cœlos, o Deus; super totam terram gloria tua.

LVIII.

Magistro symponiæ, ne perdas, Davidis *ode* insignis.

2 An re vera, o manipule, justitiam loquimini? quæ recta *sunt* judicatis, filii hominis?
3 Quin etiam ex animo iniquitates operamini; in hac terra violentiam manuum vestrarum appenditis.

4 Abalienant se improbi inde a vulva, aberrant inde ab utero loquentes mendacium.
5 Venenum *est* illis simile veneno serpentis, sicuti aspidis surdæ obturantis aurem suam,
6 Quæ non auscultat voci mussitantium, utentis incantationibus peritissimi.

7 O Deus, destrue dentes eorum in ore ipsorum; molares juvenum leonum demolite, Jehova.
8 Liquefiant sicut aqua, indesinenter abeant: intentantis sagittas suas, tanquam in spicas abeant *sagittæ.*

9 Sicut limax liquescens abeat *quisque; ut* abortus mulieris, *ut qui* non viderunt solem.
10 Quum nondum sentientur spinæ vestræ, *spinæ* cynosbati, tam redivivam, quam adustam: procellet quamque.

11 Lætabitur justus, quum viderit ultionem; pedes suos lavabit in sanguine improbi.
12 Dicetque homo, Utique *est* fructus justo; utique est Deus, *est* judex in terra.

LIX.

Magistro symphoniæ, ne perdas, Davidis ode insignis: quum misisset Saul, qui observarunt domum illius, ut morte afficerent illum.

2 LIBERA me ab inimicis meis, Deus mi; supra erigentes se contra me extolle me.
3 Libera me ab iis, qui operam dant iniquitati, et ab hominibus sanguinariis serva me.
4 Nam ecce, insidiantur vitæ meæ, conveniunt contra me robusti, nulla defectione mea nulloque peccato meo, Jehova.
5 Nulla iniquitate *mea* concurrunt et comparant se: evigila *venturus* obviam mihi, et respice.
6 Tu ergo, Jehova, Deus exercituum, Deus Israelis, expergiscere ad visitandum omnes gentes istas: ne gratiam facias ullis perfide agentibus iniquitatem summe.

7 Revertuntur vespere, ganniunt ut canis; et circumdant civitatem.
8 Ecce, eructant ore suo, gladios *adhibent* ad labia sua; nam, Quis audit? *inquiunt.*
9 At tu, Jehova, ridebis eos; subsannabis omnes istas gentes.
10 Robur obtinente illo, te observabo: nam Deus *est* editus locus meus.

11 Deus benignitatis meæ præveniet me: Deus faciet, ut aspiciam observatores meos:

12 Ne occidas eos, ut non obliviscantur populares mei: exagita eos virtute tua, et dejice eos, clypeus noster, Domine.
13 Peccatum oris sui, verbum labiorum suorum, quando fuerint deprehensi in superbia sua, tum præ exsecratione, tum præ macie enarrent.
14 Consume æstu, consume, donec non sint *amplius;* ut sciant Deum summe dominari in Jacobo, usque ad fines terræ.

15 Quum revertuntur vespere, ganniant ut canis; et circumdent civitatem,
16 Seipsos exagitent ad comedendum; quum non fuerint saturati, tum cogantur pernoctare.
17 Ego vero canam robur tuum, et cantabo in matutinum quodque benignitatem tuam; te fuisse locum editum mihi et perfugium, *quo* die *fuit* angustia mihi.
18 O robur meum, tibi psallam: Deum esse locum editum meum, Deum benignitatis meæ.

LX.

Magistro symphoniæ in hexachordis testimonii *ode* insignis Davidis ad docendum:
quum certaret contra Syros Mesopotamienses, et contra Syros Zobæ: et reversus Joab percussisset Edomæos in valle Salis duodecies mille.

3 O Deus, rejeceras nos, disruperas nos iratus fueras, restitue *te* nobis.
4 Commoveras terram, diffregeras eam; cura fragmenta ejus, nam vacillat.
5 Feceras, ut sentiret populus tuus *rem* duram,

dederas bibendum nobis *tanquam* vinum horrorem.

6 Dedisti timentibus te vexillum, quo utantur: propter veritatem potentissime:
7 Ut liberentur dilecti tui, serva dextera tua et exaudi me.

8 Deus locutus est per sanctitatem suam, exsultabo: in partem obtineo Sichemum, et convallem Succotharum metior:
9 Meus Gilead, et meus Menasse: Ephraimque robur capitis mei; Juda legislator meus.
10 Moab pollubrum meum; supra Edomæum projiciam calceum meum: contra me, Palæstina, clangentem age.

11 Quis deduceret me *in* civitatem munitam? quis duceret me Edomæam usque?
12 An non tu, Deus, rejeceras nos; ut non procederes, Deus, inter exercitus nostros?
13 Cedo nobis auxilium *tuum* ab hoste: alioqui vanitas *est* auxiliatio humana.

14 In Deo faciamus strenue, et ipse conculcabit hostes nostros.

LXI.

Magistro symphoniæ fidium *ode* Davidis.

2 Audi, Deus, clamorem meum; attende orationi meæ.
3 Ab extremitate terræ te inclamo, quum obruitur animus meus: in rupem, *quæ* sit editior me, deducito me:
4 Nam fuisti receptus mihi, turris robusta adversus inimicum.
5 Commorabor in tentorio tuo *per* secula, recipiam me in occultum alarum tuarum maxime.

6 Quum tu, Deus, auscultaveris votis meis, dederis hæreditatem *suam* reverentibus nomen tuum:
7 Dies diebus regis superaddito, anni ejus *sint* ut multarum generationum.
8 Maneat in seculum coram Deo; benignitatem et fidem præpara, *quæ* custodiant eum.
9 Sic psallam nomini tuo in perpetuum, reppendendo vota mea quotidie.

LXII.

Magistro symphoniæ in Jeduthune psalmus Davidis.

2 TANTUMMODO in Deo conquiescit anima mea ab eo salus mea *est*.
3 Tantummodo ipse rupes mea *est* et salus mea, locus editus meus, non dimovebor *motione* magna.

4 Quousque machinabimini ærumnas in virum? occidemini vos omnes, *eritis* similes muro pando, maceriæ impulsæ.
5 Tantummodo de excellentia ejus consilia ineunt depellendi *eum*, delectantur mendacio: ore suo benedicunt, intra se vero maledicunt vehementissime.

6 Tantummodo in Deo conquiesce, anima mea; nam ab eo *est* exspectatio mea.
7 Tantummodo ipse rupes mea *est* et salus mea, locus meus editus, non dimovebor.
8 In Deo *est* salus mea et gloria mea; rupes robusta mea, receptus meus *est* in Deo.
9 Confidite ei omni tempore, o populi, effundite coram eo animum vestrum: Deus receptui nobis *est* maxime.

10 Tantummodo vanitas *sunt* nati plebejo homine,

mendacium *sunt* nati præstante viro; lancibus illi simul impositi ascensuri *essent* supra vanitatem.

11 Ne confidatis oppressioni, et rapina ne evanescatis: opulentia si abundet, ne apponatis animum.

12 Semel locutus est Deus, bis idem audivi: robur esse Dei,

13 Et tuam *esse*, Domine, benignitatem; te repensurum cuique secundum opus suum.

LXIII.

Psalmus Davidis, quum esset in deserto Judæ.

2 O Deus, *Deus* fortis meus es, tempestive requiro te: sitiens est tui anima mea, arescit ad te *spectans* caro mea, in terra sicca et fessa sine aquis:

3 Ad videndum robur tuum et gloriam tuam, sicut in loco sancto videbam te.

4 Nam benignitas tua melior est vita: *ut* labia mea laudent te.

5 Sic benedicam tibi in vita mea, in nomine tuo attollam manus meas.

6 Quasi adipe et pinguedine saturabitur anima mea, et labiis canoris laudabit *te* os meum.

7 Quum recordor tui super strata mea, in vigiliis meditor de te:

8 Te fuisse summo auxilio mihi, ita ut in umbra alarum tuarum canerem:

9 *Quum* adhærescens anima mea sequitur te, sustentat me dextera tua.

10 Quamobrem isti, *qui* vastationem quærunt animæ meæ, pervenient ad imas partes terræ.

11 Facient, ut diffluat eorum quisque per gladium; portio vulpium futuri sunt.

12 Rex vero ipse lætabitur in Deo; gloriabitur, quisquis jurat per eum, quum obturabitur os loquentium mendacium.

LXIV.

Magistro symphoniæ psalmus Davidis.

2 AUDI, o Deus, vocem meam dum meditor; a pavore inimici custodi vitam meam:
3 Absconde me ab arcano *consilio* maleficorum, a tumultuatione operam dantium iniquitati:
4 Qui exacuunt sicut gladium linguam suam; intentant *ut* sagittam suam verbum amarulentum.
5 Jaculis petendo ex latebris integrum, repente jaculis petunt eum, neque timent:
6 Confirmant sibi rem malam: narrant de abscondendis laqueis: dicunt, Quis videret illos?
7 Perscrutantur iniquitates: conficimur iis, quæ callidissime sunt perscrutati: adeo intimum viri et cor profundum *est*.

8 Sed ubi jaculis petierit eos Deus, *a* sagitta repentina fuerint plagæ eorum,
9 Fecerintque ut ipsa lingua sua in seipsos impingant: vagi se in fugam dabunt, quisquis viderit eos.
10 Quicunque autem homines reverentur, nunciabunt opus Dei, et factum ejus intelligendum proponent:
11 Lætabitur justus in Jehova, et recipiet se ad eum, denique gloriabuntur omnes recti animo.

LXV.

Magistro symphoniæ psalmus Davidis; canticum.

2 TIBI *debetur* certa laus, o Deus, *qui es* in Zione: et tibi rependendum est votum.

3 O qui exaudis orationem, ad te usque omnis caro ventura est.

4 Res iniquæ prævaluerant mihi, defectiones nostras tu expias.
5 Beatus, *quem* eligis et admoves inhabitaturum atria tua: saturamur bono domus tuæ, rebus sanctis templi tui.

6 Res reverendas in justitia proloqueris nobis, o Deus salutis nostræ, fiducia omnium extremitatum terræ et maris longinquarum:
7 Stabiliens montes virtute tua, accinctus potentia:
8 Compescens strepitum marium, strepitum fluctuum eorum, et fremitum nationum.
9 Qui facis, ut canant exortus matutinos et vespertinos incolæ extremitatum, reverentes a signis tuis.

10 Visitas hanc terram et appetis eam: plurimum ditas eam; rivo Dei pleno aquæ; paras frumentum illorum, quum ita præparaveris eam:
11 Porcas ejus irrigando, deprimendo lira ejus; imbribus dissolvis eam, germini ejus benedicis.
12 Coronas annum bonitatis tuæ, et orbitæ tuæ stillant pinguedinem:
13 Stillant *in* caulas deserti, et exsultatione colles accinguntur.
14 Vestiuntur pascua gregibus, et convalles obteguntur tritico: clangentes agunt, *atque* etiam canunt.

LXVI.

Magistro symphoniæ canticum *et* psalmus.

1 CLANGITE Deo, omnes *incolæ* terræ:
2 Psallite gloriam nominis ejus, apponite gloriam laudi ejus:

3 Dicite Deo, Quam reverendus *es* factis tuis: propter amplitudinem roboris tui mendaciter se dedunt tibi inimici tui.
4 Omnes *incolæ* terræ incurvent se tibi, et psallant tibi; psallant nomini tuo, *ut quum* maxime.
5 Venite et videte opera Dei; reverendus *est* actione erga filios hominis.
6 Convertit mare in aridam; per flumen transiverunt pedes, illic lætati sumus in eo.
7 Dominatur potentia sua in seculum: oculi ejus gentes speculantur: qui rebelles sunt, ne efferantur apud se ipsos admodum.
8 Benedicite, populi, Deo nostro; et facite, ut resonet vox laudis ejus:
9 Qui restituit animam nostram in vitam, neque permittit dimoveri pedes nostros.
10 Postquam probasti nos, Deus; conflasti nos, ut conflatur argentum:
11 Induxisti nos in rete ipsum, imposuisti cingulam *asinariam* lumbis nostris:
12 Fecisti, ut insideret mortalis in caput nostrum; ingressi sumus per ignem et per aquam; tandem eduxisti nos ad hanc saturitatem.

13 Ingrediens domum tuam cum holocaustis, rependam tibi vota mea,
14 Quæ *nuncupaverint* aperta labia mea, et elocutum fuerit os meum in angustia mea.
15 Holocausta pinguium arietum offeram tibi cum suffitu: parabo boves cum hircis potentissime.
16 Agite, audite, quicunque timetis Deum; ut enarrem, quæ fecit animæ meæ.
17 Eum ore meo inclamavi, et *fui* elatus pro *sermonibus* linguæ meæ:
18 Ad iniquitatem si spectassem animo meo, non exaudivisset Dominus.

19 At certe exaudivit Deus, attendit vocem orationis meæ.
20 Benedictus *est* Deus, qui non avertit orationem meam *a se*, et benignitatem suam a me.

LXVII.

Magistro symphoniæ fidium psalmus *et* canticum.

2 DEUS gratiam faciat nobis, et benedicat nobis; illustret faciem suam erga nos maxime:
3 Ut agnoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam.
4 Celebrent te populi, Deus, celebrent te populi omnes.
5 Lætentur et cantent nationes, quum judicabis populos recte, et nationes ipsas in terra deduces potentissime.
6 Celebrent te populi, Deus; celebrent te populi omnes.
7 Terra dante proventum suum, benedicat nobis Deus, Deus noster.
8 Benedicat nobis Deus, et revereantur eum omnes fines terræ.

LXVIII.

Magistro symphoniæ Davidis psalmus *et* canticum.

2 SURGENTE Deo disperguntur inimici ejus, et fugiunt infesti osores ejus a conspectu ejus.
3 Quasi impellas fumum, impellis *eos;* ut liquefit cera ab igne, pereunt improbi a conspectu Dei.
4 Justi vero lætantes exsultant coram Deo, et gaudent in lætitia.
5 Cantate Deo, psallite nomini ejus; extollite

eum, qui insidet amœnitatibus, de nomine ejus Jah; ac exsultate coram eo.
6 Pater pupillorum et defensor viduarum *est* Deus, in habitaculo sanctitatis suæ.
7 Deus collocat solitarios in familia, educit vinctos compedibus: at rebelles inhabitant locum aridissimum.

8 O Deus, quum procederes coram populo tuo, quum gradereris per solitudinem excellentissime:
9 Terra movebatur, etiam cœli destillabant a præsentia Dei: ipse Sinai a præsentia Dei, Dei Israelis.
10 Pluviam liberalissimam stillabas, Deus; possessionem tuam, eamque defessam, tu instaurabas.
11 Tui catervatim habitabant in ea; te parante per bonitatem tuam pauperi illi afflicto, Deus.
12 Dominus dabat sermonem; eæ, quæ annunciabant, exercitu magno *dicebant*,
13 Reges exercituum fugiunt, fugiunt: et quæ commoratur domi, partitur spolia.
14 Etiamsi jacueritis inter duas strues lapideas, *eritis similes* alis columbæ, tectæ argento; cujus pennæ *sunt* ex fulvo auro effosso.
15 Quum expanderit omnipotens reges in hac *terra*, niveus eris in Zalmone,
16 Monte maximo, monte Basanis: monte frequente gibbis, monte Basanis.
17 Quare dejiceretis vos, montes frequentes gibbis? hæc montana desiderat Deus ad sedem suam, etiam Jehova inhabitabit in æternum.
18 Curruum Dei duæ *sunt* myriades, millia multiplicia: Dominus cum illis *est*, *Dominus* Sinai in sanctuario *habitans*.

19 Ascendens in sublime captivam fecisti captivorum multitudinem: accipiens *dedisti* dona hominibus: etiam rebelles habitando *captivos facis*, Jah Deus.

20 Benedictus Dominus, *qui* quotidie onerat nos *donis; Deus* ille fortis salus nostra excellentissime.

21 *Deus* ille fortis nobis *est Deus* fortis ad salutem omnimodam: et Jehovi Domino *sunt* exitus contra ipsam mortem.

22 Tantummodo Deus frangit caput inimicorum suorum, verticem comatum indesinenter ambulantis in reatibus suis.

23 Dixerat Dominus, Ex Basane reduco, reduco ex profunditatibus maris.

24 Ut frangens *immergas* pedem tuum in sanguine, linguam canum tuorum; *sanguine fluente* ab inimicis, ab unoquoque eorum.

25 *Quum* viderent incessus tuos, o Deus; incessus Dei fortis mei, regis mei, *qui est* in sanctuario:

26 Præcedebant cantores, post fidicines inter puellas tympana pulsantes.

27 In congregationibus benedicite Deo, Domino, *qui estis* e scaturigine Israelis.

28 Illic *sit* Benjamin parvus *et* dominator eorum, principes Judæ *et* cœtus eorum, principes Zebulonis, principes Naphthali.

29 Præcipis Deus tuus robustum esse te; corrobora, o Deus, quod operatus es in nobis.

30 E templo tuo propter Hierosolyma tibi afferent reges donarium.

31 Perde catervam arundiferam, cœtum robustorum juvencorum cum vitulis populorum, fingentem subjicere se cum fragminibus argenti; dissipat populos, *qui* bellis delectantur.
32 Veniant magnates ex Ægypto, Æthiopia celeriter transmittat manuum suarum *donum* ad Deum.

33 Regna terræ, cantate Deo; psallite Domino vehementissime;
34 Insidenti cœlis cœlorum antiquorum; en, edit voce sua vocem robustam.
35 Tribuite robur Deo, cujus excellentia *est* super Israelem, et cujus robur in superioribus nubibus.
36 Formidabilis es, o Deus, e sanctuariis tuis: *Deus* fortis Israelis ipse dat robur et vires huic populo, benedictus *sit* Deus.

LXIX.

Magistro symphoniæ ad hexachorda Davidis *ode*.

2 SERVA me, Deus, quia perveniunt aquæ usque ad animam:
3 Demergor in cœnum profundissimum, ubi non *est* consistendi locus: ingredior profunditates aquarum, et fluentum inundans abripit me:
4 Fatigor clamando, exsiccatur guttur meum, deficiunt oculi mei sperantis in Deum meum.
5 Plures sunt quam capilli capitis mei, qui oderunt me immerito; potentiores sunt, qui conantur me succidere, qui mihi sunt inimici injuria; tunc quod non rapui, rependere cogor.
6 O Deus, tu novisti stultitiam meam; et reatus mei non sunt celati tibi.
7 Ne erubescant de me exspectantes te, Domine

Jehova, *Deus* exercituum: ne rubore suffundantur mea causa, qui quærunt te, Deus Israelis.

8 Nam propter te sustineo opprobrium, operit ignominia faciem meam:
9 Extraneus effectus sum fratribus meis, et alienus filiis matris meæ:
10 Quia zelus domus tuæ exedit me, et opprobria probris afficientium te accidunt mihi.
11 Quum flens *affligo* jejunio animam meam, tum hoc vertitur in summum probrum mihi.
12 Quum statuo vestimentum meum cilicium, tum sum illis in parabolam.
13 Confabulantur de me sedentes in porta, et *canunt* odas lyricas bibentes potum inebriantem.

14 *De* me itaque oratio mea ad te *est hæc:* Jehova, tempus *est* benevolentiæ: Deus pro amplitudine benignitatis tuæ exaudi me, pro fide salutari tua.
15 Eripe me e luto, et ne immergar; eripiar ab osoribus meis, et a profunditatibus aquarum:
16 Ne inundans abripiat me fluentum aquarum, neque absorbeat me profundum: et ne præcludat mihi puteus os suum.
17 Exaudi me, Jehova, quia bona *est* benignitas tua: secundum amplitudinem miserationum tuarum respice ad me:
18 Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo; quia *est* angustia mihi: festina, exaudi me,
19 Appropinqua ad animam meam, vindica eam: propter inimicos meos redime me.

20 Tu nosti opprobrium meum, pudoremque meum, et ignominiam meam: coram te *sunt* omnes hostes mei.
21 Opprobrium frangit animum meum, adeo ut afficiar ægritudine: quumque exspecto, qui con-

doleat, nemo adest; aut consolatores, tamen non invenio:
22 Quin *potius* dant pro alimento meo amarorem: et in siti mea bibendum dant mihi acetum.

23 Sit mensa eorum ante eos pro laqueo; et pro retributionibus, pro tendicula *ipsis*.
24 Obtenebrentur oculi eorum, ut non videant: et fac, ut lumbi eorum jugiter nutent.
25 Effunde super eos indignationem tuam, et æstus iræ tuæ assequatur eos.
26 Sint castella eorum desolata, in tentoriis eorum ne sit habitator:
27 Quia, quem tu percussisti, persequuntur, et secundum dolorem confossorum tuorum narrationes contexunt.
28 Appone pœnam ad pœnam iniquitatis eorum, et ne veniant in justitiam tuam.
29 Deleantur de libro vitæ, et cum justis ne conscribantur.

30 Ego vero pauper et dolens, *quum* salus tua, Deus, in edito collocaverit me,
31 Laudabo nomen Dei cantico, et magnificabo eum gratiarum actione:
32 Quæ melior videbitur Jehovæ bove, juvenco cornuto *aut* ungulam scissam habente *quoquam*.

33 *Quod ubi* viderint mansueti, lætabuntur: et reviviscet animus vester, o quærentes Deum:
34 Quod attendat ad egentes Jehova, et vinctos suos non spernat.

35 Laudabunt eum cœli et terra; maria, et quicquid repit in eis:
36 Quia Deus servat Zionem, et instaurat civitates Judæ; ut habitent ibi, et hæreditario jure possideant eam *terram:*

37 Posteri, inquam, servorum ejus possideant eam, et amantes nominis ejus habitent in ea.

LXX.

Magistro symphoniæ *ode* Davidis ad recordandum.

2 DEUS ad eripiendum me; Jehova, ad auxilium meum festina.
3 Pudefiant et rubore perfundantur quærentes animam meam: agantur retrorsum et ignominia afficiantur, qui delectantur malo meo.
4 Retrocedant pro mercede pudoris sui, qui dicunt, Euge, euge!
5 Gaudeant et lætentur in te omnes quærentes te: ac dicant jugiter, Magnificetur Deus, amantes salutis tuæ.
6 Ego vero sum pauper et egens, o Deus, festina mea causa: auxilium meum et liberator meus es, Jehova, ne tardes.

LXXI.

1 AD te, Jehova, me recipio, ne erubescam unquam.
2 Justitia tua eripe me et libera me, inclina ad me aurem tuam ac serva me.
3 Esto mihi rupes, quam inhabitem, quo veniam jugiter; præceptum posuisti de servando me, quia petra mea et munitio mea es.
4 Deus mi, libera me e manu improbi, e manu inique et præfracte agentis.
5 Nam tu *es* exspectatio mea, Domine Jehova, fiducia mea a pueritia mea.
6 Tibi innitor inde ab utero, a visceribus matris meæ tu abripuisti me: in te *est* laus mea jugiter.
7 Tanquam ostentum fui multis: adeo es mihi receptus robustus.

8 Impleatur os meum laude tua, toto die gloria tua.

9 Ne abjicias me tempore senectutis: quum deficit virtus mea, ne derelinquas me:
10 Quia loquuntur inimici mei de me, et observantes animam meam consultant simul:
11 Dicendo, Deus dereliquit eum; persequimini et prehendite eum, quia nemo *est* qui eripiat.

12 Deus, ne longe abesto a me: Deus mi, ad auxilium meum festina.
13 Pudefiant, deficiant adversantes animæ meæ; operiantur opprobrio et ignominia quærentes malum meum.

14 Ego vero jugiter in exspectatione sum de tota laude tua; et perrecturus sum.
15 Os meum narraturum est justitiam tuam, quotidie salutem tuam: quamvis ignorem numeros *ejus:*
16 Aggrediar omnimodam fortitudinem, Domine Jehova: commemorabo justitiam tuam solius.

17 Deus, docuisti me a pueritia mea, et huc usque indicavi mirabilia tua.
18 Quare etiam tantipser dum senex et canus sum, Deus, ne derelinquas me, donec indicavero brachium tuum *huic* generationi, omni venturæ *generationi* fortitudinem tuam:

19 Nam justitia tua, Deus, in altum usque *assurgit*, quia facis res magnas; Deus, quis *est* par tibi?
20 Quia, postquam fecisti ut experirer angustias magnas et malas, rursus vitæ restituis me, et ex abyssis terræ rursus facis ut ascendam.
21 Auges magnitudinem meam, et divertens consolaris me.

22 Etiam ego celebraturus sum te instrumento nablii, fidem*que* tuam, Deus mi; psallam tibi cithara, o Sancte Israelis.
23 Cantabunt labia mea, quando psallam tibi, et anima mea quam redemeris;
24 Etiam lingua mea quotidie enunciabit justitiam tuam: quod erubuerint, quod pudore perfusi fuerint quærentes malum meum.

LXXII.

Pro Salomone.

1 O Deus, judicia tua regi da, et justitiam tuam filio regis.
2 Iudicet populum tuum juste, et pauperes tuos jure.
3 Proferant montes pacem populo, et colles propter justitiam.
4 Vindicabit pauperes populi, servabit filios egentis, conteret vero oppressorem.
5 Reverebuntur te, quamdiu erit sol; et durante luna in generationem æternam.
6 Ut quum descendit pluvia super sectam herbam, quum imbres, irrigatio terræ:
7 Florebit temporibus ejus justus, et amplitudo pacis, donec non sit luna:
8 Et dominabitur a mari uno ad alterum, et a flumine quaqua *sunt* fines terræ.
9 Coram eo honorem exhibentes incurvabunt se barbari, et inimici ejus pulverem lingent.
10 Reges oceani *accolæ* et insulani munus reddent; reges Arabiæ et Sebæ donarium offerent:
11 Denique incurvabunt se *honorem exhibentes* ei omnes reges, omnes gentes servient ei.
12 Quoniam eripiet egentem vociferantem, et pauperem, cui non fuerit adjutor:

13 Parcet attenuato et egenti, animasque egenti um servabit:
14 A dolo et a violentia vindicabit animam eorum: adeo pretiosus *est* sanguis eorum in oculis ejus.
15 Ideo quamdiu vivet, dabit ei de auro Arabiæ; et orabit pro eo jugiter, toto die benedicet ei.
16 *Ubi* fuerit pugillus tritici in terra, in vertice montium, commovebit se ut Libanus fructus ejus, et florebunt cives ut herba terræ.
17 Erit nomen ejus in seculum, durante sole sobolescet nomen ejus: et benedicentes sibi in eo, omnes gentes beatum prædicabunt eum.
18 Benedictus *sit* Jehova Deus; Deus Israelis, qui facit mirabilia solus:
19 Et benedictum nomen gloriæ ejus in seculum: impleaturque gloria ejus tota terra. Amen, iterum Amen.
20 Finiuntur orationes Davidis, filii Jsai.

TERTIUS LIBER PSALMORUM.

LXXIII.

Psalmus Asaphi.

1 Atqui bonus *est* Israeli Deus, puris animo.
2 Equidem *quod ad* me, pæne declinaverant pedes mei; nihil fere *aberat*, *quin* effunderentur gressus mei.
3 Quum inviderem insanientibus, prosperitatem improborum aspicerem.
4 Nam non *sunt* nexus usque ad mortem eorum, sed pingue *est* robur eorum.

5 In labore mortalium non sunt, et cum *reliquis* hominibus non afficiuntur plagis.
6 Idcirco cingit eos torques superbiæ, operit *velut* ornamentum violentia eos.
7 Emicat præ pinguedine uterque oculus eorum, superant cogitationes animi.
8 Tabifici sunt, et loquuntur maligne oppressionem: *et* e sublimi loquuntur.
9 Opponunt cœlis os suum, et lingua eorum pervadit terram.
10 Ideoque redit populus ejus huc, quum aquæ pleni *poculi* exprimuntur ipsis;
11 Ut dicant, Quomodo cognosceret Deus fortis? aut esset notitia in excelso?
12 Ecce istos improbos, ut tranquilli *in* seculo augeant vires.
13 Utique inaniter purifico animum meum, et lavo in munditia manus meas:
14 Quum sim plaga affectus quotidie, et castigatio mea *præsto sit* matutinis singulis.
15 Si dixerim, Narrabo talia; ecce generationi filiorum tuorum perfidus fuero:
16 Si cogitem cognoscere hoc, laboriosum *visum* est in oculis meis:
17 Donec ingressus essem in sanctuaria *Dei* fortis, animadvertissem finem istorum.
18 Utique in lubricis ponis eos, dejiciens eos in vastitates.
19 Quomodo abeunt in desolationem quasi momento: desinunt, consumuntur terroribus!
20 Tanquam somnium, postquam evigilavit *quispiam!* Domine, quum expergisceris, imaginem eorum contemnis.
21 Quum exacerbatur animus meus, et *in* renibus meis meipsum exacuebam,

22 Tum eram brutus, qui ignorarem: *velut* jumenta eram apud te.

23 Itaque ego jugiter *futurus sum* tecum: prehendisti manum dexteram meam.
24 Consilio tuo deduc me, ut postmodum *in* gloriam recipias me.
25 Quis *esset* mihi in cœlis *præter te?* et præter te nullo delector in terra.
26 Deficiente carne mea et animo meo, rupes animi mei et portio mea Deus *est* in seculum.

27 Nam ecce, longinqui a te pereunt; exscindis, quicunque adulterando *deficit* a te.
28 De me itaque, propinquum esse Deo mihi bonum *est;* pono in Domino Jehova receptum meum, ut enarrem omnia opera tua.

LXXIV.

Ode didascalica Asapho.

1 QUARE, Deus, rejicis in æternum? fumare pergit ira tua in gregem pastus tui?
2 Recordare cœtus tui, te acquisivisse antea, vindicasse tribum possessionis tuæ; montem Zionis hunc *esse,* in quo habitabas.
3 Attolle pedes tuos ad vastitates æternas; *ad* omnia mala, quæ facit inimicus in loco sancto.
4 Rugientes hostes tui in medio synagogarum tuarum posuerunt insignia sua *pro* insignibus.
5 Nobilis habitus est *eorum quisque,* prout efferebat sursum contra implexa ligna secures.
6 Etiam nunc sculpturas ejus simul vecte et tuditibus tundunt.
7 Immiserunt ignem in sanctuaria tua; *dejicientes* in terram profanarunt tabernaculum nominis tui.
8 Dixerunt cum animo suo, Vim inferamus eis pa-

riter! incenderunt omnes synagogas *Dei* fortis,
deficientes in terram:
9 Insignia nostra non videmus, non *est* amplius
propheta, neque *est* apud nos qui sciat usque
quo.

10 Quousque, o Deus, probro afficiet hostis? irritabit inimicus nomen tuum in æternum?
11 Quare avertis manum tuam, et *quidem* dexteram
tuam? e medio sinus tui cohibe.
12 Atqui Deus rex meus *est* jam olim, operans
omnimodam salutem in medio terræ.
13 Tu disrupisti robore tuo mare, perfregisti capita
cetorum in aquis.
14 Tu conquassasti capita balænæ, dedisti cibum
ipsi populo per deserta *proficiscenti*.
15 Tu fidisti fontem et torrentem; tu arefacis fluvios validos.
16 Tuus *est* dies; etiam tua nox: tu parasti lumen
hujus et solem.
17 Tu statuisti omnes terminos terræ; ipsam æstatem et hyemem tu formasti.

18 Recordare *saltem* hujus, inimicum probro afficere, o Jehova, et populum stultum irritare
nomen tuum.
19 Ne tradas *isti* catervæ vitam turturis tuæ, catervæ pauperum tuorum afflictorum ne obliviscaris
in æternum.
20 Intuere in fœdus: nam repleta sunt obscurissima
loca terræ, caulæ *sunt* violentiæ.
21 Qui attritus est, ne redeat confusus, pauper et
egens laudent nomen tuum.
22 Surge, o Deus, age causam tuam; recordare
opprobrii tui, *quo afficeris* a stulto quotidie.
23 Ne obliviscaris vocis hostium tuorum; strepitus
insurgentium in te, augescentis jugiter.

LXXV.

Magistro symphoniæ, ne perdas, psalmus Asapho *et* canticum.

2 CELEBRAMUS te, Deus, celebramus: nam propinquum nomen tuum: enarrant mirabilia tua.

3 Quum excepero conventum, ego rectissime judicabo.

4 Solutas terræ omniumque habitatorum ejus ego aptabo columnas maxime:

5 Dicens insanientibus, Ne insaniatis; et improbis, Ne attollatis cornu:

6 Ne attollatis contra excelsum cornu vestrum, *ne* loquamini collo duro;

7 Non enim ab exortu aut ab occasu, neque a deserto *est* exaltatio:

8 Sed Deus judex: hunc deprimit, et illum extollit.

9 Nam poculum in manu Jehovæ, et vinum turbidum est, plenum mixtione, ex quo fudit: veruntamen fæces ejus, *quas* expresserint, bibent omnes improbi terræ.

10 Ego itaque annunciem in seculum, psallam Deo Jacobi.

11 Et omnia cornua improborum succidam; exaltentur cornua justi.

LXXVI.

Magistro symphoniæ fidium psalmus Asapho *et* canticum.

2 NOBILIS *est* in Juda Deus, in Israele magnum nomen ejus.

3 Cujus tugurium *est* Salemi, et habitaculum Zione.

4 Ibi confregit coruscos arcus, scutum gladiumque
et bellum vehementissime.
5 Illustris factus es, magnificus, ex montibus dire-
ptionis.
6 Dediderunt se in prædam robusti animo, dor-
mitaverunt somnum suum: adeo ut non inveneri-
nt ulli viri bellatores manus suas.
7 Præ increpatione tua, o Deus Jacobi, consopitus
est et currus et equus.

8 Tu, tu, *inquam*, formidabilis *es:* ecquis con-
sisteret coram te, ex quo irasceris?
9 E cœlis facis, ut audiatur sententia; terra timet,
et quieta sidit:
10 Quum surgit ad judicium Deus, ad servandum
omnes mansuetos terræ maxime.
11 Nam æstus hominum celebrat te, residuo æstuum
accingis *tuos*.

12 Vovete et *vota* reddite Jehovæ Deo vestro:
quicumque circumstant illum, afferant munus illi
formidabili,
13 *Qui* vindemiat spiritum antecessorum, formida-
bili regibus terræ.

LXXVII.

Magistro symphoniæ, præfecto *posteris* Jeduthunis,
Asaphi psalmus.

2 Vox mea ad Deum *fertur*, quum exclamo:
vox mea ad Deum, ut aurem advertat ad me.
3 Tempore angustiæ meæ Dominum requiro: manu
mea noctu perfusa et non intermittente: renuente
consolationem admittere anima mea.
4 Recordor Dei, quum fluctuando perstrepo: me-
ditor, quum obruit se spiritus meus vehementis-
sime.

5 *Quum* tenes vigiles oculos meos, concutior, ita ut non possim eloqui.
6 Reputo tempora inde ab antiquitate, annos *superiorum* seculorum.
7 Recordor musicæ pulsationis meæ nocte: cum animo meo meditor, et perscrutatur spiritus meus, *dicens:*

8 An in secula repelleret Dominus? aut non pergeret bene velle amplius?
9 An deficeret in æternum benignitas ejus? desineret sermo in quamque generationem?
10 An oblitus esset gratiam facere *Deus* fortis? an occluderet ira miserationes suas summe?
11 Tandem dico, Infirmare me istud, mutata dextera Excelsi?
12 *Imo* recordabor actionum Jah: quin recordabor inde ab antiquitate quodque mirabilium tuorum:
13 Et meditabor de unoquoque opere tuo; de actionibus tuis confabulabor, *dicens:*

14 O Deus, in sanctitate via tua *est;* quis *Deus* fortis magnus *est* ut Deus?
15 Tu, o *Deus* fortis mirifice, ostendisti in populis robur tuum.
16 Vindicasti brachio populum tuum: posteros Jacobi, etiam Josephum maxime.
17 Videntes te aquæ, Deus, videntes te aquæ formidarunt: etiam commotæ sunt abyssi.
18 Exundarunt aquas nubes, sonum ediderunt superiores nubes: etiam pervaserunt sagittæ tuæ.
19 Sonante tonitru tuo in isto orbe, illustrarunt fulgura orbem habitabilem: commota est et tremuit terra.

20 Per mare via tua, et semita tua per aquas amplas; ubi vestigia tua non sunt cognita,
21 Duxisti ut gregem populum tuum, Mosis et Aaronis opera.

LXXVIII.

Ode didascalica Asaphi.

1 AURIBUS percipe, populе mi, doctrinam meam; inclinate aurem vestram ad sermones oris mei.
2 Aperiam per parabolam os meum, eructabo occulta inde *a* prisco *tempore:*
3 Quæ audivimus ac novimus, ut majores nostri narraverunt nobis;
4 Non celabimus filios eorum, generationem posteram: narraturos laudes Jehovæ, roburque ejus, et mirabilia ejus opera, quæ fecit.
5 Nam statuit testimonium in Jacobo, et legem posuit in Israele; quæ præcepit majoribus nostris nota facere filiis ipsorum:
6 Ut sciant generatio postera, filii nascituri, surgentesque enarrent filiis suis:
7 Et ponant in Deo spem suam, neque oblivi-scantur actionum Dei fortis; sed præcepta ejus custodiant:
8 Ac non sint ut majores eorum, generatio contumax et rebellis; generatio, quæ non comparavit animum suum, et cujus spiritus non fuit constans erga *Deum* fortem.

9 Ut posteri Ephraimi armati jaculantes arcu, vertentes *terga* tempore prælii:
10 *Quia* non servaverant fœdus Dei, et in lege ejus renuerant ambulare:
11 Obliti actionum ejus et mirabilium ejus operum, quæ ostenderat ipsis.

12 Coram majoribus eorum fecerat miracula, in terra Ægypti, agro Tanitico.
13 Diffiderat mare, ut traduceret eos; statuens aquas tanquam acervum;
14 Deduxeratque eos nube interdiu, et totam noctem lucente igne.
15 Fiderat rupes in deserto, ut potum præberet in abyssis plurimum,
16 Educens fluenta e petra, et demittens tanquam flumina aquas.

17 Perrexerunt tamen adhuc peccare in eum, exacerbando Excelsum in ipsa *terra* sicca:
18 Et tentantes *Deum* fortem cum animo suo, petiverunt cibum pro desiderio animi sui:
19 Ac obloquentes contra Deum dixerunt, an posset *Deus* fortis instruere mensam in hoc deserto?
20 En, ita percussit rupem, ut fluxerint aquæ et torrentes exundaverint: an etiam cibum posset dare? an pararet carnem populo suo?

21 Idcirco audiens Jehova excanduerat: et ignis succensus erat in Jacobum, ac etiam ira arserat in Israelem:
22 Quia non crediderant in Deum, neque confisi erant *in* salute ejus:
23 Quamvis præcepisset superioribus nubibus superne, et januas cœlorum aperuisset:
24 Depluensque super eos Man ad comedendum, frumentum cœlorum daret illis:
25 Panem robustissimorum comederet quisque, viaticum mitteret eis ad saturitatem:

26 Impellens Eurum in cœlis, et inducens robore suo Austrum,

27 Quum depluisset super eos carnem tanquam pulverem, et sicut arenam marinam volucres alatas,
28 Dejiciens intra castra sua, circa tabernacula sua:
29 Et comedentes saturati essent valde, et quod concupiverant illi, attulisset illis:
30 Nondum alienati erant a concupiscentia sua, adhuc cibus eorum in ore eorum *erat*,
31 Quum ira Dei ardens in eos interficeret e pinguissimis eorum; et juvenes Israelis prosterneret.

32 Post totum hoc peccaverunt amplius, neque crediderunt propter mirabilia ejus opera.
33 Quamobrem consumebat vanitate dies illorum, et annos illorum terrore.
34 Quum occidebat eos, si requirebant eum, et conversi mane quærebant *Deum* fortem,
35 Recordantes Deum fuisse rupem suam, et *Deum* fortem excelsum *fuisse* vindicem suum.

36 Quamvis conarentur eum decipere ore suo, et lingua sua mentirentur ei,
37 Et animus ipsorum non esset comparatus erga eum, neque constantes essent in fœdere ejus:
38 Tamen ille misericors expiabat iniquitatem, ita ut non perderet; et plurimum avertebat iram suam, neque excitabat totum æstum suum;
39 Recordans carnem eos esse, ventum abeuntem, qui non revertitur.

40 Quoties exacerbaverunt eum in deserto? dolore affecerunt eum in solitudine?
41 Qui subinde tentarunt *Deum* fortem, et sanctum Israelis circumscripserunt,

42 Immemores manus ejus, diei, quo redemerat
ipsos ab hoste:
43 Quo disposuit in Ægypto signa sua, et prodigia
sua in agro Tanitico:
44 Quum mutavit in sanguinem rivos eorum fluen-
taque eorum, ne bibere possent:
45 Immisit in eos colluviem animalium, quæ con-
sumeret eos, ac ranas, quæ perderent eos:
46 Et dedit brucho proventum eorum, ac laborem
eorum locustæ:
47 Occidit grandine vites eorum, et sycomoros eo-
rum *igni*, qui, quacumque insidebat, consumeret:
48 Dedit etiam eidem grandini bruta eorum, et pe-
cora eorum prunis ignitis:
49 Immisit in eos æstum iræ suæ, excandescentiam
indignationemque et angustiam, mittendo nuncios
malorum:
50 Liberavit iter ad iram suam, non cohibuit a
morte vitam illorum: et bestias eorum pesti de-
didit:
51 Et percussit omne primogenitum in Ægypto,
principium virium in tentoriis Chami:
52 Et transtulit tanquam pecudes populum suum,
direxitque eos tanquam gregem per desertum:
53 Et deducens eos secure, ita ut non metuerent,
postquam inimicos eorum operuisset mare,
54 Adduxit eos in terminum sanctitatis suæ, mon-
tem hunc, *quem* acquisivit dextera ejus;
55 Expellens a facie eorum gentes, faciensque ut
acciderent funiculo possessionis: et habitaverunt
in tentoriis earum tribus Israelis.

56 Attamen tentarunt et exacerbarunt Deum ex-
celsum, et testimonia ejus non observarunt:
57 Sed aversi perfide egerunt ut majores eorum:
conversi sunt ut arcus fallax.

58 Nam provocarunt eum per excelsa sua, et per sculptilia sua ad zelotypiam concitarunt eum.

59 *Quod* audiens Deus excanduit, sprevitque valde Israelem:

60 Adeo ut deserens tabernaculum Siluntis, tentorium, *quod* collocaverat inter homines:

61 Traderet in captivitatem robur suum, et gloriam suam in manum hostis:

62 Dederetque gladio populum suum; quia in possessionem suam excanduerat:

63 Juvenes ejus absumeret ignis, et virgines ejus non laudarentur:

64 Sacerdotes ejus gladio conciderent, et viduæ ejus non flerent.

65 Deinde evigilavit Dominus, *qui visus fuerat* tanquam dormiens, sicut robustus, cantillans ex vino:

66 Et percussit hostes suos retro, opprobrium perpetuum indidit eis.

67 Tandem sprevit tentorium Josephi, et tribum Ephraimi non elegit.

68 Eligens vero tribum Judæ, montem Zionis, quem diligat:

69 Ædificavit simile excelsis *palatiis* sanctuarium suum: utpote *in* terra, quam statuit in seculum.

70 Eligensque Davidem servum suum, et assumens eum ex caulis gregis:

71 A tergo fœtarum duxit eum ad pascendum Jacobum, populum suum, et Israelem, possessionem suam.

72 Qui pavit eos pro integritate animi sui, et summa prudentia manuum suarum deduxit eos.

LXXIX.

Psalmus Asapho.

1 O Deus, ingressæ sunt gentes in possessionem tuam; polluerunt templum sanctitatis tuæ, disposuerunt Hierosolyma in cumulos.
2 Dederunt cadaver servorum tuorum cibo volucribus cœli; carnem eorum, quos benignitate prosequeris, bestiis terræ.
3 Effuderunt sanguinem eorum velut aquam circa Hierosolyma, nec *erat* qui sepeliret.
4 Sumus opprobrio vicinis nostris, sannæ et ludificationi circumstantibus nos.

5 Quousque Jehova? irasceris in æternum? ardebit velut ignis zelus tuus?
6 Effunde æstum tuum in eas gentes, quæ non agnoscunt te, et super regna, quæ nomen tuum non invocant.
7 Nam *consumtor* consumpsit Jacobum, et habitaculum ejus desolaverunt.

8 Ne recorderis adversus nos iniquitates præcedentium *temporum:* festinantes præveniant nos miserationes tuæ, nam attenuati sumus valde.
9 Auxiliare nobis, Deus salutis nostræ, propter honorem nominis tui; et eripe nos, expiationemque fac de peccatis nostris propter nomen tuum.
10 Cur dicturæ essent istæ gentes, Ubinam *est* Deus istorum? innotescat in istis gentibus ante oculos nostros ultione sanguinis servorum tuorum effusi.
11 Perveniat ante faciem tuam gemitus vincti; pro magnitudine brachii tui fac, ut reliqui sint qui jam traduntur morti.
12 Redde ergo vicinis nostris septuplo in sinum

ipsorum: opprobrium ipsorum, quo affecerunt te, Domine.
13 Et nos, populus tuus et grex pastus tui, celebrabimus te in seculum, in quamque generationem enarrabimus laudem tuam.

LXXX.

Magistro symphoniæ ad hexachorda psalmus testimonii Asapho.

2 O pastor Israelis, auribus percipe! ductor Josephi tanquam gregis, insidens Cerubinis, illucesce!
3 Coram Ephraimo Benjamineque et Menasse excita potentiam tuam: et veni ad plenam salutem *afferendam* nobis.

4 O Deus, restitue nos et fac, ut luceat facies tua: ita servabimur.

5 Jehova, Deus exercituum, quousque fumaturus es contra orationem populi tui?
6 Cibas eos pane lacrymarum, et bibendum præbes eis de lacrymis triental.
7 Exponis nos contentioni vicinis nostris, et inimici nostri subsannant *nos*.

8 O Deus exercituum, restitue nos et fac, ut luceat facies tua: ita servabimur.

9 Vitem ex Ægypto transtuleras: expuleras gentes, ut plantares eam:
10 Expediveras ante eam, fecerasque, ut ageret radices suas: et impleverat terram.
11 Operiebantur montes umbra ejus, et palmitum ejus cedri maximæ.
12 Emittebat ramos suos usque ad mare, et ad flumen teneros ramos suos.

13 Quare perrupisti macerias ejus, adeo ut carpant eam omnes viatores?
14 Suffodiat eam porcus sylvestris, et animal agreste depascat eam?
15 O Deus exercituum, revertere jam, intuere e cœlis et respice: ac visita vitem hanc,
16 Et surculum, quem plantaverat dextera tua: idque propter filium, *quem* fortificasti tibi.
17 Incensa igne, succisa *est;* ab increpatione faciei tuæ pereunt.
18 Adsit manus tua viro dexteræ tuæ: filio hominis, quem fortificasti tibi:
19 Ac non retrocedemus a te: in vita conserva nos, ut nomen tuum invocemus.

20 Jehova, Deus exercituum, restitue nos; fac, ut luceat facies tua: ita servabimur.

LXXXI.

Magistro symphoniæ ad Gitthæa *ode* Asapho.

2 CANTATE Deo, robori nostro; vociferamini Deo Jacobi.
3 Sumite psalmodica instrumenta, et apponite tympanum, citharam amœnam cum nablio.
4 Clangite in novilunio buccina, stativis quibusque feriis, diebus festis nostris.
5 Nam statutum in Israele est, ritus a Deo Jacobi:
6 Qui testimonium in Josepho imposuit ipsum, quum processisset contra terram Ægypti, *ubi* sermonem ignotum audiebam.

7 Amovi, *inquit*, ab onere humerum ejus; manus ejus a lacusculo *intritæ* abierunt.
8 Quum in angustia illa exclamares, liberavi te:

exaudivi te in latebris tonitru: probavi te *usque* ad aquas Meribæ summe.

9 Audi, populе mi, et contestabor te, o Israel, si auscultaveris mihi:

10 *Si* non erit in te *Deus* fortis extraneus, neque incurvabis te *Deo* forti alienigenæ *honorem exhibens.*

11 Ego *sum* Jehova, Deus tuus, qui feci ut ascenderes e terra Ægypti: dilata os tuum, et impleturus sum illud.

12 Sed non auscultavit populus meus voci meæ, et Israel non acquievit mihi.

13 Quapropter dimisi eos *ambulaturos* ex sententia animi sui, *dicens*, Abeant cum pravis consiliis suis.

14 O si populus meus auscultasset mihi, *si* Israelitæ in viis meis ambulassent:

15 Vel momento inimicos eorum fuissem depressurus, quum in hostes eorum convertissem manum meam.

16 Osores Jehovæ mendaciter se dedissent ei, et futurum fuisset tempus istorum in seculum:

17 Denique cibaturum fuisset eum adipe tritici; etiam ex rupe melle fuissem satiaturus te.

LXXXII.

Psalmus Asapho.

1 Deus adstat in cœtu *Dei* fortis, inter magistratus judicat.

2 Qousque judicabitis inique, et personam improborum suscipietis summe?

3 Judicate *secundum* tenuem et pupillum; afflictum et pauperem justum pronunciate;

4 Liberate tenuem et egentem, e manu improborum eripite.

5 Ignorantibus et non animadvertentibus, in tenebris indesinenter ambulantibus illis, dimoventur omnia fundamenta terræ.

6 Ego dico, Dii *quidem* estis, et filii Excelsi vos omnes:

7 *At* certe ut plebejus homo morituri estis, etiam sicut unus aliorum principum casuri estis.

8 Surge, o Deus, judica terram: tu enim possessionem habes *judiciorum* in omnibus gentibus.

LXXXIII.

Canticum *et* psalmus Asapho.

2 O Deus, ne agas silentium; ne surdum agas, neque quiescas, o *Deus* fortis.

3 Nam ecce, inimici tui perstrepunt, et osores tui extollunt caput.

4 Contra populum tuum callide ineunt consilium, et consultant contra abditos tuos,

5 Dicentes, Agite, excindamus istos, ne sint gens; ut non memoretur nomen Israelis amplius.

6 Nam consilium inierunt animis paribus, contra te fœdus pepigerunt:

7 Tentoria Edomæorum et Ismaelitarum, Moabitæ et Hagareni,

8 Gebalitæ Hammonitæque et Hamalecitæ, Palæstini cum habitatoribus Tyri:

9 Etiam Assyrius adjunxit se istis; sunt brachium posteris Loti maxime.

10 Fac istis ut Midianitis, ut Siseræ, ut Jabini in torrente Kisonis:

11 *Qui* excisi fuerunt ad Hendorum, facti sunt fimus terræ.

12 Redige ipsos ingenuos istorum ut Horebum et ut Zebum, ut Zebachum et Zalmunahum, omnes toparchas istorum:
13 Qui dicunt, Hæreditario jure possideamus nobis habitacula Dei.

14 Deus mi, pone eos velut rotam, ut stipulam coram vento.
15 Ut ignis exurit silvam, et ut flamma accendit montes,
16 Ita prosequere eos procella tua, et turbine tuo conturba eos.
17 Reple faciem eorum ignominia; ut requiratur nomen tuum, o Jehova.
18 Pudore perfundantur, et conturbentur usque in seculum; erubescantque et pereant:
19 Ut cognoscatur te, cui soli nomen *est* Jehova, excelsum esse supra universam terram.

LXXXIV.

Magistro symphoniæ ad Gitthæa posteris Korahi psalmus.

2 QUAM amabilia *sunt* tabernacula tua, o Jehova exercituum.
3 Desiderio afficitur, etiamque deficit anima mea *veniendi* ad atria Jehovæ; cor meum et caro mea exclamant *veniendi* ad Deum fortem viventem *desiderio*.
4 Etiam passer invenit domum, et hirundo nidum sibi, *in* quo ponat pullos suos: altaria tua, o Jehova exercituum, rex mi et Deus mi.
5 Beati, qui inhabitant domum tuam, *qui* adhuc laudant te summe.
6 Beatus homo, cui facultas *est* in te semitas *tuas insistendi* ex animi sui *sententia:*
7 *Qui* transeuntes per vallem mori fontem con-

stituunt eum; *quos* etiam benedictionum operit pluvia:
8 Qui pergunt ab acie ad aciem, comparituram apud Deum Zione.

9 Jehova Deus, *Deus* exercituum, audi orationem meam; auribus percipe, o Deus Jacobi maxime.
10 Scutum nostrum aspice, o Deus: et intuere faciem Christi tui.
11 Nam melior *est* dies *unus* in atriis tuis, quam mille *alibi:* eligo frequentare limen in domo Dei mei, magis quam habitare in tentoriis improbitatis:
12 Quia sol et scutum *est* Jehova Deus, gratiam et gloriam dat Jehova: non cohibet bonum *ab* ambulantibus in integritate.
13 O Jehova exercituum, beatus homo, qui fiduciam habet in te.

LXXXV.

Magistro symphoniæ in posteris Korahi psalmus.

2 BENEVOLUS fueras, o Jehova, terræ tuæ: reduxeras turbam captivam Jacobi:
3 Condonaveras iniquitatem populi tui, texeras omne peccatum eorum summe:
4 Receperas omnem excandescentiam tuam: averteras, quo minus æstuaret, iram tuam.

5 Restitue nos, o Deus salutis nostræ; et irritam fac indignationem tuam contra nos.
6 An in seculum irascereris contra nos? protraheres iram tuam in quamque generationem?
7 An non tu reversus vitæ restitueres nos, ut populus tuus lætentur in te?
8 Ostende nobis, Jehova, benignitatem tuam; et salutem tuam da nobis.

9 Audiam, quid loquatur *Deus* ille fortis Jehova: nam eloquitur pacem erga populum suum et erga eos, quos benignitate prosequitur: sed ne revertantur ad stultitiam.
10 Utique propinqua *est* timentibus eum salus ejus, habitatura est gloria in terra nostra.
Benignitas et fides occurrent inter se, justitia et pax osculabuntur se.
11 Fides e terra germinabit, et justitia e cœlis prospectabit.
12 Etiam Jehova dabit quod bonum est, ut terra nostra edat proventum suum:
13 Faciet, ut justitia præeat sibi, dum conferet ad iter pedes suos.

LXXXVI.

Oratio Davidis.

1 Inclina, Jehova, aurem tuam, exaudi me; nam pauper et egens sum.
2 Serva animam meam; nam is sum, quem benignitate prosequeris: serva tuum servum, tu, Deus mi, fiduciam habentem in te.
3 Gratiam fac mihi, Domine: quia te inclamo toto die.
4 Lætifica animam servi tui: quia ad te, Domine, animam meam attollo.
5 Tu enim, Domine, bonus es et condonans, multusque benignitate omnibus invocantibus te.
6 Auribus percipe, Jehova, orationem meam; et attende ad vocem deprecationum mearum.
7 Tempore angustiæ meæ invoco te, quia exaudis me.

8 Non *est* par tibi inter ullos deos, o Domine, neque *sunt* paria operibus tuis *opera*.
9 Omnes gentes, quas *eis* afficis, venientes incur-

vant se coram te, Domine; et honorem habent nomini tuo:
10 Quia magnus es atque mirificus, tu Deus solus es.

11 Doce me, Jehova, viam tuam, pergam in veritate tua, aduna animum meum ad timendum nomen tuum.
12 Celebrabo te, Domine, Deus mi, ex toto animo meo; et honore prosequar nomen tuum in seculum:
13 Quum benignitas tua magna *sit* erga me, et eripueris animam meam a sepulchro imo.

14 O Deus, superbi insurgunt contra me, et cœtus violentorum quærunt vitam meam, qui non proponunt te sibi.
15 Tu autem, Domine, *Deus* fortis, misericors et gratiosus *es*, longanimis et multus benignitate ac fide.
16 Respice ad me, et gratiam fac mihi; da robur tuum servo tuo, et serva filium ancillæ tuæ.
17 Effice erga me signum, *quod* bono *sit;* ut videntes osores mei pudore perfundantur, quum tu Jehova adjuveris me et consolatus fueris me.

LXXXVII.

Posteris Korahi psalmus et canticum.

1 FUNDATIONEM suam inter montes sanctitatis,
2 Diligit Jehova portas Zionis supra quam ulla tabernacula Jacobi.
3 Honorificentissima *sunt*, quæcunque prædicantur de te, o civitas Dei summe *honorifica*.
4 Memoro Ægyptium et Babylonium apud noscentes me; ecce Palæstinum et Tyrium cum Æthiope, hunc genitum esse ibidem:

5 Ideo de Zione fore ut dicatur, Hic et ille vir genitus est in ea: ipsumque stabiliturum eam, Excelsum:
6 Jehovam annumeraturum conscribendo populos; hic genitus est ibidem excellentissime.
7 Quapropter canunt æque ac exsultant omnes fontes vitæ meæ de te.

LXXXVIII.

Canticum *et* psalmus in posteris Korahi magistro symphoniæ ad pneumaticum instrumentum canendus, didascalicus Hemanis Esrachitæ.

2 O Jehova, Deus salutis meæ; interdiu clamo *et* noctu coram te.
3 Veniat in conspectum tuum oratio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.
4 Nam saturata est malis anima mea, et vita mea ad sepulchrum pertingit.
5 Reputor cum descendentibus in sepulchrum: sum similis viro quem deficit virtus.
6 *Reputor* inter mortuos, semotus ut confossi jacentes *in* sepulchro, quorum non recordaris amplius, qui manu tua excisi sunt.
7 Ponis me in sepulchro omnium infimo; in tenebrosissimis, in profundis locis.
8 Super me incumbit excandescentia tua, adeo omnibus irrumpentibus tuis fluctibus affligis vehementissime.
9 Procul amoves notos meos a me, proponis me in summam abominationem eis; ita inclusum, ut non possim evadere.
10 Oculus meus mœret præ afflictione:

Invoco te, Jehova, totum diem, pando ad te manus meas.

11 An mortuis efficies opus mirabile? aut expertes
vitæ celebraturi te exsurgent potentissime?
12 An enarraretur in sepulchro benignitas tua? fides
tua in perditione?
13 An cognosceretur in tenebris mirabile *opus* tuum,
et justitia tua in terra oblivionis?
14 Atqui ego ad te, Jehova, vociferor; et unoquo-
que mane oratio mea prævenit te.
15 Quare, o Jehova, abjicis me? abscondis faciem
tuam a me?

16 Pauper sum et moribundus a concussione, per-
ferens terrores tuos animi pendeo.
17 Super me transeuntibus æstibus tuis, conturba-
tiones tuæ rescindunt me:
18 Circumdantes me sicut aquæ toto die, cingentes
me pariter.
19 Procul amoves a me amicum et socium, notis
meis *sum* tenebroso loco.

LXXXIX.

Didascalica *ode* Ethanis Esrachitæ.

2 BENIGNITATES Jehovæ *in* seculum canam: in
quamque generationem notam faciam fidem tuam
ore meo.
3 Nam statuo fore, ut in seculum benignitas ædi-
ficetur; in cœlis ipsis stabilias fidem tuam, *qua*
dixisti,

4 Pepigi fœdus cum electo meo, juravi Davidi
servo meo:
5 Usque in seculum me, stabiliturum semen tuum
et ædificaturum in quamque generationem solium
tuum summe.
6 Quapropter celebrant cœli mirabile *opus* tuum,
Jehova; etiam fidem tuam in congregatione san-
ctorum.

7 Quis enim in superiore nube par æstimetur Jehovæ? assimiletur Jehovæ inter filios fortium?
8 Deus fortis *est* formidabilis in consilio sanctorum plurimum; et reverendus supra omnia, quæ circumstant eum.
9 O Jehova, Deus exercituum, quis *est* par tibi robustus, Jah? nam fides tua circumvestit te.

10 Tu dominaris in superbiam maris; quum attollunt se fluctus ejus, tu reprimis eos.
11 Tu contrivisti tanquam confossum Ægyptium; brachio roboris tui dispersisti inimicos tuos.
12 Tui *sunt* cœli, etiam tua *est* terra; orbem habitabilem et ea, quæ ipsum implent, tu fundasti.
13 Aquilo et Auster, quos tu creasti; Thabor et Hermon de nomine tuo cantant.
14 Tibi brachium *est* cum potentia, robusta *est* manus tua, elata dextera tua.
15 Justitia et judicium habitaculo solii tui, benignitas et fides præeunt faciei tuæ.

16 Beatus *est* populus, qui agnoscunt clangorem, *qui* in luce faciei tuæ pergunt, Jehova:
17 In nomine tuo exsultant toto die, et in justitia tua attollunt se:
18 Nam decus roboris eorum es: et pro benevolentia tua attollitur cornu nostrum.
19 Jehovæ enim *est* scutum nostrum, et Sancti Israelis, Regis nostri.

20 Tunc allocutus per visionem eum, quem benignitate prosequeris, dixisti: Disposui auxilium contra robustum, extuli electum e populo.
21 Inveni Davidem servum meum, oleo sancto meo unxi eum;
22 Quicum manus mea sit stabilis, etiam brachium meum fortificet eum.

23 Non aget exactorem inimicus contra eum, et
deditus iniquitati non affliget eum:
24 Sed contundam a facie ejus hostes ejus, et oso-
res ejus plaga afficiam.
25 Adeo fides mea et benignitas mea affutura est
ei, ut in nomine meo extollatur cornu ejus.
26 Nam imponam mari manum ejus, et fluminibus
dexteram ejus.
27 Ipse inclamabit me, Tu pater mi, mi *Deus* for-
tis, et rupes salutis meæ!
28 Etiam ego primogenitum constituam eum, excel-
sum supra reges terræ.
29 In seculum servabo ei benignitatem meam, et
fœdus meum fidum erit ei:
30 Disponamque in æternum semen ejus, et solium
ejus, ut *sunt* dies cœlorum.

31 Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in
judiciis meis non ambulaverint:
32 Si statuta mea prophanaverint, et præcepta mea
non observaverint:
33 Visitabo quidem virga defectionem eorum, et
plagis iniquitatem eorum:
34 Sed benignitatem meam non irritam faciam ab
eo, neque mentiar contra fidem meam.
35 Non prophanabo fœdus meum, et pronunciatum
labiorum meorum non mutabo.
36 Semel juravi per sanctitatem meam, Davidi non
mentiar:
37 Semen ejus in seculum fore; et solium ejus ut
solem coram me,
38 Ut luna stabile fore in seculum; et ut testes in
superiore nube fideles summe.

39 At tu abjecisti et sprevisti; excanduisti contra
unctum tuum.

40 Detestatus es fœdus servi tui, prophanasti *de-
jiciens* in terram coronamentum ejus.
41 Dirupisti omnes macerias ejus: exposuisti muni-
tiones ejus contritioni.
42 Diripuerunt eum omnes viatores, est probro vi-
cinis suis.
43 Extulisti dexteram hostium ejus, lætificasti om-
nes inimicos ejus.
44 Etiam retudisti acumen gladii ejus, neque stabi-
livisti eum in bello.
45 Fecisti ut cesset nitor ejus, et solium ejus in
terram detrusisti.
46 Curtasti dies adolescentiæ ejus, operuisti eum
pudore summe.

47 Quousque Jehova? abscondes te in æternum?
ardebit tanquam ignis excandescentia tua?
48 Recordare mei, quam temporarius sim: quorsum
in vanum creasses omnes filios hominis?
49 Quis vir ita vivat, ut non experiatur mortem?
eripiat se ipsum a sepulchro excellentissime?
50 Ubi *sunt* benignitates illæ pristinæ, Domine,
quas juraveras Davidi per fidem tuam?
51 Recordare, Domine, opprobrii servorum tuorum:
me gestare in sinu meo *opprobrium* omnium
maximorum populorum:
52 Quo affecerunt inimici tui, Jehova; quo affece-
runt vestigia Christi tui.

53 Benedictus *sit* Jehova in seculum. Amen,
iterumque Amen.

QUARTUS LIBER PSALMORUM.

XC.

Oratio Mosis, viri Dei.

1 O Domine, tu habitaculum fuisti nobis in quaque generatione.
2 Quum nondum montes editi essent, aut formasses terram orbemque habitabilem, denique inde a seculo et usque in seculum tu *Deus* fortis *es*.
3 Redigis mortalem eo usque, ut sit contritus; dicens, Revertimini, filii hominum.
4 Nam mille annos si prætereat, *sunt* in oculis tuis ut dies hesternus vigiliaque nocturna.
5 Inundatione abripis eos, somnus sunt: ipso mane *sunt* ut fœnum transiens:
6 Ipso mane, quo effloruit, transiens; ipso vespere excisus atque exarescens.

7 Quando consumimur ira tua, et tuo æstu conturbamur:
8 Proponis iniquitates nostras tibi, occulta nostra lumini faciei tuæ.
9 Nam omnes dies nostri divertunt excandescentia tua; consumimus annos nostros; similes sermoni *sunt*.
10 In diebus ipsis annorum nostrorum *sunt* septuageni anni, aut (ut *simus* valentissimi) octogeni anni; etiam excellentissimum eorum laboriosum *est* et molestum, quo festine exciso avolamus.
11 Quis agnoscit robur iræ tuæ aut excandescentiæ tuæ, secundum timorem tuum?
12 Numerare dies nostros ita doce *nos*, ut inducamus animum sapientem.

13 Revertere, Jehova! Quousque? et pœniteat te propter servos tuos!

14 Satia nos unoquoque mane benignitate tua, ut cantemus et lætemur omnibus diebus nostris.
15 Lætifica nos, ut dies *multos* afflixisti nos; annis *multis* experti sumus malum.
16 Perspicuum sit erga servos tuos opus tuum, et decor tuus in filiis eorum.
17 Denique adsit amœnitas Jehovæ Dei nostri nobis: et opus manuum nostrarum institue in nobis; ipsum, inquam, opus manuum nostrarum institue.

XCI.

1 CONSIDENS in latibulo Excelsi, in umbra Omnipotentis indesinenter pernoctans,
2 Dico, In Jehova *est* receptus meus, et propugnaculum meum, Deus meus *est*, cui confido.

3 Quandoquidem ipse erepturus est te a laqueo aucupantis, a peste ærumnosissima:
4 Ala sua protecturus te, quum sub alas ipsius te receperis; clypeus et parma *est* fides ipsius:
5 Ne timeto a pavore nocturno, a sagitta volitante interdiu:
6 A peste in caligine pervadente, a lue vastante in meridie.
7 Cadentibus ab *altero* latere tuo mille, et decies mille a dextera tua, ad te non accedet.
8 Tantum oculis tuis intueberis et retributionem improborum videbis.

9 Quum tu Jehovam, *Deum* receptus mei excelsum, statueris habitaculum tuum.
10 Non dabitur occasio, ut attingat te malum, et plaga non appropinquabit ad tentorium tuum.
11 Nam angelis suis præcipiet de te, ut conservent te in omnibus viis tuis:

12 Ambabus palmis sustineant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.
13 Super ferocem leonem et aspidem incedes, conculcabis juvenem leonem et draconem.

14 Quia in me *(inquit Deus)* amore propendet, ideo liberabo eum; in edito collocabo eum, quia agnoscit nomen meum:
15 Simulac invocaverit me, exaudiam eum; ipsi adero in angustia: eripiam eum, et honore afficiam eum:
16 Longitudine dierum satiabo eum, denique efficiam, ut fruatur salute mea.

XCII.

Psalmus *et* canticum in diem sabbathi.

2 BONUM *est* celebrare Jehovam, et psallere nomini tuo, o Excelse;
3 Annunciare unoquoque mane benignitatem tuam, et fidem tuam quibusque noctibus:
4 Ad decachordum et ad nablium, ad citharam cum meditatione.
5 Quæ lætitia afficis me, Jehova, opere tuo: de factis manuum tuarum cantabo.

6 Quam magna sunt facta tua, Jehova! valde profundæ sunt cogitationes tuæ.
7 Vir brutus non agnoscit, et stultus non animadvertit istud;
8 Quum germinant improbi velut herba, florentque omnes qui operam dant iniquitati *fore* ut perdantur usque in æternum:
9 Te autem, o Excelse, in seculum *esse* Jehovam.

10 Nam ecce, inimici tui, Jehova; nam ecce, inimici tui pereunt: dissiliunt omnes, qui operam dant iniquitati.

11 Attollis vero tanquam monocerotis cornu meum, perfundendo me oleo virente:
12 *Illa* intuente oculo meo in observatoribus meis; de insurgentibus contra me maleficis audientibus auribus meis.

13 Justus ut palma germinabit, ut cedrus in Libano crescet.
14 Plantati in domo Jehovæ, in atriis Dei nostri germina profundent.
15 Adhuc abundabunt in canitie, pingues et virentes erunt,
16 Ad annunciandum rectum esse Jehovam, rupem meam; neque *esse* ullam iniquitatem in eo.

XCIII.

1 JEHOVA regnat celsitudine indutus; indutus Jehova robore se accingit: etiam stabilitur orbis habitabilis, ne dimoveatur.
2 Stabile *est* solium tuum ab illo tempore, inde a seculo tu *regnas*.

3 *Utut* attollant flumina, o Jehova, attollant flumina sonum suum, attollant flumina fragorem suum:
4 Sonis aquarum multarum, magnificis fluctibus irrumpentibus maris magnificentior *est* in alto Jehova.

5 Testimonia tua firma *sunt* valde: domui tuæ decora sanctitas, o Jehova, in longitudinem dierum *est*.

XCIV.

1 O fortis *Deus* ultionum, Jehova; o *Deus* fortis ultionum, illucesce!

2 Attollere, o judex terræ; redde retributionem superbis!

3 Quousque improbi, o Jehova, quousque improbi exsultabunt?
4 Eructantes loquentur superbe? sese prædicabunt omnes, qui operam dant iniquitati?
5 Populum tuum, Jehova, conterent? et possessionem tuam affligent?
6 Viduam et peregrinum interficient, ac pupillos occident?
7 Dicentes, Non respicit Jah; neque animadvertit Deus Jacobi?

8 Animadvertite, o brutissimi in populo: et stultissimi, quando intelligentes eritis?
9 An plantator auris, an non audiat? aut formator oculi an non intueatur?
10 An castigator gentium, an non reprehendat? qui docet homines scientiam, *an non agnosceret?*
11 Jehova cognoscit cogitationes hominum, esse vanitatem ipsam.

12 Beatus ille vir, quem castigas, Jah, et quem ex lege tua doces:
13 Ad præstandum quietem ei a diebus adversitatis, dum foditur improbro fovea.
14 Non enim deserit Jehova populum suum, et possessionem suam non derelinquit:
15 Sed usque ad justitium reversurum est judicium, et post illud omnes recti corde.

16 Quis surrecturus fuisset pro me contra maleficos? quis se ipsum stitisset pro me contra eos, qui operam dant iniquitati?
17 Nisi Jehova pleno auxilio fuisset mihi, parum abest quin habitasset *in* loco silentii vita mea.

18 Quum dico, Dimovetur pes meus; benignitas tua,
o Jehova, sustentat me.
19 Quum multæ sunt cogitationes meæ apud me,
consolationes tuæ oblectant animam meam.

20 An consociaretur tibi solium ærumnarum, for-
mantis molestiam præter statutum,
21 Turmatim convenientium contra animam justi, et
sanguinem innoxium condemnantium?

22 Imo, *est* Jehova mihi pro edito loco, et Deus
meus pro rupe receptus mei:
23 Qui convertit contra eos iniquitatem ipsorum, et
malitia ipsorum exscindit ipsos; exscindit ipsos
Jehova, Deus noster.

XCV.

1 AGITE, cantemus Jehovæ; clangamas rupi sa-
lutis nostræ!
2 Eamus ante faciem ejus cum gratiarum actione,
cum psalmis clangamus ei!
3 Nam Deus *fortis* magnus *est* Jehova, et rex
magnus supra omnes Deos.
4 In cujus manu *sunt* ima vestigia terræ, penes
quem *sunt* vires montium:
5 Cujus est ipsum mare, ut qui fecit illud; et
arida, *quam* manus ejus formarunt.

6 Venite, incurvemus nos et procumbamus; fle-
ctamus genua coram Jehova, qui fecit nos!
7 Quum ipse *sit* Deus noster, nos vero populus
pastus ejus, et grex ductus ejus; hodie, si vocem
ejus audieritis,
8 Ne obduretis animum vestrum, ut *in* contentione,
ut die tentationis in deserto:
9 Ubi tentaverunt me majores vestri; probaverunt
me, etiam experti sunt opus meum.

10 Quadraginta annis fastidio habui generationem *illam;* dicens, Populus sunt errabundi animo, et sunt ignorantes viarum mearum:
11 Quibus juravi in ira mea, eos non ingressuros in requiem meam.

XCVI.

1 CANITE Jehovæ canticum novum, canite Jehovæ tota terra.
2 Canite, Jehovæ, benedicite nomini ejus; prædicate de die in diem salutem ejus.
3 Narrate in gentibus honorem ejus, omnibus populis mirabilia ejus opera:

4 Magnum Jehovam et laudatum valde, reverendum esse supra omnes deos.
5 Nam omnes dii populorum *sunt* idola, Jehova vero cœlos fecit.
6 Gloria et decor coram eo, robur et ornatus in sanctuario ejus *sunt.*

7 Cedite Jehovæ, familiæ populorum, cedite Jehovæ honorem et laudem.
8 Cedite Jehovæ honorem nominis ejus; afferte munus et venite ad atria ejus.
9 Incurvate vos Jehovæ, *honorem exhibentes* in decore sanctitatis; formidate a conspectu ejus tota terra.
10 Dicite in gentibus, Jehova regnat; etiam stabilietur orbis habitabilis, ne dimoveatur: judicaturus est populos rectissime.

11 Lætabuntur cœli, et exsultabit terra, perstrepet mare et quæ ipsum implent.
12 Exsultabit ager et quicquid *est* in eo, tunc cantabunt omnes arbores silvæ:
13 Ante faciem Jehovæ, quum venerit; nam venit

ad judicandum terram: judicaturus est orbem habitabilem per justitiam, et populos per fidem suam.

XCVII.

1 JEHOVA regnat: exsultet terra! lætentur regiones plurimæ!
2 Nubes et caligo circumstant eum: justitia et judicium locum solii ejus.
3 Ignis ante eum procedit, et inflammat circumquaque hostes ejus.
4 Perlustrant fulgura ejus orbem habitabilem, videns formidat terra.
5 Montes ut cera liquefiunt a præsentia Jehovæ, a presentia domini totius terræ.
6 Indicant cœli justitiam ejus, adeo ut vidant omnes populi honorem ejus.
7 Pudore suffundantur omnes colentes sculptile, qui se jactant de idolis: incurvanto se *honorem exhibentes* ei omnes angeli.
8 Audiens lætatur Zion, exsultantque filiæ Judæ, propter judicia tua, o Jehova.
9 Tu enim es, Jehova, excelsus supra omnem terram; valde elatus es supra omnes angelos.
10 Amantes Jehovæ, odio habete malum: servans animas suorum, quos benignitate prosequitur, e manu improborum eripit eos.
11 Lux sata est justo, et rectis animo lætitia.
12 Lætamini, justi, in Jehova, et celebrate memoriam sanctitatis ejus.

XCVIII.

Psalmus.

1 CANTATE Jehovæ canticum novum, quia opera mirabilia fecit: salutem attulit ei dextera ipsius, et brachium sanctitatis ipsius.

2 Notam fecit Jehova salutem suam, ante oculos ipsarum gentium revelavit justitiam suam.
3 Recordatus est benignitatis suæ, et suæ fidei erga domum Israelis: vident omnes fines terræ salutem Dei nostri.

4 Clangite Jehovæ tota terra; fragore edito cantate et psallite.
5 Psallite Jehovæ cithara, cithara et psalmodia.
6 Tubis et sono buccinæ clangite coram rege Jehova.

7 Perstrepat mare et quæ implent ipsum; orbis habitabilis et habitantes in eo.
8 Flumina complodant manu, pariter montes cantent,
9 Coram Jehova, quia advenit ad judicandum terram, judicaturus est orbem habitabilem juste, et populos rectissime.

XCIX.

1 JEHOVA regnat, commoveantur populi! insidens Cerubinis *regnat*, nutet terra!
2 *Regnat* Jehova Zione magnus; etiam altus *est* supra omnes populos.
3 Celebrent nomen tuum magnum et reverendum, sanctum esse.
4 *Tu* quoque, robustissime rex judicium amans, tu, *inquam*, constituis quod est rectissimum; judicium et justitiam in Jacobo tu perficis.

5 Exaltate Jehovam Deum nostrum, et incurvate vos *honorem exhibentes* ad scabellum pedum ejus; *quia* sanctus est.

6 Mosen et Aaronem cum sacerdotibus ipsius; Samuelemque cum invocantibus nomen ipsius; inclamantes Jehovam, ipse illico exaudivit eos:

7 In columna nubis allocutus est eos, observantes testimonia ipsius et statutum, *quod* dederat eis.

8 Jehova, Deus noster, tu exaudivisti eos: *Deus* fortis condonans fuisti eis, etiam quum ultionem sumeres de actionibus eorum.

9 Exaltate Jehovam, Deum nostrum, et incurvate vos *honorem exhibentes* ad montem sanctitatis ejus: quia sanctus *est* Jehova, Deus noster.

C.

Psalmus pro gratiarum actione.

1 CLANGITE Jehovæ, omnes *incolæ* terræ.
2 Colite Jehovam cum lætitia, venite in conspectum ejus cum cantu.
3 Agnoscite Jehovam esse Deum, ipsum effecisse nos (non autem nos *ipsos*) populum suum et gregem pastus sui.
4 Ingredimini portas ejus cum gratiarum actione, atria ejus cum laude: gratias agite ei, benedicite nomini ejus.
5 Nam bonus *est* Jehova, in seculum *est* benignitas ejus; et usque ad generationem quamque fides ejus.

CI.

Davidis psalmus.

1 BENIGNITATEM et jus canam: tibi, o Jehova, psallam.
2 Animadvertam via integra, quando venturus sis ad me: indesinenter ambulabo in integritate animi mei, intra domum meam.
3 Non proponam mihi ob oculos rem nefariam: factum declinantium odi, non adhærebit mihi.

4 Animus perversus recedet a me; malum non agnoscam.
5 Lingua lædentem *apud* me clam proximum suum, ipsum exscindam: elatum oculis et tumentem animo, ipsum non potero *ferre*.
6 Oculi mei *attendent* ad veraces terræ, ut consideant mecum: ambulans via integra, is ministrabit mihi.
7 Non habitabit intra domum meam faciens dolum; loquens mendacia non stabilietur coram oculis meis.
8 Singulis matutinis exscindam omnes improbos terræ, ad rescindendum a civitate Jehovæ omnes, qui operam dant iniquitati.

CII.

Oratio pro paupere, quum obruitur et ante Jehovam effundit meditationem suam.

2 JEHOVA, audi orationem meam; et vociferatio mea ad te perveniat.
3 Ne abscondas faciem tuam a me, quo die *est* angustia mihi: inclina ad me aurem tuam, quo die inclamo; festinanter exaudi me.

4 Nam consumuntur ut fumus dies mei, et ossa mea ut focus exardescunt.
5 Percussum tanquam herba exarescit cor meum, quia obliviscor comedere cibum meum.
6 Præ voce gemitus mei adhærescit os meum carni meæ.
7 Similis sum plateæ deserti; sum tanquam bubo vastitatum.
8 Assidue sum similis passeri, solitario in tecto.
9 Toto die probro afficiunt me inimici mei; insanientes contra me, per me jurant.

10 Nam cinerem tanquam panem comedo, et potiones meas cum fletu misceo,
11 Propter indignationem tuam, et ferventem iram tuam; quia sustulisti me, et abjecisti me.
12 Dies mei similes *sunt* umbræ inclinatæ: et ego sicut herba exarui.

13 Tu autem, Jehova, in seculum permanes, et recordatio tui in quamque generationem.
14 Tu surgens misereberis Zionis: quia tempus est faciendi gratiam ei, quia advenit statum tempus,
15 Quo delectentur servi tui lapidibus ejus, et pulveri ejus gratiam faciant,
16 Ut revereantur gentes nomen Jehovæ, et omnes reges terræ honorem tuum;
17 Quum ædificans Jehova Zionem, apparuerit in honore suo.
18 Respexerit ad orationem nudatissimi, et non spreverit orationem eorum.
19 Conscribatur hoc in generationem posteram, ut populus recreatus laudet Jah:
20 Quod prospectaverit ex alto *loco* sanctitatis suæ, Jehova e cœlis in terram intuitus sit,
21 Ad exaudiendum suspirium vincti, ad solvendum eos, qui jam traduntur morti;
22 Ut enarrent Zione nomen Jehovæ, et laudem ejus Hierosolymis:
23 Congregantibus se populis simul et regnis ad colendum Jehovam.

24 Affligit *quidem* in hac via vires meas, curtat dies meos:
25 *Sed* dico, Mi Deus fortis, ne auferas me mediis diebus meis; per generationem æternam *sunt* anni tui.
26 Ante*quam* terram fundasses, et opus manuum tuarum *essent* cœli.

27 Ista peritura sunt, tu autem permanes; ista, inquam, omnia ut vestimentum veterascent, ut indumentum mutabis ea, atque mutabuntur:
28 Tu vero idem *es*, et anni tui non finiuntur.
29 Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum stabilietur coram te.

CIII.

Ode Davidis.

1 BENEDIC, anima mea, Jehovæ; et omnia intestina mea, nomini sanctitatis ejus.
2 Benedic, anima mea, Jehovæ; et ne obliviscaris ullius beneficiorum ejus:
3 Qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis:
4 Qui vindicat a fovea vitam tuam, qui circumtegit te benignitate et miserationibus.
5 Quo satiante bonis quibusque os tuum, servas te recentem tanquam aquila, *tanquam* pueritia tua.
6 Facit quæ justa sunt Jehova, et judicia omnibus oppressis.
7 Notas fecit vias suas Mosi, posteris Israelis actiones suas.
8 Misericors et gratiosus Jehova, longanimis et multus benignitate.
9 Non in æternum litigat, neque in seculum *iram* asservat;
10 Non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras refert nobis;
11 Sed quam alti sunt cœli supra terram, prævalet benignitas ejus erga timentes eum:
12 Quam longe abest oriens ab occidente, longe amovet a nobis defectiones nostras.
13 Ut miseretur pater filiorum, miseretur Jehova timentium ipsum.

14 Nam ipse novit figmentum nostrum, memor pulverem nos esse:
15 Ipsius mortalis similes fœno dies esse; sicut flos agri, sic florere *ipsum*.
16 Quum ventus pervadit ipsum, mox non esse, neque agnosci ipsum amplius a loco suo.
17 At benignitas Jehovæ inde a seculo usque in seculum *est* erga timentes ipsum, et justitia ejus erga nepotes:
18 Erga observantes fœdus ipsius, et erga memores mandatorum ejus, ad faciendum ea.
19 Jehova in cœlis stabilivit solium suum, et regnum ipsius omnibus præsidet.

20 Benedicite Jehovæ, angeli ejus valentissimi robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus.
21 Benedicite Jehovæ, omnes exercitus ejus, ministri ejus facientes placitum ejus.
22 Benedicite Jehovæ, omnia opera ejus in omnibus locis dominationis ejus; benedic, anima mea, Jehovæ.

CIV.

1 Benedic, anima mea, Jehovæ.
Jehova, Deus mi, magnus es valde; decorem et majestatem induisti,
2 Amiciens te luce tanquam panno, extendens cœlos tanquam aulæum:
3 Qui contignat in aquas cœnacula sua; qui disponit densas nubes *in* vehiculum suum, qui itat super alas venti:
4 Qui facit angelos suos ventos, ministros suos ignem flammantem:
5 Fundavit terram super bases ejus, ne dimoveretur in seculum et perpetuum.

6 Abysso ut indumento operueras eam, supra montes stantibus aquis:
7 Ex increpatione tua diffugerunt, a voce tonitru tui accelerarunt *fugam*.
8 Conscenderunt *per* montes, descenderunt *per* convalles; in locum, quem fundaveras ipsis.
9 Terminum opposuisti ne transeant; ne revertantur ad operiendum terram.

10 Qui emittis fontes per valles, *ut* inter montes ambulent,
11 Potum præbeant omnibus animantibus agri, frangant onagri sitim suam:
12 Juxta illos volatilia cœli habitent, e medio frondium edentia vocem.
13 Qui irrigat montes e cœnaculis suis, ut a fructu operum tuorum satietur terra:
14 Faciens ut germinet fœnum ad jumentum, et herba ad hominis usum; ut depromant cibum e terra.
15 Qui vino lætificat cor mortalis, nitidam efficit faciem oleo, et cibo cor mortalis fulcit.
16 Satiantur arbores Jehovæ, cedri Libani, quas plantavit:
17 Ubi aviculæ nidificent; abietes domicilia ciconiæ.
18 Montes excelsissimi rupicaprarum, petræ montanorum murium perfugium.

19 Statuit lunam in stata tempora, solem agnoscentem occasum suum.
20 Disponis tenebras, ut sit nox: qua erepunt omnia animantia silvæ;
21 Juvenes leones rugientes ad prædam, et quidem quærendo a *Deo* forti escam suam.
22 Exorto sole recipiunt se, et in lustris suis recubant.

23 Prodit homo ad opus suum, et ad culturam suam usque ad vesperam.

24 Quam ampla sunt opera tua, o Jehova! *quam* ea omnia sapienter fecisti! quam plena est terra possessione tua!

25 *In* ipso mari magno et spatioso, illic reptilia *sunt*, atque innumera; animantia, parva cum magnis.
26 Illic naves ambulant; balæna, quam formasti ludendo in eo.

27 Omnia ista in te exspectationem habent, ut des escam ipsorum tempore suo:
28 Te dante ipsis colligunt, aperiente manum tuam satiantur bono:
29 Abscondente te faciem tuam conturbantur; recipiente spiritum eorum exspirant et in pulverem suum revertuntur:
30 Emittente spiritum tuum recreantur: denique renovas faciem terræ.

31 Sit honor Jehovæ in seculum, lætetur Jehova in operibus suis!
32 Quo intuente in terram tremit illa, attingente ipsos montes, fumant.
33 Canam Jehovæ in vita mea, psallam Deo meo, quantisper ero.
34 Suavis erit de eo meditatio mea, ego lætabor in Jehova.
35 Deficiant peccatores a terra, et improbi amplius non sint: Benedic, anima mea, Jehovæ.
HALLELU-JAH!

CV.

1 CELEBRATE Jehovam, proclamate nomen ejus; notas facite in populis actiones ejus.

2 Canite ei, psallite ei; confabulamini de omnibus mirabilibus ejus operibus.
3 Laudibus vos efferte in nomine sancto ejus, lætetur animus quærentium Jehovam.
4 Requirite Jehovam et robur ejus, quærite faciem ejus jugiter.
5 Recordamini mirabilium ejus operum, quæ fecit: prodigiorum ejus et judiciorum oris ejus.
6 O semen Abrahami servi ejus, o electi ejus filii Jacobi:
7 Hic *est* Jehova Deus noster, in tota terra judicia ejus *sunt*.
8 Recordatur in seculum fœderis sui; verbi, *quod* præcepit, in mille generationes,
9 Quod pepigit cum Abrahamo, et juramenti sui *præstiti* Isaaco.
10 Quod præstitit Jacobo in statutum; Israeli *in* fœdus perpetuum:
11 Dicendo, Tibi daturus sum terram Cannaanis: funiculum possessionis vestræ.
12 Quamvis essent homines pauci, plane pauci et inquilini in ea;
13 Itarentque a gente in gentem, a regno in populum alium:
14 Non permisit cuiquam opprimere eos, etiam reprehendit propter eos reges;
15 Ne attingitote *(inquiens)* unctos meos, et prophetas meos ne afficitote malo.

16 Quum advocans famem super terram, omnem scipionem panis fregit;
17 Miserat ante eos virum præstantem, *qui* ad servitutem venditus erat, Josephum.
18 Cujus pedes afflixerunt compede, ferrum subivit ipse;
19 Usque ad tempus, quo erat adventurum verbum ipsius: sermo Jehovæ probavit eum.

20 Mittens rex expediri jussit eum, et dominator
populorum idem solvit eum:
21 Præposuit eum dominum familiæ suæ, et dominatorem in totam possessionem suam:
22 Ut vinciret principes ejus ex animo suo, et seniores ejus informaret.

23 Deinde venit Israel in Ægyptum, et Jacob peregrinatus est in regione Chami.
24 Ubi quum fecisset *Deus*, ut fœtificaret populus suus valde, et potentiorem eum effecisset hostibus suis;
25 Mutavit animum illorum, ut odio haberent populum suum, ut machinarentur contra servos suos.
26 Misit Mosen servum suum, Aaronem quem elegerat:
27 *Qui* exposuerunt apud eos verba signorum ejus, et prodigiorum in regione Chami.
28 Misit tenebras, et obtenebrarunt eam, neque rebellarunt *signa* contra verbum ejus.
29 Mutaverat aquas illorum in sanguinem, et morte affecerat pisces eorum.
30 Abunde produxerat terra illorum ranas, invadentes penetralia regum illorum.
31 Simulac edixit, advenerat colluvies *animalium*, pediculi in totum terminum eorum.
32 Reddiderat pluvias eorum grandinem, ignem maxime flammantem in regione illorum:
33 Quibus percussit vites illorum, et ficus illorum; confregitque arbores termini illorum.
34 Simulac edixit, advenerat locusta et melolontha, eaque innumera.
35 Quæ comedit omnem herbam regionis eorum, comeditque fructum terræ illorum.
36 Tandem percussit omne primogenitum in regione illorum, principium omnis potentiæ illorum.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=700

37 Tum eduxit eos cum argento et auro, nec fuit in tribubus ejus qui labaret.
38 Lætati sunt Ægypti quum exirent hi, quia irruerat pavor horum super ipsos.

39 Expandit nubem pro tegumento, et ignem ad illustrandum noctem.
40 Petente *populo* adduxit coturnices; et pane cœlorum satiavit eos.
41 Aperuit rupem, et effluxerunt aquæ, ambulantes per siticulosa *loca ut* fluvius.
42 Quia recordabatur verbi sanctitatis suæ cum Abrahamo servo suo *habiti*.
43 Ideo eduxit populum suum cum gaudio, cum cantu electos suos.
44 Deditque eis regiones gentium, et laborem nationum possident hæreditario jure:
45 Ut observent statuta ejus, et leges ejus custodiant.
HALLELU-JAH.

CVI.

1 HALLELU-JAH!
Celebrate Jehovam, quia bonus *est;* quia in seculum benignitas ejus.
2 Quis eloquatur summam potentiam Jehovæ? efferat totam laudem ejus?
3 O beatos, qui observarent rationem *hanc*, qui exerceret justitiam quovis tempore.

4 Recordare mei, Jehova; pro benevolentia, qua prosequeris populum tuum, visita me salute tua.
5 Ut fruar bono electorum tuorum, ut læter lætitia gentis tuæ; ut me laudibus efferam cum possessione tua.

6 Peccavimus cum majoribus nostris, inique fecimus, improbe egimus.

7 Majores nostri in Ægypto non intellexerant mirabilia tua opera, non recordati fuerant amplitudinis benignitatum tuarum, sed occasionem dederant mutandi *eas* ad mare, ingressuri mare algosum.
8 Attamen servavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.
9 Nam ipso increpante mare algosum, exsiccatum est; et deduxit eos per abyssos ejus, quasi *per* desertum.
10 Ita servans eos a manu osoris, vindicavit eos a manu inimici.
11 Operuerunt vero aquæ hostes eorum, unus ex illis non est relictus *superstes*.
12 Quamvis credidissent verbis ejus, cecinissent laudem ejus:
13 Festinanter obliti sunt operum ejus, non perdurarunt ad consilium ejus.
14 Sed ducti concupiscentia, in deserto tentaverunt *Deum* fortem, in solitudine:
15 Adeo ut tradens illis, quod petebant, immitteret maciem in illos ipsos.

16 Postea invidentibus Mosi in castris, Aaroni sancto Jehovæ;
17 Aperiens se terra deglutivit Dathanem, et operuit cœtum Abirami:
18 Exardescensque ignis in cœtum illorum, flamma incendit improbos.

19 Fecerunt vitulum Chorebi, et incurvaverunt se *exhibentes honorem* fusili:
20 Et mutantes honorem suum in formam bovis comedentis herbam,

21 Obliti sunt Dei fortis servatoris ipsorum, qui fecerat *res* magnas in Ægypto:
22 Mirabilia opera in regione Chami, terribilia ad mare algosum.
23 Quamobrem dixerat se perditurum eos; nisi Moses electus ipsius constitisset in irruptione illa coram ipso, ad avertendum excandescentiam ipsius, ne perderet.

24 Spreverunt quoque terram desiderabilem, non credentes verbo ejus:
25 Et murmurantes in tentoriis suis, non auscultarunt voci Jehovæ.
26 Quapropter sublata manu sua *juravit* eis, se dejecturum eos in ipso deserto;
27 Etiam dejecturum semen eorum in gentibus, et dispersurum eos in regionibus.

28 Præterea copulaverunt se etiam cum idolo Pehoris, et comederunt sacrificia mortuorum;
29 Adeo provocantes *Deum* ad indignationem factis suis, ut irrumperet in eos plaga;
30 Donec consistente Pinehaso et judicium exercente, coercita esset plaga illa:
31 Quod reputatum est ei ad justitiam, per quamque generationem usque in seculum.

32 Item ferventem iram concitarunt ad aquas contentionis; ita ut male fuerit Mosi propter ipsos:
33 Quum exacerbantibus illis spiritum ipsius, pronunciasset labiis suis *exacerbationem suam.*

34 Non perdiderunt populos illos, de quibus edixerat Jehova ipsis:
35 Sed commiscentes se cum illis gentibus, didicerunt opera earum;
36 Coluerunt que terricula earum, quæ ipsis fuerunt in tendiculam.

37 Nam sacrificaverunt filios suos, filiasque suas dæmonibus.
38 Et effuderunt sanguinem innoxium, sanguinem filiorum suorum, filiarumque suarum, quas sacrificabant terriculis Canaanæorum; adeo ut contaminata esset cædibus istorum.
39 Et polluerunt se operibus suis, actionibus suis, scortantes.

40 Quapropter accensus ira Jehova in populum suum, abominatus est possessionem suam;
41 Adeo ut traderet eos in manum gentium, ut dominarentur in eos osores eorum:
42 Et opprimentibus ipsos inimicis suis, deprimerent se sub manu eorum.
43 Multoties eripuit eos, quamvis ipsi exacerbassent eum consilio suo, et attenuati essent propter iniquitatem suam:
44 Respiciens ad angustiam eorum, audito clamore eorum.
45 Et recordantem pro eis fœderis sui, pœnituit ipsum pro amplitudine benignitatum suarum:
46 Adeo ut conciliaret illis misericordiam coram omnibus, qui captivos detinebant eos.

47 Serva nos, Jehova, Deus noster, et congrega nos ex istis gentibus; ad celebrandum nomen sanctum tuum, et laudationibus commendandum nos in laude tua.
48 Benedictus Jehova, Deus Israelis, inde a seculo usque in seculum: et dicat totus populus, Amen.

HALLELU-JAH!

QUINTUS LIBER PSALMORUM.

CVII.

1 CELEBRATE Jehovam, quoniam bonus *est;*
quoniam in seculum benignitas ejus.
2 Prædicent redemti Jehovæ, quos redemit ab angustia;
3 *Quos* ex regionibus congregavit: ab oriente et ab occidente, ab aquilone et a mari:
4 *Qui* errarunt per desertum, per solitudinem viæ; civitatem habitabilem non invenientes.
5 Famelici, etiam sitibundi; in quibus animus ipsorum sese obruebat:
6 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum, ex angustiis ipsorum eripuerit ipsos:
7 Et deduxerit ipsos per viam rectam; ut pervenirent ad civitatem habitabilem:
8 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus: et opera mirabilia ejus apud filios hominum:
9 Eum satiare animam appetentem, et animam famelicam explere bono.

10 Qui desident in tenebris et lethali umbra, vincti afflictione et ferro;
11 Quia dederunt occasionem mutandi sermones *Dei* fortis; et consilium Excelsi spreverunt;
12 Quorum deprimit ista molestia animum, *qui* labant, nemine adjuvante:
13 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum, ab angustiis ipsorum servaverit ipsos,
14 Eduxerit ipsos ex tenebris et umbra lethali, vincula ipsorum diruperit:
15 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus, et opera mirabilia ejus apud filios hominum:

16 Eum frangere valvas chalybeas et vectes ferreos
succidere.

17 Stulti *qui* propter viam defectionis suæ, et
propter iniquitates suas afflictantur,
18 Quorum animus omnem cibum abominatur, qui
pertingunt usque ad portas mortis:
19 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione
ipsorum, ab angustiis ipsorum servaverit ipsos,
20 Mittens verbum suum curaverit ipsos, et libera-
verit a foveis ipsorum:
21 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus et
opera mirabilia ejus apud filios hominum;
22 Et sacrificantes sacrificia gratiarum actionis, enar-
rent opera ejus cum cantu.

23 Qui descendunt *in* mare navibus, exercentes
artem in aquis amplis:
24 Ipsi *qui* vident opera Jehovæ et mirabilia ejus
in profundo:
25 Quemadmodum edicens constituat ventum pro-
cellosum, qui attollat fluctus illius:
26 *Quemadmodum* ascendant *ad* cœlos, descendant
ad abyssos; anima ipsorum malo seipsam dis-
solvat,
27 Titubent, sese moveant tanquam ebrius; et tota
peritia eorum absorbeatur:
28 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione
ipsorum, ex angustiis ipsorum eduxerit ipsos,
29 Restituerit procellam malaciæ, silentibus flucti-
bus illarum *aquarum:*
30 Et lætantes ipsos, postquam conticuerunt *fluctus*,
deduxerit ad portum optatum:
31 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus et
opera mirabilia ejus apud filios hominum,
32 Exaltentque eum in congregatione populi, et in
consessu seniorum laudent eum.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=706

33 Redigit flumina in desertum, et processus aquarum in siticulosum solum:
34 Terram fructuosam in salsuginosam, propter malitiam habitantium in ea.
35 Redigit desertum in stagnum aquarum, et terram siccaneam in processus aquarum:
36 Efficiens, ut habitent ibi famelici et constituant civitatem habitabilem,
37 Et consitis agris ac plantatis vineis comparent proventum fructuosum.
38 Qui ita benedicit eis, ut multiplicentur valde et jumenta eorum non minuit.
39 Ut *contra* minuuntur atque incurvantur præ coarctatione mali et mœrore:
40 Quum effundens contemtum super ingenuos facit, ut errent per inanitatem aviam:
41 Collocatque in edito egentem ab afflictione, et disponit tanquam gregem familias:
42 Videant recti et lætentur, omnis vero nequitia obdat os suum.

43 Quotusquisque sapiens est, qui observet ista, ut animadvertantur benignitates Jehovæ?

CVIII.

Canticum *et* psalmus Davidis.

2 ERECTO animo meo, o Deus, canam et psallam; etiam gloria mea.
3 Evigila, nablium et cithara: expergiscar *inde ab* aurora:
4 Celebrabo te in populis, Jehova; et psallam tibi in nationibus:
5 Magnam esse supra cœlos benignitatem tuam, et ad superiores usque nubes veritatem tuam.
6 Exaltare supra cœlos, o Deus, et super totam terram gloria tua:

7 Ut liberentur dilecti tui, serva dextera tua et exaudi me.

8 Deus locutus est per sanctitatem suam, exsultabo; in partem obtineo Sichemum, et convallem Succotharum metior:
9 Meus Gilead, meus Menasse; et Ephraim robur capitis mei, Juda legislator meus *est*.
10 Moab pollubrum meum; supra Edomæum projiciam calceum meum; contra Palæstinam clangentem agam.

11 Quis deduceret me *in* civitatem munitam? quis duceret me Edomæam usque?
12 An non *tu*, o Deus, rejeceras nos, ut non procederes, o Deus, inter exercitus nostros?
13 Cedo nobis auxilium *tuum* ab hoste, alioquin vanitas *est* auxiliatio humana.
14 In Deo faciamus strenue, et ipse proculcabit hostes nostros.

CIX.

Magistro symphoniæ Davidis psalmus.

1 O Deus laudis meæ, ne surdum agas.
2 Nam os improbi et os dolosum contra me aperuerunt se; oblocuta sunt mihi lingua mendace:
3 Et verbis odiosis circumvenerunt me, oppugnantia me immerito.
4 Adversati sunt mihi loco dilectionis meæ, qua eram *in* oratione;
5 Reponentes mihi malum pro bono, et odium pro dilectione mea.

6 Præfice illi improbum, qui adversans insistat ad dexteram illius:
7 Quum in jus venerit, abeat damnatus; et oratio illius illi sit crimini:

8 Sint dies illius pauci, curationem illius accipiat alter:
9 Sint filii illius pupilli, et uxor illius vidua:
10 Et indesinenter vagantes filii illius mendicent, quærantque *stipem* e locis desolatis suis:
11 Illaqueet fœnerator, quicquid *est* illi; et diripiant extranei laborem illius:
12 Ne sit illi, qui protendat benignitatem; neque sit qui gratiam faciat pupillis illius:
13 Sit posteritas illius excidio *addicta*, in generatione altera deleatur nomen eorum:
14 In memoria sit iniquitas majorum illius apud Jehovam, et peccatum matris illius ne deleatur.
15 Sint coram Jehova jugiter, ut exscindat e terra memoriam eorum.
16 Propterea quod non est recordatus exercere benignitatem; sed persecutus est virum pauperem egentemque et affectum ægritudine animi, ad afficiendum morte:
17 Et optavit, ut maledictio obveniret ei; neque oblectatus est benedictione, sed *ut* procul esset ab eo:
18 Ut indueretur maledictione velut chlamyde sua, et ingrederetur velut aqua intra eum, et velut oleum in ossa ejus.
19 Adsit illi; tanquam panno amiciat se, et pro zona jugiter se accingat ea.
20 Hoc *esto* præmium adversantium mihi a Jehova, et obloquentium malum contra animam meam.

21 Tu autem, o Jehova Domine, exerce *benignitatem* erga me propter nomen tuum; quia bona *est* benignitas tua, eripe me.
22 Nam pauper et egens sum; et cor meum confossum est in medio mei:

23 Ut umbra, quum declinat, abire cogor; exagitor ut locusta:
24 Genua mea labant præ jejunio, et caro mea emaciatur exhausta pinguedine:
25 Insuper ego probro sum illis; videntes me movent caput suum.
26 Auxiliare mihi, o Jehova Deus mi; serva me pro benignitate tua:
27 Ut agnoscant manum tuam hanc esse, te Jehovam fecisse hoc.
28 Utut maledicant ipsi, tu benedicito: qui insurrexerunt, quum erubuerint, lætetur servus tuus.
29 Induantur adversarii mei ignominia; et amiciant se, tanquam pallio, pudore suo.
30 Celebrabo Jehovam valde ore meo, et in medio multorum laudabo eum.
31 Quod assistat ad dexteram egentis, ut *ipsum* conservet ab iis, qui abjudicant vitam illi.

CX.

Davidis psalmus.

1 Dixit Jehova Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec disposuero inimicos tuos in scabellum pedum tuorum.
2 Scipionem robustum tuum emissurus est Jehova Zione, *dicens*, Dominare in medio inimicorum tuorum.
3 Populus tuus *populus* voluntarius die copiarum tuarum in decoris *locis* sanctitatis inde ab utero, tibi *aderit* ros juventæ tuæ accuratissime.
4 Juravit Jehova, et non pœnitebit *eum;* tu *es* sacerdos in seculum secundum ordinem Melchisedeci.
5 Dominus, *qui sedet* ad dexteram tuam frangens die iræ suæ reges,

6 Iudicium exercebit in gentes, complens corporibus, frangens caput, in regionibus plurimis.
7 De torrente in via bibet; idcirco attollet caput.

CXI.

1 א HALLELU-JAH!
Celebrabo Jehovam ex toto animo, ב in consilio rectorum et cœtu;
2 ג Magna opera Jehovæ, ד exposita omnibus, qui delectantur illis:
3 ה Gloriosum et decorum opus ejus, ו et justitiam ejus perstantem in æternum.
4 ז Memoriam comparavit mirabilibus suis; ח gratiosus et misericors Jehova.
5 ט Escam dedit timentibus se, י recordatus in seculum fœderis sui.
6 כ Vim operum suorum indicavit populo suo, ל dando eis possessionem gentium.
7 מ Opera manuum ejus *sunt* veritatis et judicii, נ constantia omnia mandata ejus:
8 ס Fulta in æternum, in seculum, ע facta*que* fideliter et recte.
9 פ Redemptionem mittens populo suo צ præcepit in seculum fœdus suum, ק sanctum et reverendum *haberi* nomen suum.
10 ר Caput sapientiæ *est* reverentia Jehovæ; ש successus optimus omnibus facientibus ista; ת laus ejus perstat in æternum.

CXII.

1 HALLELU-JAH!
א Beatus, quisquis reveretur Jehovam, ב in mandatis ejus delectatur valde.
2 ג Potens in terra futurum est semen ejus, ד generationi rectorum benedicitur:

3 ח Opes et divitiæ in domo ejus, ו et justitia ejus perstat in æternum.
4 ז Micat in tenebris lux justorum: ח gratiosus *est* et misericors et justus.
5 ט Bonus quisque gratiose largitur et mutuo dat, י moderatur res suas ex officio.
6 כ Quia in seculum non dimovetur, ל in memoria perpetua *est* justus.
7 מ A rumore malo non timet, נ erecto animo suo confisus Jehovæ.
8 ס Fultus animo suo non timet, ע donec videat *malum* in hostibus suis.
9 פ Dispergit, dat egentibus, צ justitia ejus perstat in æternum: ק cornu ejus elevatur honore.
10 ר Improbus autem videns indignatur, ש dentibus suis frendens contabescit, ת desiderium improborum periturum est.

CXIII.

1 Hallelu-jah!
Laudate, servi Jehovæ, laudate nomen Jehovæ.
2 Sit nomen Jehovæ benedictum deinceps usque in seculum:
3 Ab ortu solis usque ad occasum ejus *sit* laudatum nomen Jehovæ.

4 Elatus supra omnes gentes Jehova *est*, supra ipsos cœlos gloria illius.
5 Quis *est* par Jehovæ, Deo nostro, qui altissime habitat:
6 Qui demississime perspicit, in cœlis et in terra.

7 Erigens e pulvere tenuem, e sterquiliniis elevans egentem,
8 Faciendo ut consideat cum ingenuis, cum ingenuis populi sui:

9 Faciens ut, quæ sterilis erat in familia, sedeat mater liberorum læta.
HALLELU-JAH!

CXIV.

1 EXEUNTE Israele ex Ægypto, familia Jacobi a populo peregrini sermonis:
2 Fuit Juda sanctitatis illius, Israel dominiorum illius.
3 Ipsum mare videns profugit, ipse Jordan divertit retrorsum.
4 Ipsi montes subsilierunt velut arietes, colles ut subrumæ pecudes.

5 Quid tibi erat, o mare, cur fugeres? o Jordan, *cur* diverteres retrorsum?
6 O montes, *cur* subsiliretis velut arietes? colles, velut subrumæ pecudes?

7 A præsentia Domini intreme terra, a præsentia Dei Jacobi:
8 Qui mutat ipsam rupem in stagnum aquarum, saxum adamantinum in fontem aquarum.

CXV.

1 NON nobis, Jehova, non nobis, sed nomini tuo da honorem, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.
2 Quare dicerent gentes, Ubi *est* nunc Deus istorum?
3 Atqui Deus noster in ipsis cœlis *est;* quicquid placet, facit.

4 Terriculis illarum argenteis et aureis, operi manuum humanarum,
5 Os *est* eis, sed non loquuntur; oculi *sunt* eis, sed non vident:

6 Aures *sunt* eis, sed non audiunt; nasus *est* eis, sed non odorantur:
7 Manus eis, sed non palpant: pedes eis, sed non ambulant: non mutiunt gutture suo.
8 Similes illis sunt, qui faciunt illa, quisquis confidit illis.

9 Israel, confide Jehovæ; auxilium horum et scutum horum est.
10 *Vos* e familia Aaronis confidite Jehovæ; auxilium horum et scutum horum est.
11 Timentes Jehovam, confidite Jehovæ; auxilium horum et scutum horum est.

12 Jehova recordatus nostri benedicet: benedicet familiæ Israelis, benedicet familiæ Aaronis:
13 Benedicet timentibus Jehovam, parvulis simul ac magnis.
14 Augebit Jehova vos, vos et filios vestros.
15 Benedicti eritis Jehovæ, qui fecit cœlos et terram.

16 Ipsi cœli, cœli *sunt* Jehovæ: terraque, *quam* dedit filiis hominum.
17 Non qui mortui sunt, laudant Jah; neque quicunque descendunt in locum silentii:
18 Sed nos benedicemus Jah; deinceps usque in seculum.
HALLELU-JAH!

CXVI.

1 SAT habeo, quod Jehova exaudit vocem meam, deprecationes meas.
2 Quia inclinavit aurem suam mihi, idcirco diebus meis invocabo ipsum.

3 Circumdantibus me doloribus mortis, angoribusque sepulchri obvenientibus mihi, angustiam et mœrorem inveniens,

4 Si nomen Jehovæ invoco, *dicendo*, Obsecro, Jehova, libera animam meam!

5 Gratiosus Jehova et justus; Deus, inquam, noster misericors:
6 Servans simplices Jehova; quum attenuatus sum, mihi confert salutem.
7 Redi, anima mea, in requiem tuam, quum Jehova beneficus sit erga te.

8 Quandoquidem eripuisti me ipsum a morte, oculos meos a lacrymis, pedem meum a lapsu:
9 Indesinenter ambulabo coram Jehova, in regionibus viventium.
10 Credidi, quum *hæc* locuturus essem; ego fatuus fueram supra modum,
11 Ego dixeram accelerando, Omnis homo *est* mendax.

12 Quid rependerem Jehovæ? omnia beneficia ejus superant me.
13 Poculum omnis salutis acceptum *exhibebo*, et nomen Jehovæ prædicabo.
14 Vota mea Jehovæ rependens mox coram toto populo ejus, *dicendo:*
15 Pretiosa *est* in oculis Jehovæ mors intentata iis, quos ipse benignitate prosequitur.

16 Obsecro, Jehova, quum ego *sim* servus tuus, sim servus tuus, filius ancillæ tuæ; solveris vincula mea:
17 Tibi sacrificem sacrificium gratiarum actionis, et nomen Jehovæ prædicem:
18 Vota mea Jehovæ persolvam mox coram toto populo ejus,
19 In atriis domus Jehovæ, in medio vestri, Hierosolyma.

HALLELU-JAH!

CXVII.

1 LAUDATE Jehovam, omnes gentes; laudationibus commendate eum, omnes nationes:
2 Quia invaluit erga nos benignitas ejus, et fides Jehovæ in seculum.
HALLELU-JAH!

CXVIII.

1 CELEBRATE Jehovam, quia bonus *est;* quia in seculum benignitas ejus.
2 Dicat nunc Israel, esse in seculum benignitatem ejus.
3 Dicant nunc, qui sunt ex familia Aaronis, esse in seculum benignitatem ejus.
4 Dicant nunc timentes Jehovæ, esse in seculum benignitatem ejus.

5 Ex ipso angore invocavi Jah, respondens *collocavit* me in lato Jah.
6 Jehova *adest* mihi, non timebo; quid faciat mihi homo?
7 Jehova adest mihi cum auxiliatoribus meis: ideo ego despicio osores meos.

8 Melius *est* recipere se ad Jehovam, quam fiduciam habere in ullo homine.
9 Melius *est* recipere se ad Jehovam, quam fiduciam habere in ingenuis.
10 Omnes gentes circumdederant me; sed in nomine Jehovæ enervavi eas.
11 Etiam atque etiam circumdederant me; sed in momine Jehovæ enervavi eas.
12 Circumdederant me tanquam apes, exstinctæ sunt ut ignis spinarum: nam in nomine Jehovæ enervavi eas.

13 Graviter impuleras me, ut caderem; sed Jehova auxilio fuit mihi.

14 Robur meum et carmen Jah, is fuit mihi saluti.
15 Vox cantus et salutis *est* in tentoriis justorum, *dicens*, Dextera Jehovæ agit strenue:
16 Dextera Jehovæ elata, dextera Jehovæ agit strenue.

17 Non moriar, sed vivam; ut enarrem opera Jah.
18 Severe castigavit me Jah; sed morti non tradidit me.

19 Aperite mihi portas justitiæ, *ut* ingressus per eas celebrem Jah.
20 Hæc ipsa porta ad Jehovam, per quam justi intrant.

21 Celebrabo te; quia exaudiens me fuisti mihi saluti.
22 Quem lapidem spreverant structores, is est in caput anguli.
23 A Jehova est hic, est*que* mirabilis in oculis nostris.
24 Hac ipsa die effecit Jehova; exsultemus et lætemur in ea.
25 Obsecro, Jehova, serva nunc; obsecro, Jehova, prospera nunc.
26 Benedictus *est*, qui venit in nomine Jehovæ, benedicimus vobis e domo Jehovæ,
27 *Dei* fortis Jehovæ, qui illustravit nos; ligate sacrificia festi funibus, usque ad cornua altaris.

28 *Deus* fortis meus es, ideo celebrabo te; Deus meus, exaltabo te.

29 Celebrate Jehovam, quia bonus *est;* quia in seculum benignitas ejus.

CXIX.

א BEATI integri via, qui ambulant in lege Jehovæ:
Beati custodientes testimonia ejus, ex toto animo quærentes eum:
Qui etiam non operantur iniquitatem, *sed* in viis ejus ambulant.
Tu præcepisti mandata tua observari valde:
Utinam comparentur viæ meæ, ad observandum statuta tua:
Tunc non erubescam, quum intuebor in omnia præcepta tua.
Sed celebrabo te recto animo, discendo jura justitiæ tuæ:
Statuta tua observabo, ne derelinquas me admodum.

ב Quomodo purificabit puer semitam suam? observando *eam* secundum verbum tuum.
Ex toto animo meo quæro te, ne sinas me errare a præceptis tuis.
In animo meo recondo sermonem tuum, ut non peccem in te.
Tu benedicte Jehova, doce me statuta tua.
Labiis meis recenseo omnia jura oris tui.
De via testimoniorum tuorum gaudeo, ut superiorum omnibus opibus:
De mandatis tuis meditor, et intueor semitas tuas:
In statutis tuis me ipsum oblecto, ne obliviscor verbi tui.

ג Beneficium confer in servum tuum; *ut*, dum vivo, observem verbum tuum.
Retege oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua.

19 Peregrinante me in hac terra, ne abscondas a me præcepta tua.
20 *Nam* comminuor ipse, ob desiderium erga jura tua omni tempore.
21 *Tu*, *qui* perdis superbos, maledictos, qui errant a præceptis tuis:
22 Devolve a me opprobrium et contemtum, quia testimonia tua custodio:
23 Tum considentibus principibus, de me sermones frequentantibus, servus tuus meditatur de statutis tuis:
24 Tum testimonia tua oblectationes meæ *sunt*, consiliarii mei.

25 ד Adhæret pulveri vita mea: vivum serva me, secundum verbum tuum.
26 Vias meas recensentem exaudivisti me; doce me statuta tua.
27 Fac, ut viam mandatorum tuorum intelligam, ut mediter de mirabilibus tuis.
28 Stillat anima mea præ mœstitia, erige me secundum verbum tuum.
29 Viam falsitatis amove a me, et legem tuam gratiose largire mihi.
30 Viam veritatis eligo, judiciorum tuorum propono *mihi*.
31 Inhæreo testimoniis tuis, Jehova; ne sinas me erubescere.
32 Viam præceptorum tuorum percurram, quum dilataveris animum meum.

33 ה Doce me, Jehova, viam statutorum tuorum; quam custodiam *in* finem *usque*.
34 Fac ut intelligam, ut custodiam legem tuam; observemque eam ex toto animo.
35 Fac ut incedam itinere præceptorum tuorum, nam eo delector.

36 Flecte animum meum ad statuta tua, neque *sinas deflecti* ad quæstum.
37 Averte oculos meos, ne respiciant vanum: in viis tuis fac ut vivam.
38 Præsta servo tuo sermonem tuum, qui *addictus est* reverentiæ tui.
39 Averte opprobrium meum, quod reformido; quia jura tua bona *sunt*.
40 Ecce desidero mandata tua; in justitia tua fac ut vivam.

41 ז Quumque obvenerint mihi benignitates tuæ, Jehova, salus tua secundum sermonem tuum:
42 Respondebo probro afficienti me rem, quia fiduciam habeo in verbo tuo.
43 Sed ne abripe ab ore meo verbum verum admodum: quandoquidem jura tua exspecto.
44 Et observabo legem tuam jugiter, in seculum et sempiternum:
45 Indesinenterque ambulabo in ipsa latitudine, quia mandata tua quæro:
46 Et loquar de testimoniis tuis coram regibus, neque erubescam:
47 Et me oblectans in præceptis tuis, quæ diligo,
48 Attollam manus meas ad præcepta tua, quæ diligo, et meditabor de statutis tuis.

49 ח Recordare verbi cum servo tuo *habiti*, de quo spem fecisti mihi.
50 Hæc *est* consolatio mea in afflictione mea: sermonem tuum vivificare me;
51 Superbis deridentibus me admodum, a lege tua me non declinare:
52 Recordari judiciorum tuorum inde a seculo, Jehova, et me ipsum consolari:
53 Procella prehendente me ab improbis, desertoribus legis tuæ:

54 Psallendi argumenta esse mihi statuta tua in loco peregrinationum mearum:
55 Recordari me noctu nominis tui, Jehova, et observare legem tuam:
56 Hæc *consolatio* est mihi, me mandata tua custodire.

57 ח Portio mea *es*, Jehova, dico; ut observem verba tua.
58 Deprecor faciem tuam ex toto animo, gratiam fac mihi secundum sermonem tuum.
59 Reputo vias meas, ut referam pedes meos ad testimonia tua.
60 Festino ac non cunctor observare mandata tua.
61 Turbis improborum dispoliantibus me, legis tuæ non obliviscor.
62 Media nocte surgo ad celebrandum te propter jura justitiæ tuæ.
63 Socius sum omnibus qui reverentur te, et observantibus mandata tua.
64 Benignitatis tuæ, o Jehova, plena est terra; statuta tua doce me.

65 ט Bono affecisti servum tuum, Jehova, secundum verbum tuum.
66 Præstantiam rationis et scientiæ doce me: nam præceptis tuis credo.
67 Quum nondum loquerer, ego errabam: nunc autem sermonem tuum observo.
68 Bonus es et beneficus, doce me statuta tua.
69 Concinnantibus contra me falsitatem superbis, ego ex toto animo custodio mandata tua.
70 Obesatur quasi adipe cor illorum, ego lege tua oblecto me.
71 Bono mihi fuit me affligi, ut discerem statuta tua.
72 Melior *est* mihi lex oris tui multis millibus *nummum* aureorum et argenteorum.

73 י Manus tuæ fecerunt me et aptaverunt me:
redde me intelligentem, ut discam præcepta
tua.
74 Timentes tui videant me et lætentur, quod in
verbo tuo exspectationem habeam.
75 Agnosco, Jehova, justa esse judicia tua; et te
in fide afflixisse me.
76 Adsit jam benignitas tua, ut consoletur me, se-
cundum sermonem tuum *habitum* cum servo tuo.
77 Obveniant mihi misericordiæ tuæ, ut vivam: quia
lex tua *est* omnis oblectatio mea.
78 Erubescant superbi, quod falsis de causis per-
vertant me; meditante me de mandatis tuis.
79 Convertantur ad me timentes tui, et cognoscen-
tes testimonia tua.
80 Erit animus meus integer in statutis tuis, ut non
erubescam.

81 כ Consumitur *desiderio* salutis tuæ anima mea,
in verbo tuo exspectationem habeo.
82 Consumuntur oculi mei *desiderio* sermonis tui,
dicendo, Quando consolaberis me?
83 Quamvis sim similis utri ad fumum; statutorum
tuorum non oblitus sum.
84 Quanti *erunt* dies servi tui? quando exercebis
in persequentes me judicium?
85 Fodiunt mihi superbi fossas, qui se non confor-
mant legi tuæ.
86 Omnia præcepta tua *sunt ipsa* veritas: falsis de
causis persequuntur me, auxiliare mihi.
87 Propemodum consumpserunt me *dejectum* in ter-
ram: ego vero non dereliqui mandata tua.
88 Pro benignitate tua vivum serva me, ut obser-
vem testimonium oris tui.

89 ל In seculum, o Jehova, verbum tuum con-
sistit in cœlis:

90 In unaquaque generatione fides tua: quum statueres terram, illa constabat.
91 Ad judicia tua perstant hodie, quia illa omnia *sunt* servi tui.
92 Nisi lex tua *esset* omnis oblectatio mea, jam diu periissem in afflictione mea.
93 In seculum non obliviscar mandatorum tuorum: nam illis vivum conservas me.
94 Tuus sum, conserva me; quia mandata tua quæro.
95 Me exspectantibus improbis ad perdendum me, testimonia tua considero:
96 Omni perfectioni video esse finem: latum *vero esse* mandatum tuum valde.

97 מ Quam diligo legem tuam! toto die est meditatio mea.
98 Inimicis meis sapientiorem me reddit præceptis tuis: nam in seculum adest mihi.
99 Omnibus doctoribus meis intelligentior fio, quia testimonia tua meditatio mea *sunt*.
100 Senibus prudentior sum, quia mandata tua custodio.
101 Ab omni semita mali cohibeo pedes meos, ut observem verbum tuum.
102 A judiciis tuis non recedo, quia tu doces me.
103 Quam suavia sunt palato meo *judicia* sermonis tui! suaviora melle ori meo.
104 Mandatis tuis prudens sum: idcirco odi omnem semitam falsitatis.

105 נ Lucerna pedi meo verbum tuum *est*, et lux itineri meo.
106 Juravi quod præstabo, me observaturum jura justitiæ tuæ.
107 Afflictus sum admodum: Jehova, vivum conserva me secundum verbum tuum.

108 Voluntarias oblationes oris mei accepta, quæso, Jehova; et jura tua doce me.
109 Anima mea in manu mea jugiter *versante*, tamen legis tuæ non obliviscor:
110 Ponentibus improbis laqueum mihi, a mandatis tuis non aberro.
111 Possideo testimonia tua in seculum: quia gaudium animi mei sunt.
112 Inclino animum meum ad faciendum statuta tua; in seculum, *in* finem *usque*.

113 ס Cogitationes *alias* odi, legem autem tuam diligo.
114 Latebra mea et scutum meum es, in verbo tuo exspectationem habeo.
115 Recedite a me, malefici, ut custodiam præcepta Dei mei.
116 Sustenta me secundum sermonem tuum, ut vivam; neque pudefacias me ab exspectatione mea.
117 Suffulci me, ut salvus sim et respiciam ad statuta tua jugiter.
118 Conculcas omnes errantes a statutis tuis: quia falsus *est* dolus eorum.
119 *Tanquam* scoriæ, facis, ut cessent omnes improbi terræ; idcirco diligo testimonia tua.
120 Horret pavore tui caro mea: adeo a judiciis tuis timeo.

121 ע Exerceo judicium et justitiam: ne permittas me oppressoribus meis.
122 Obi vadimonium pro servo tuo in bonum; ne opprimant me superbi.
123 Oculi mei consumuntur *desiderio* salutis tuæ, et sermonis justi tui.
124 Fac erga servum tuum secundum benignitatem tuam, et statuta tua doce me.

125 Servus tuus sum, prudentem me redde; ut cognoscam testimonia tua.
126 Tempus est, ut faciat Jehova; irritam faciunt legem tuam.
127 Propterea amplius diligo præcepta tua, quam aurum, et *quidem* aurum purgatissimum:
128 Propterea *quod* omnia mandata de omnibus recta agnosco, omnem semitam falsitatis odi.

129 פ Mirabilia *sunt* testimonia tua: idcirco custodit ea anima mea.
130 Aditus verborum tuorum illuminat, prudentia instruit simplices.
131 Os meum distendo et anhelo: quia præceptorum tuorum cupidus sum.
132 Respice ad me, et gratiam fac mihi; prout *est* jus erga amantes nomen tuum.
133 Pedes meos institue in sermone tuo, et ne sinas dominari in me ullam iniquitatem.
134 Redime me ab oppressione hominum, ut observem mandata tua.
135 Fac ut præluceat facies tua servo tuo, et doce me statuta tua.
136 Rivi aquarum descendunt *ex* oculis meis, propter *eos qui* non observant legem tuam.

137 צ Justus es, Jehova, et rectus judiciis tuis.
138 Præcepisti justa testimonia tua, et fidelia valde.
139 Conficit me zelus meus, quod obliviscantur verbi tui hostes mei.
140 Purgatus *est* sermo tuus valde; quapropter servus tuus diligit ipsum:
141 Parvus ego et contemtus, mandatorum tuorum non obliviscor,
142 Justitiæ tuæ, justitiæ perpetuæ, et legis tuæ veracis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=725

143 Oppressione et angustia obvenientibus mihi, præcepta tua *sunt* oblectationes meæ.
144 Justitia testimoniorum tuorum *est* in seculum: prudentem me effice, ut vivam.

145 ק Invocantem ex toto animo exaudi me, Jehova, *ut* statuta tua custodiam.
146 Invocantem te serva me, *ut* observem testimonia tua.
147 Veniens ante *te* in ipso crepusculo, ut vociferer; in verbo tuo spem habeo.
148 Præveniunt oculi mei excubias, ad meditandum de sermone tuo.
149 Voci meæ ausculta secundum benignitatem tuam, Jehova: secundum judicia tua vivum conserva me.
150 Appropinquantibus sectatoribus sceleris, *qui* a lege tua longe absunt;
151 Propinquus es, Jehova, et omnia præcepta tua *sunt* veritas.
152 Pridem novi de testimoniis tuis, te in seculum fundasse ea.

153 ר Respice afflictionem meam, et libera me; quia legis tuæ non obliviscor.
154 Suscipe causam meam, et vindica me; pro sermone tuo vivum conserva me,
155 *Ita ut* procul sit ab improbis salus; quia statuta tua non quærunt:
156 Miserationes tuæ amplæ *sunt*, Jehova; secundum judicia tua vivum conserva me.
157 Ut multi sint persequentes me et hostes mei, a testimoniis tuis non declino.
158 Simul ac video perfide agentes, fastidio me ipsum torqueo, quod sermonem tuum non observent.
159 Vide me mandata tua diligere, Jehova; secundum benignitatem tuam vivum conserva me.

160 Præstantissimum verbum tuum *est* ipsa veritas: et in seculum *est* quodque judicium justum tuum.

161 ש Principibus persequentibus me immerito, a verbo tuo pavet animus meus.
162 Gaudeo de sermone tuo ut qui invenit prædam amplam:
163 Falsitatem odi et abominor, legem tuam diligo.
164 Septies quotidie laudo te, de judiciis justis tuis:
165 Pacem multam esse diligentibus legem tuam, neque esse eis offendiculum.
166 Exspecto salutem tuam, Jehova, et præcepta tua facio.
167 Observat anima mea testimonia tua, diligoque ea valde.
168 Observo mandata tua ac testimonia tua; quia omnes viæ meæ coram te sunt.

169 ת Appropinquet clamor meus ante faciem tuam, Jehova; secundum verbum tuum prudentem redde me.
170 Perveniat deprecatio mea ante faciem tuam, secundum sermonem tuum eripe me.
171 Eructabunt labia mea laudem, quum docueris me statuta tua.
172 Cantabit lingua mea sermonem tuum, omnia præcepta tua justissima esse.
173 Adsit manus tua ad auxiliandum mihi; quia mandata tua eligo.
174 Desidero salutem tuam, Jehova, et lex tua *est* omnis oblectatio mea.
175 Vivat anima mea, ut laudet te; et judicia tua auxilientur mihi.
176 Erro ut pecus, quæ perit; require servum tuum: nam præceptorum tuorum non obliviscor.

CXX.

Canticum excellentissimum.

1 AD Jehovam in maxima angustia mea clamavi,
et exaudivit me.

2 Jehova, eripe me a labio falso, a lingua do-
losa.
3 Quid datura est tibi, quidve adjectura tibi lingua
dolosa?
4 *Verba similia* sagittis robusti acutis, compa-
randa prunis juniperorum?

5 Hei mihi, quia peregrinor tam diu, habito
tanquam scenitæ Kedareni!
6 Plurimum habitasse videtur sibi anima mea apud
osorem pacis.
7 Ego pacem *diligo:* at quum loquor, ipsi ad bel-
lum *conclamant.*

CXXI.

Canticum excellentissimum.

1 ATTOLLEREM oculos meos ad istos montes?
unde veniret auxilium meum?
2 Auxilium meum *sit* a Jehova, qui fecit cœlos
et terram.

3 Ne permittat dimoveri pedem tuum, ne dor
mitet custos tuus.
4 Ecce, non dormitat neque dormit custos Israelis.

5 Jehova custos tuus; Jehova umbra tua *est* ad
manum dexteram tuam.
6 Interdiu sol non percutiet te, aut luna noctu.
7 Jehova servabit te ab omni malo, servabit ani-
mam tuam.
8 Jehova servabit processum tuum et reditum tuum,
ex hoc tempore usque in seculum.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=728

CXXII.

Canticum excellentissimum Davidis.

1 Lætor de eo, quod dicitur mihi, domum Jehovæ adeamus:
2 *Quod* consistunt pedes nostri intra portas vestras, o Hierosolyma.

3 Hierosolyma, optime constructa civitas, quæ plane coagmentata est inter se pariter:
4 Quo ascendunt tribus, tribus Jah, *ad* testimonium Israelitarum, ut celebrent nomen Jehovæ:
5 Quia' ibi considerent throni juris, throni domus Davidis.

6 Expetite pacem Hierosolymorum, *dicentes*, Tranquilli sint amantes tui.
7 Sit pax in præmunitione tua, tranquillitas in palatiis tuis.
8 Propter fratres meos et amicos meos eloquor nunc, Pax *sit* in te!
9 Propter domum Jehovæ, Dei nostri, procurabo bonum tibi.

CXXIII.

Canticum excellentissimum.

1 Ad te attollo oculos meos, o *tu*, qui sedes in cœlis.
2 Ecce, ut oculi servorum *spectant* ad manum dominorum suorum, ut oculi ancillæ ad manum heræ suæ; ita oculi nostri ad Jehovam Deum nostrum, donec gratiam fecerit nobis.
3 Gratiam fac nobis, Jehova, gratiam fac nobis; quia satis *est*, saturi sumus contemtu.
4 Plurimum saturata est anima nostra: ista sanna tranquillis ipsis, iste contemtus *obveniat* superbis.

CXXIV.

Canticum excellentissimum Davidis.

1 Nisi Jehova adfuisset nobis, dicat nunc Israel,
2 Nisi Jehova adfuisset nobis, quum insurgerent contra nos homines;
3 Tunc vivos absorbuissent nos, exardescente ira eorum in nos:
4 Tunc illæ aquæ inundassent nos, torrens superavisset nos:
5 Tunc superavisset nos *torrens* aquæ superbissimæ.

6 Benedictus Jehova, qui non exposuit nos prædæ dentibus eorum.
7 Anima nostra ut avicula erepta est a laqueo aucupantium, laqueo effracto nos erepti sumus.
8 Auxilium nostrum in nomine Jehovæ, qui fecit cœlos et terram.

CXXV.

Canticum excellentissimum.

1 Qui confidunt Jehovæ, similes *sunt* monti Zionis: *qui* non dimovetur, in seculum permanet.
2 *Ut* Hierosolyma montes circumstant, ita Jehova circumstat populum suum; ex hoc tempore usque in seculum.
3 Nam non quiescit virga improbitatis super sortem justorum; ut non extendant justi ad ullam iniquitatem manus suas.

4 Benefac, Jehova, bonis et rectis ex animis suis:
5 Qui autem inclinant *animos suos* ad *itinera* tortuosa sua, amandet eos Jehova cum iis, qui dant operam iniquitati: pax *sit* super Israelem!

CXXVI.

Canticum excellentissimum.

1 QUUM reduceret Jehova multitudinem captivorum Zionis, eramus velut qui somniant.
2 Tunc impletum est risu os nostrum, et lingua nostra cantu; tum dictum est inter gentes, Magnifica Jehova efficit *opera* erga istos.
3 Magnifica Jehova efficit erga nos; sumus læti.
4 Reduc, Jehova multitudinem captivorum nostrorum; tanquam validissimas *aquas reducens* in regionem siccam.
5 Qui seminarunt cum lacrymis, cum cantu metant.
6 *Qui* portans acquisitum semen indesinenter ibat flendo; *is* omnino redeat cum cantu, reportans manipulos suos.

CXXVII.

Canticum excellentissimum pro Salomone.

1 NISI Jehova ædificet domum, frustra laborent ædificatores ejus de ea: nisi Jehova custodiat civitatem, frustra sedulus sit custos:
2 Frustra *sint* vobis, qui summo diluculo surgant, qui tarde sedeant, qui vescantur cibo dolorum: ita dat dilecto suo somnum!
3 Ecce, possessio Jehovæ *sunt* filii: merces *est* fructus ventris.
4 Ut sagittæ ad manum robusti, ita sunt pueri.
5 Beatus vir ille, qui impleverit pharetram suam illis: non erubescent, sed periment inimicos in porta ipsorum.

CXXVIII.

Canticum excellentissimum.

1 BEATUS quisque timens Jehovæ, qui ambulat in viis ejus.

2 Labore enim manuum tuarum frueris: beatus
eris, et bene erit tibi.
3 Uxor tua ut vitis fructifera ad latera domus tuæ,
filii tui ut plantæ olearum circumstabunt men-
sam tuam.
4 Ecce, quum ita benedicatur vir timens Jehovæ!

5 Benedicit tibi, Jehova e Zione: fruere igitur
bono Hierosolymorum omnibus diebus vitæ tuæ,
6 Et respice natos filiis tuis: pax *est* super Is-
raelem!

CXXIX.

Canticum excellentissimum.

1 MULTUM affecerunt me angustiis inde a pue-
ritia mea, dicat nunc Israel,
2 Multum affecerunt me angustiis inde a pueritia
mea; etiam non prævaluerunt mihi.
3 Super tergum meum araverunt aratores, pro-
duxerunt quamque strigarum suarum.
4 Jehova justus truncavit densos funes impro-
borum.

5 Erubescent et agentur retrorsum omnes osores
Zionis.
6 Erunt tanquam fœnum tectorum, quod antequam
exseratur *falx*, exaruit.
7 Quo non implet manum suam messor; aut lacer-
tum suum, qui manipulos facit:
8 Neque dicent, qui transeunt, Benedictio Jehovæ
adsit vobis, benedicimus vobis in nomine Je-
hovæ.

CXXX.

Canticum excellentissimum.

1 Ex profunditatibus inclamavi te, Jehova, *di-
cens:*

2 Domine, ausculta voci meæ; sint aures tuæ intentæ ad vocem deprecationum mearum.

3 Si iniquitates observaveris, Jah, Domine, quis possit consistere?
4 Nam apud te *est* condonatio, ut reverenter colaris.

5 Exspectavi Jehovam, exspectavit anima mea: etiam in verbo ejus exspectationem habeo.
6 Animus meus erga Dominum *studiosior est*, quam excubiarum erga matutinum, excubantium ad matutinum usque.

7 Exspectationem habeat Israel in Jehova: quia apud Jehovam *est* benignitas et plurimum apud eum redemptionis:
8 Et ipse redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus.

CXXXI.

Canticum excellentissimum Davidis.

1 JEHOVA, non fuit altus animus meus, neque elati oculi mei; ac non agressus sum *res* magnas aut arduas supra quam conveniat mihi.
2 An non composui et sedavi animum meum, similis depulso a lacte apud matrem suam? similis depulso a lacte apud me *fuit* animus meus.
3 Exspectationem habeat Israel in Jehova, ex hoc tempore usque in seculum.

CXXXII.

Canticum excellentissimum.

1 MEMOR esto, Jehova, Davidis cum tota afflictione ejus:
2 Jurasse Jehovæ, vovisse amplissimo *Deo* Jacobi, *dicendo*,

3 *Dispeream*, si ingrediar tentorium domus meæ,
si conscendam spondam stratorum meorum;
4 Si dem somnum *suum* oculis meis, palpebris
meis dormitationem:
5 Donec invenero locum pro Jehova, *locum* taber-
naculorum pro amplissimo *Deo* Jacobi.

6 Ecce, audivimus eam *fuisse* in Ephrathæa re-
gione, inveneramus eam in agris Jaharis.
7 Accedimus ad tabernacula ejus; incurvamus nos
honorem exhibentes ante scabellum pedum ejus.

8 Surge, Jehova, aditurus requiem tuam, tu et arca
roboris tui.
9 Sacerdotes tui induantur justitia, et quos be-
nigne accipis, cantent.
10 Propter Davidem servum tuum, ne avertas fa-
ciem uncti tui.

11 Juravit Jehova Davidi vertitatem, a qua non
avertet se, *dicens*, De fructu ventris tui ponam
in solio tuo.
12 Si observaverint filii tui fœdus meum et testi-
monia mea singula, quæ docebo eos, etiam filii
illorum usque in sempiternum sessuri sunt in
solio tuo.

13 Nam elegit Jehova Zionem, expetivit pro
habitatione sua, *dicens*,
14 Hæc est requies mea usque in sempiternum; hic
habitaturus sum, quia hoc expetiveram.
15 Viatico ejus affatim benedicam, egentes ejus sa-
turabo cibo:
16 Sacerdotesque ejus induam salute, et quos in
ea benigne accipio, omnino cantabunt *illi*.
17 Ibi efficiam, ut germinet cornu Davidis, *ubi*
aptavi lucernam uncto meo.

18 Inimicos ejus induam pudore: super ipsum vero florebit coronamentum ejus.

CXXXIII.

Canticum excellentissimum Davidis.

1 Ecce, quam bonum et quam amœnum *est*, habitare fratres etiam una.
2 *Est* ut unguentum illud optimum superfusum capiti, descendens super barbam, barbam Aaronis; quod descendit usque ad oram vestium ejus.
3 Ut ros Hermonis, *ut* qui descendit super montes Zionis: nam illic mandat Jehova benedictionem suam, vitam usque in seculum.

CXXXIV.

Canticum excellentissimum.

1 Ecce, benedicite Jehovæ, omnes servi Jehovæ; qui perstatis in domo Jehovæ singulis noctibus.
2 Attollite manus vestras sancte, et benedicite Jehovæ.
3 Benedicet tibi Jehova e Zione, qui fecit cœlos et terram.

CXXXV.

1 Hallelu-jah!
Laudate nomen Jehovæ; laudate, servi Jehovæ;
2 Qui statis in domo Jehovæ, in atriis domus Dei nostri.
3 Laudate Jah; quia bonus *est* Jehova: psallite nomini ejus, quia amœnum *est:*
4 Quia Jacobum sibi elegit Jah, Israelem in peculium suum.

5 Nam ego novi magnum esse Jehovam, et Dominum nostrum superiorem omnibus diis.
6 Quicquid placet sibi, Jehova facit, in cœlis ac in terra, per maria et omnes abyssos.
7 Faciens ut ascendant vapores ab extremitate terræ; fulgura cum pluvia facit, depromit ventum e thesauris suis.

8 Qui percussit primogenita Ægypti, tam hominum quam jumentorum:
9 *Quum* immisisset signa et prodigia in medium tui, Ægypte; contra Pharaonem et contra omnes servos ejus.
10 Qui percussit gentes amplas, et interfecit reges robustos:
11 Sichonem, regem Emoræorum; et Hogum, regem Basanis; omniaque regna Canaanæorum.
12 Et dedit terram eorum possessionem, possessionem Israeli, populo suo.

13 O Jehova, nomen tuum *est* in seculum; Jehova, memoria tui in quamque generationem.
14 *Quod* si judicat Jehova populum suum, mox de servis suis pœnitet ipsum.

15 Terriculis gentium argenteis et aureis, operi manuum humanarum,
16 Os illis *est*, sed non loquuntur; oculi *sunt* illis, sed non vident:
17 Aures *sunt* illis, sed non audiunt; etiam nullus spiritus in ore illorum.
18 Similes illis futuri sunt, qui faciunt illa, quisquis confidit illis.

19 Domus Israelis, benedicite Jehovæ; domus Aaronis, benedicite Jehovæ:
20 Domus Leviticæ *tribus*, benedicite Jehovæ: timentes Jehovæ, benedicite Jehovæ, *dicendo:*

21 Benedictus *sit* Jehova e Zione, inhabitans Hierosolymis.
HALLELU-JAH!

CXXXVI.

1 CELEBRATE Jehovam, quia bonus *est*, quia in seculum *est* benignitas ejus.
2 Celebrate Deum Deorum; quia in seculum *est* benignitas ejus.
3 Celebrate Dominum dominorum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
4 Eum, qui facit mirabilia opera magna solus; quia in seculum *est* benignitas ejus:
5 Qui fecit cœlos intelligentia; quia in seculum *est* benignitas ejus:
6 Qui expandit terram super aquas; quia in seculum *est* benignitas ejus:
7 Qui fecit lumina magna; quia in seculum *est* benignitas ejus:
8 Solem ad dominium *obtinendum* interdiu; quia in seculum *est* benignitas ejus:
9 Lunam cum stellis ad dominia *obtinenda* noctu; quia in seculum *est* benignitas ejus:
10 Qui percussit Ægyptios in primogenitis illorum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
11 Et eduxit Israelem e medio illorum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
12 Manu robusta et brachio extento; quia in seculum *est* benignitas ejus:
13 Qui secuit mare algosum in segmenta; quia in seculum *est* benignitas ejus:
14 Et transmisit Israelem per medium illius; quia in seculum *est* benignitas ejus:
15 Excussitque Pharaonem et copias illius in mare algosum; quia in seculum *est* benignitas ejus:

16 Qui duxit populum suum per desertum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
17 Qui percussit reges magnos; quia in seculum *est* benignitas ejus:
18 Et interfecit reges magnificos; quia in seculum *est* benignitas ejus:
19 Sichonem, regem Emoræorum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
20 Et Hogum, regem Basanis; quia in seculum *est* benignitas ejus:
21 Deditque terram istorum in possessionem; quia in seculum *est* benignitas ejus:
22 Possessionem Israeli, servo suo; quia in seculum *est* benignitas ejus:

23 Qui in abjectione nostra recordatur nostri; quia in seculum *est* benignitas ejus:
24 Et asserit nos ab hostibus nostris; quia in seculum *est* benignitas ejus:
25 Qui dat cibum omni carni; quia in seculum *est* benignitas ejus:

26 Celebrate *Deum* fortem cœlorum; quia in seculum *est* benignitas ejus.

CXXXVII.

1 Ad flumina Babyloniæ, ibi sedentes etiam *atque etiam* flevimus, quum recordaremur Zionis:
2 Ad salices in ea, suspendimus citharas nostras:
3 Quamvis ibidem peterent a nobis cantiones lætas, qui captivos abducebant nos, et qui contumulabant nos; *dicentes*, Canite nobis de canticis Zionis.

4 Quomodo fuissemus cantaturi canticum Jehovæ in solo alienigenarum?
5 Si obliviscar vestri, o Hierosolyma, obliviscatur *sui* dextra mea.

6 Adhæreat lingua mea palato meo, si non recorder tui, si non eveham Hierosolyma supra caput lætitiæ meæ.

7 Recordare, Jehova, contra Edomæos diei Hierosolymæ: qui dicebant, Nudate, nudate, quantisper fundamentum ejus *erit* in ea.

8 Gens Babylonica vastanda, beatus *sit*, qui rependet tibi maleficium tuum, quo affecisti nos!
9 Beatus, qui prehendet et dissipabit parvulos tuos *allidens* ad petram!

CXXXVIII.

Ode Davidis.

1 Celebrabo te ex toto animo meo, coram potestatibus psallam tibi.
2 Incurvabo me *honorem exhibens* versus templum sanctitatis tuæ, et celebrabo nomen tuum, propter benignitatem tuam et propter fidem tuam: quia magnificas cum toto nomine tuo sermonem tuum.
3 Quo die clamavi, eodem exaudivisti me: fecisti ut efferret me animo meo robur.

4 Celebrabunt te, Jehova, omnes reges terræ; quum audierint sermones oris tui:
5 Et canent de viis Jehovæ, magnam esse gloriam Jehovæ:

6 Quamvis elatus sit Jehova, tamen depressum aspicere; quamvis altus, e longinquo pernoscere.
7 Si ambulo in media angustia, vivum conservas me: in faciem inimicorum meorum extendis manum tuam; et servat me dextera tua.
8 Jehova perficiat pro me: Jehova, benignitas tua in seculum *est;* ab operibus manuum tuarum ne desistas.

CXXXIX.

Magistro symphoniæ Davidis psalmus.

1 JEHOVA, pervestigas me et cognoscis.
2 Tu cognoscis sedere meum et surgere meum, intelligis cogitationem meam e longinquo.
3 Iter meum et accubitum meum circumplecteris, et omnium viarum mearum peritus es:
4 Quum nondum *est* sermo in lingua mea; en, o Jehova, nosti ipsum totum;
5 Retro et ante obsides me, et imponis mihi manum tuam.
6 Mirabilior *est* scientia *tua*, quam ut fallam: edita est, non possum prævalere illi.

7 Quo irem a spiritu tuo? aut quo a facie tua fugerem?
8 Si scanderem cœlos, illic es; aut stratum ponerem in sepulchro, ecce, ades.
9 *Si* assumerem alas auroræ, habitaturus in extremitate maris;
10 Etiam illuc manus tua deduceret me, et prehenderet me dextra tua.
11 *Sin* autem dicerem, Utique tenebræ velut crepusculo obvolvent me: atqui nox lux *est* circa me:
12 Ne tenebræ quidem ita obtenebrare possunt, quin tu pervideas: sed nox ut dies illustrat, perinde *sunt* tenebræ atque ipsa lux.

13 Tu enim possides renes meos, *ex quo* obtegebas me in utero matris meæ.
14 Celebro te, eo quod suspiciendis *operibus istis* in admirationem traducor: *celebro* mirabilia opera tua, quam maxime novit animus meus.
15 Non celata *est* vis mea tibi, *ex* quo factus sum in abdito, artificiose confectus, *velut* in imis partibus terræ.

16 Massam meam vident oculi tui, et in libro tuo hæc omnia scripta sunt; *ex quibus* diebus formabantur, quum nondum ullum ex eis *exstaret.*

17 Quamobrem apud me, o quam pretiosæ sunt cogitationes tuæ; o *Deus* fortis, quam numerosæ sunt summæ earum!

18 Narrarem illas, *sed* arena plures sunt: invigilo, ut adhuc sim tecum.

19 *Quod* si interempturus es, o Deus, improbum et viros sanguinarios, *dicendo*, Recedite a me!

20. Qui obloquuntur tibi scelerate; *qui* extollunt vane inimicos tuos.

21 An non osores tuos, o Jehova, odio habeo? et de insurgentibus in te fastidio me ipsum torqueo?

22 Perfecto odio odi illos! inimicorum loco sunt mihi!

23 Pervestiga me *Deus* fortis, et cognosce animum meum; proba me, et cognosce cogitationes meas.

24 Denique vide, an ego ingrediar via molesta tibi: et deduc me via perpetua.

CXL.

Magistro symphoniæ psalmus Davidis.

2 LIBERA me, Jehova, ab hominibus malis; a viris violentissimis custodi me:

3 Qui cogitant mala cum animo, quotidie conveniunt *ad* bella:

4 Exacuunt linguam suam similem serpentis, venenum ptyados subest labiis eorum maxime.

5 Serva me, Jehova, a manibus improborum; a viris violentissimis custodi me, qui cogitant impellere pedes meos.

6 Abscondentibus superbis laqueum mihi funesque, pandentibus rete ad orbitam, tendiculas ponentibus mihi maxime;
7 Dixi Jehovæ, *Deus* fortis meus es: auribus percipe, Jehova, vocem deprecationum mearum!
8 Jehova Domine, robur salutis meæ, obtexisti caput meum tempore pugnæ.
9 Ne concedas, Jehova, quæ concupit improbus; sceleratam cogitationem ejus ne provehas; efferrent se maxime.
10 Venenum circumdantium me, molestia labiorum ipsorum obtegat eos.
11 Demittantur super eos prunæ; in ignem dejiciat eos, in scrobes, *unde* non surgant.
12 Vir maledicus ne stabiliatur in terra; virt *dediti* violentiæ, malum venando impellat ipsum *variis* impulsionibus.

13 Novi acturum esse Jehovam causam afflicti, jus egentium.
14 Utique justi celebrabunt nomen tuum; considebunt recti in conspectu tuo.

CXLI.

Psalmus Davidis.

1 O Jehova, inclamo te, festina ad me; auribus percipe vocem meam, quum invoco te.
2 Statuatur oratio mea *ut* suffitus coram te; elatio manuum mearum *ut* munus vespertinum.

3 Compone, Jehova, observa os meum; custodiens *moderare*, quicquid efferunt labia mea.
4 Ne sinas inclinari animum meum ad rem malam, ad agitandum actiones per improbitatem cum strenuis operam dantibus iniquitati: etiam ne inescer rebus amœnis eorum.

5 Retundat me justus, benignitas *erit;* et corripiat me, unguentum *erit* præstantissimum; ne irritum faciat *a* capite meo: quo amplius *fecerit*, eo *amplius* oratio mea *erit* in malis eorum.
6 At dimovent se per latera petrarum judices istorum, quamvis intelligant sermones meos amœnos esse.

7 Quasi dissecaret quis et diffinderet in terra, disperguntur ossa nostra, *trudenda* in os sepulchri.
8 Quum ad te, Jehova, Domine, *respiciant* oculi mei, ad te recipiam me, ne nudes animam meam.
9 Serva me a laqueo, *quem* tetenderunt mihi; et tendiculis eorum, qui operam dant iniquitati.
10 Cadant in retia jacula *quisque* sua improbi una; ego dum transiturus sum.

CXLII.

Ode didascalica Davidis, quum esset in spelunca; oratio.

2 Voce mea ad Jehovam clamo: voce mea apud Jehovam deprecor.
3 Effundo coram eo meditationem meam, angustiam meam coram eo indico.

4 Quum obrueret se in me spiritus meus, toties tu agnovisti semitam meam: *quum*, quocunque itinere pergerem, abderent laqueum mihi.

5 Intuere *ad* dexteram et respice *ad sinistram*, ut non *est* mihi, qui recognoscat *me:* periit effugium a me, non *est* qui curet vitam meam.
6 Clamo ad te, Jehova, dicens, Tu *es* receptus meus, portio mea in terra viventium.

7 Attende ad clamorem meum, nam attenuatus sum valde; eripe me a persequentibus me, quia fortiores sunt me.
8 Educ e claustro vitam meam ad celebrandum nomen tuum; me cingent justi, quum beneficium contuleris in me.

CXLIII.

Psalmus Davidis.

1 O Jehova, audi orationem meam, aures adhibe ad deprecationes meas; pro fide tua exaudi me, pro justitia tua.
2 At ne congrediaris judicio cum servo tuo; nam non esset justus coram te ullus vivens.

3 Persequitur enim inimicus animam meam: atterit *dejiciens* in terram catervam meam: facit ut resideam in tenebricosis *locis; sumus* quasi mortui olim:
4 Adeo ut obruat se in me spiritus meus; in medio mei desolatus videatur sibi animus meus.

5 Recordans dierum priscorum, meditans totum opus tuum, factum manuum tuarum recolens,
6 Pando manus meas ad te, anima mea ut terra fessa *sitiente* tui maxime:
7 *Dicens*, Festina, exaudi me, Jehova, consumitur spiritus meus; ne abscondas faciem tuam a me, nam consimilis fio descendentibus in sepulchrum.
8 Fac ut audiam mane benignitatem tuam, quia in te fiduciam habeo: notam fac mihi viam, qua ambulaturus sum, quia ad te attollo animum meum.
9 Eripe me ab inimicis meis, Jehova: apud te tectum contineo *illum*.

10 Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus *es;* tuo spiritu bono deduc me per terram planam.
11 Propter nomen tuum, Jehova vivum conserva me: propter justitiam tuam educ ex angustia animam meam:
12 Et propter benignitatem tuam exscinde inimicos meos, perdens omnes affligentes animam meam quia ego *sum* servus tuus.

CXLIV.

Ode Davidis.

1 Benedictus *sit* Jehova, rupes mea, qui docet manus meas prælium, digitos meos bellum:
2 Benignitas mea et propugnaculum meum, editus locus meus et liberator meus, *assistens* mihi, scutum meum; ad quem me recipio, qui substernit populum meum mihi.

3 Jehova, quid *est* homo, ut agnoscas eum? filius mortalis, ut rationem habeas ejus?
4 Homo vanitati similis *est*, dies ejus *sunt* ut umbra prætereuntis.

5 Jehova, inclina cœlos tuos et descende: tange istos montes, et fument:
6 Immitte fulgur et disperge eos; emitte sagittas tuas et funde eos:
7 Extende manum tuam ex alto; libera me et eripe me ex aquis multis, e manu alienigenarum,
8 Quorum os loquitur vanum, et quorum dextera *est* dextera falsitatis.

9 Deus, canticum novum canam tibi; nablio, decachordo psallam tibi:

10 Danti salutem regibus, liberanti Davidem servum suum a gladio malefico.

11 Libera me, et eripe me e manu alienigenarum, quorum os loquitur vanum, et quorum dextera *est* dextera falsitatis.

12 Ut filii nostri tanquam plantæ bene educatæ in tenera ætate sua, filiæ*que* nostræ sicut antarii lapides excisi *sint* structura templi:

13 Promtuaria nostra plena proferant juge alimentum: pecudes nostræ millenis pariant, myriadibus auctæ *sint* in cortibus nostris:

14 Boves*que* nostri præpingues: nulla irruptio, nullaque eruptio; denique nulla *sit* querela in plateis nostris.

15 Beatus ille populus, cui ita *est;* beatus *ergo* populus, cujus Jehova *est* Deus.

CXLV.

Laudatio Davidis.

1 א EXALTABO te, Deus mi, Rex; et benedicam nomini tuo in seculum et sempiternum:

2 ב Quotidie benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in seculum et sempiternum;

3 ג Magnum esse Jehovam et laudandum valde, imo magnitudini ejus non esse pervestigationem.

4 ד Generatio generationi laudibus commendet opera tua, prout *hæc* indicant omnimodam potentiam tuam.

5 ה *Et* decorem gloriam*que* majestatis tuæ, et res mirabiles tuas elocuturus sum:

6 ו Et robur mirabilium tuorum operum prædicent, prout singula magna *gesta* tua enarraturus sum.

7 ז Memoriam amplæ bonitatis tuæ eructent, et justitiam tuam cantent:

8 ח Gratiosum et misericordem Jehovam *esse*, longanimem et magnum benignitate.
9 ט Bonum esse Jehovam omnibus, et misericordiam ejus in omnibus operibus ejus.
10 י Celebrent te, Jehova, omnia opera tua; et quos benignitate prosequeris, benedicant tibi.
11 כ Gloriam regni tui prædicent, et potentiam tuam eloquantur;
12 ל Ut notas faciant filiis hominum potentias ejus, et gloriam decoremque regni ejus.
13 מ Regnum tuum regnum *est* omnium seculorum; et dominium tuum in unam quamque generationem.
14 ס Sustentat Jehova omnes cadentes, et erigit omnes incurvatos.
15 ע Oculi omnium ad te spectant; quibus tu das escam suam tempore suo:
16 פ Aperis manum tuam et saturas quicquid vivit, *ex* beneplacito.
17 צ Justus Jehova in omnibus viis suis *est*, et benignus in omnibus operibus suis.
18 ק Propinquus *est* Jehova omnibus invocantibus ipsum, omnibus qui invocant ipsum fide.
19 ר Placitum timentium se efficit, et vociferationem eorum audiens salutem dat eis.
20 ש Servat Jehova omnes amantes ipsum, omnes vero improbos perdit.
21 ת Laudationem Jehovæ eloquatur os meum: et benedicat omnis caro nomini sancto ejus, in seculum et sempiternum.

CXLVI.

1 HALLELU-JAH!
Lauda, anima mea, Jehovam.
2 Laudabo Jehovam in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu futurus sum.

3 Ne fiduciam habetote in ingenuis, in *ullo* filio hominum; penes quem nulla *est* salus.
4 Exit spiritus ejus, revertitur in terram suam: die eodem pereunt cogitationes ejus.

5 Beatus, cui auxilio *est Deus* fortis Jacobi, cujus exspectatio *est* in Jehova Deo suo:
6 Qui fecit cœlos et terram, mare et quicquid *est* in eis; qui servat fidem in seculum;
7 Qui exercet judicium erga oppressos, dat cibum famelicis: Jehova solvit vinctos:
8 Jehova aperit *oculos* cæcorum; Jehova erigit incurvatos, Jehova amat justos:
9 Jehova servat peregrinos, pupillum et viduam statuminat; viam vero improborum subvertit.
10 Regnabit Jehova in seculum: Deus tuus, o Zion, in unamquamque generationem.
HALLELU-JAH!

CXLVII.

1 LAUDATE Jah, quia bonum *est* psallere Deo nostro: quia amœnum *est*, decens *est* laudatio:

2 Ædificator Hierosolymæ Jehova, depulsos Israelitas congregat:
3 Qui sanat fractos animo, ac *velut* obligat in doloribus eorum:
4 Supputans numerum stellarum, quotquot sunt nominibus vocans.
5 Magnus *est* Dominus noster, et multus viribus; cujus intelligentia est innumerabilis.
6 Statuminat mansuetos Jehova, deprimit improbos in terram usque.

7 Acclamate Jehovæ gratiarum actione, psallite Deo nostro cithara:

8 Qui obtegit cœlos densis nubibus, qui comparat
terræ pluviam, qui facit ut proferant montes fœnum:
9 Dat jumentis cibum suum, pullis corvorum, qui
crocitant.

10 Non potentia equi delectatur, non crura præ-
stantis viri accipit;
11 *Sed* acceptos habet Jehova timentes sui, qui ex-
spectationem *suam* habent in benignitate ipsius.

12 Laudibus commendate, Hierosolyma, Jehovam:
lauda Deum tuum, o Zion.
13 Nam confirmat vectes portarum tuarum, bene-
dicit filiis tuis in medio tui:
14 Disponens termino tuo pacem, adipe tritici
satiat te:

15 Quo emittente sermonem suum in terram, quam
celerrime excurrit verbum ejus:
16 Qui edit nivem sicut lanam, pruinam quasi ci-
nerem dispergit:
17 Dejicit gelu suum, tanquam frusta; coram fri-
gore ejus quis consistat?
18 Emittens verbum suum, liquefacit ista: simulac
efflat ventum suum, effluunt aquæ.
19 Indicat verba sua Jacobo, statuta sua et jura
sua Israeli.
20 Non fecit ita ulli genti; ideoque jura ista non
noverunt.
HALLELU-JAH!

CXLVIII.

1 HALLELU-JAH!
Laudate Jehovam, cœlites; laudate eum in ex-
celsis.
2 Laudate eum, omnes angeli ejus; laudate eum,
omnes exercitus ejus.

3 Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ lucidæ.
4 Laudate eum, cœli cœlorum; et aquæ, quæ supra hoc cœlum *sunt*.
5 Laudent nomen Jehovæ, quæ ipso præcipiente illico creata sunt:
6 Quæ stabilivit in sempiternum, in seculum: *quibus* decretum dedit, quod nullum transgrediatur.

7 Laudate Jehovam, terrestria; cete et omnes abyssi:
8 Ignis et grando, nix et exhalatio: ventus turbineus efficiens verbum ejus:
9 Ipsi montes et omnes colles, arbores fructiferæ omnesque cedri:
10 Ipsæ bestiæ et omnia jumenta: reptilia et aves alatæ:
11 Reges terræ omnesque nationes, principes et omnes judices terræ:
12 Juvenes etiamque virgines, senes cum pueris:
13 Laudent nomen Jehovæ: quia editum *est* nomen ejus solius, decor ejus supra terram et cœlum:
14 Et effert cornu populi sui, laudem omnium quos benigne accipit Israelitarum, populi propinqui sibi.

HALLELU-JAH!

CXLIX.

1 HALLELU-JAH!
Cantate Jehovæ canticum novum; laudem ejus in congregatione eorum, quos benigne accipit.
2 Lætetur Israel in eo, qui fecit ipsum; filii Zionis exsultent in rege suo.
3 Laudent nomen ejus tibia, tympano et cithara psallant ei:

4 Quia benevolus *est* Jehova erga populum suum, ornat mansuetos salute.

5 Gestiant benigne accepti præ gloria, cantent in cubilibus suis:
6 Laudationes, exaltantes *Deum* fortem, in gutture suo; et gladium bipennem in manu sua *habentes*.
7 Ad exercendum vindictam in gentes, increpationes in nationibus:
8 Ad vinciendum reges eorum catenis, et honoratos eorum compedibus ferreis:
9 Ad exercendum in eos jus scriptum: *quod* decus est omnibus iis, quos benigne accipit.
HALLELU-JAH!

CL.

1 HALLELU-JAH!
Laudate *Deum* fortem de sanctitate ejus, laudate eum de expanso laudato ejus.
2 Laudate eum de omnimoda potentia ejus, laudate eum secundum amplitudinem maximam ejus.
3 Laudate eum clangore buccinæ, laudate eum nablio et cithara.
4 Laudate eum tympano et tibia, laudate eum hydraulis et organo.
5 Laudate eum cymbalis sonoris, laudate eum sistris.
6 Tota ipsa anima laudet Jah.
HALLELU-JAH!

BEROLINI, TYPIS TROWITZSCHII ET FILII.

Inhaus-3.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=759



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=760



JESU CHRISTI

DOMINI NOSTRI

NOVUM TESTAMENTUM.

EX INTERPRETATIONE

THEODORI BEZÆ

IMPRESSA CANTABRIGIÆ A. D. 1642

IN OFFICINA ROGERI DANIELIS.

BEROLINI:

SUMPTIBUS SOCIETATIS BIBLIOPHILORUM
BRITANNICÆ ET EXTERNÆ.

MDCCCLXXXVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-485221403-16/fragment/page=761